Sc.21.Pl.6.

37
31 B
12

CONTINUATIO PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM HONORATI TOURNELY,

SIVE

TRACTATUS

De univerſa Theologia Morali.

TOMI SEPTIMI PARS PRIMA,

Continens Tractatum

DE ORDINE.

Collegit & digeſſit PETRUS COLLET, *Presbyter Congregationis Miſſionis, Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.*

VENETIIS,

Apud NICOLAUM PEZZANA.

M DCC LXI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

PRÆFATIO.

SOLENT, *AMANTISSIMI SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATI*, qui longum vale teneris amicis dicturi ſunt, extremam ſuam cum ipſis confabulationem, quam diutiſſime ſibi licet protrahere: Atque id ſolatii genus quod natura ſuadet, non vetat gratia, ſed aliquando præcipit. Sic nempe Paulus, cum diſceſſurus eſſet Troade, nec eo uſquam remeaturus, *ſermonem protraxit uſque in mediam noctem*; abruptumque ut vitam reſtitueret adoleſcenti, quem orationis prolixitas, & in ſoporem prona ætatis illius conditio e naturali ſomno ad ſomnum mortis traduxerat, novis viribus adoriens, *uſque in lucem*, continuata tenebris die, protendit. Viam hanc ego ſequor in præſenti quem vobis offero Tractatu; & qui extremum vos alloquor, garritu, utinam tamen non ad tædium effuſo alloquar. *Act. 20.*

Nimirum e tot Tractatibus, qui ab uno aut amplius ſæculo de Ordinis Sacramento prodierunt, nullum, ex iis ſcilicet qui ad uſum Scholæ accommodati ſunt, reperire erit, qui ad geminum tantæ molis volumen excreverit. Neque is tamen ſum qui male ſonantem multiloqui Scriptoris titulum ambiam, & pro more ſenum, qui ſine fine dicunt, volumina geminare amem. Id unum totis votis ab initio peroptaveram, ut gravem ſacræ Ordinationis materiam, ſi non omnino paucis contrahere, quod non ſinebat argumenti dignitas, at ſaltem nec ita multis proſequi liceret. At dum Theologos, quorum pluris Opera fiunt, quales non ægre in præſenti negotio dixerim Witaſſium, Tournelyum, Auctorem operis de re Sacramentaria, &c. quo ſtudio decet, volvo & revolvo, his video deeſſe innumera, non utilia tantum, ſed & impendio neceſſaria. Ut enim Lutheranas inaugurationes prætermittam, de quibus, licet in Germania famoſis, nec dum huc uſque vel obiter in Scholis noſtris actum eſt: Rurſum ut Anglicanas Ordinationes ſileam, quas, exorta ſub ipſum præli tempus diſceptatione, rebuſque necdum diſcuſſis ut poſtea fuerunt, præcipitantiori calamo & omiſſa utræque facti quæſtione perſtrinxit Tournelyus: quid demum in ordine ad mores & Eccleſiæ diſciplinam dabunt, quidve ſpondent iidem Theologi? Plus certe hac in parte habet brevis Ludovici Haberti Theologia, quam tres modo recenſiti. Neque tamen dicta ſint hæc ad celebrandam poſtremi huius Doctoris methodum, qui ſic promovendæ juvenum pietati allaboravit, ut eos pene ab omni ſtudio deterreat. Tanta quippe apud eum viget idæarum confuſio, ut non Theologum quempiam leniter & methodice ſcribentem, ſed concionatorem æternum ſive in reſponſis, ſive in ipſis etiam objectionibus, tibi legere videaris. Verum ſi hinc redarguendus venit, quod omnia permiſcet, gravem Seminariorum alumnis moleſtiam parit, ibique, quod toties olim expertus ſum, diris devovetur: longe culpandi magis, qui Theologiam, ſacrum de Deo diviniſque ſermonem, ſtylo tam arenti per-

tractant, ut eorum lectio nihil pariat ſacri illius caloris, quo mollia juventutis Eccleſiaſticæ corda inflammari neceſſe eſt, ne dum ingenium acuit & exornat ſpeculativis notionibus, ſit anima ejus *ſicut terra ſine aqua tibi*, Deus meus, & quo oculo Iliadem Homeri vel Ovidii Metamorphoſes, eodem verbum tuum in Theologicis ſcriptis millies recurrens, legat atque intueatur.

Mihi quidem audire videor ſtrenuos illos Academici ſtudii decurſores, qui fronte ad duritiem compoſita, his nos verbis interrogent: „ Quorſum Evangelicæ illæ excurſiones in Opere ad unam diſputationem condito? Num te fugit, a mane ad veſperam, in Seminariis, quibus miſeri miſere incarceramur, vel ipſos etiam parietes devotionem inclamare. Devotionis nomen in oratione matutina, in collationibus Eccleſiaſticis, in Librorum piorum lectione, in ipſa etiam menſa, utique non adjiciali, ubique inſonat devotio. Num & hanc in Theologicis etiam diſquiſitionibus invenire jucundum? Nonne ut res ſuum tempus, ſic & locum habere debent? “ Objectionem pacificus audivi, reſponſionem pacifico ſpiritu accipite. Erit hæc tripartita, ſed brevis.

Et quidem 1. amplam tuendi & impugnandi materiam ſuppeditavi vobis, cum nec ullam ex iis quas agitat Schola Theſibus miſſam fecerim; nec ullum, quoad potui, ex argumentis quæ utrinque proponi ſolent, neglexerim. 2. Nec tædioſus ad nauſeam prædicator ſingulas paginas *reflexionibus* Chriſtianis opplevi. 3. Id tamen judicavi æquiſſimum, ut pia, quin & multis, mihi vero potiſſimum, tremenda ex ſparſis hic & illic principiis conſectaria deducerem. Hæc vero praxis quid demum mali habet ut ita ſtomachum moveat? immo quid non habet boni? Eſto nunc vobis ad alias intentis non admodum proſit: At poterit aliquando prodeſſe. Erit olim dies, cum veſtro, utinam & Eccleſiæ voto, ad ſublimiora vocati, & antiqua ſtudia revolventes, id quod nunc quaſi extra rem poſitum faſtiditis, liberiori animo meditabimini. Erit, aut ſaltem eſſe velim, ut intelligatis, nec vere Theologum dici poſſe, qui Scientiam unam in ſtudio quærit; nec veris Theologiæ lectionibus annumerari eas debere, quæ omni pietatis ſucco deſtitutæ, vix aliter animum afficiunt, quam geometricæ ſpeculationes.

Divinam benignitatem enixe precor, eos ut ſenſus animis veſtris inſtillare dignetur. Parem vicem ipſi refundite; & quod tot abhinc annis ſupplex efflagito, miſericordiarum Patrem, orate, ut mihi jam viribus effæto, laboreque ut annis gravi, non tantum delicta juventutis meæ dimittat, ſed & provectioris ætatis ignorantias obliviſci dignetur. Id ſaltem, veſtros ad pedes humillime provolutus, conſequar, ut vel ſemel in gratiam mei dicat unuſquiſque veſtrum: *Ne projicias*, Domine, ſervum tuum *in tempore ſenectutis: & cum defecerit virtus ejus, ne derelinquas* eum. *Amen, amen.*

INDEX CAPITUM.

TRACTATUS DE ORDINE.

VARIÆ vocabuli hujus ſignificationes, Pag. 1
PARS I. De Ordine in communi, & in ſpecie, 3
CAPUT I. De eſſentia & diviſione Ordinis, 4
CAP. II. De exiſtentia & dignitate Ordinis, 5
ARTICULUS I. De diſtinctione Hierarchici ſtatus a ſæculari, 6
CONCLUSIO. Ordo Clericalis, ſeu ſacra Hierarchia, divino jure ſecernitur a Laico ſtatu, 7
Solvuntur Objectiones, 12
ART. II. De Ordinis dignitate, 19
CONCL. Ordo, ſeu Ordinatio ſaltem aliqua, verum eſt novæ Legis Sacramentum, ibid.
Solvuntur Objectiones, 26
CAP. III. De Ordinum numero & qualitate, 30
ART. I. De numero Ordinum, ibid.
CONCL. I. Septem ſunt, idque a prioribus ſæculis, Ordines in Eccleſia Latina, 31
Solvuntur Objectiones, 32
CONCL. II. Etſi probabile eſt quatuor tantum apud Græcos eſſe, aut uſpiam fuiſſe Miniſtrorum Ordines; contraria tamen opinio non improbabiliter defendi poteſt, 37
Deciſio Benedicti XIV. de Ordinibus Græcorum, 46
ART. II. De cujuſque Ordinis qualitate, 49
§. I. An Epiſcopatus ſit Sacramentum, & quale, 50
CONCL. I. Minus recta videtur opinio Theodoreti exiſtimantis nomen Epiſcopi ſolis olim Presbyteris inditum eſse. Longe probabilior ſententia Chryſoſtomi, nomen illud utrique olim Ordini affictum eſſe opinantis. Potior tamen Epiphanii doctrina. 54
CONCL. II. Ordinatio Epiſcopalis verum eſt Sacramentum, a Sacerdotio natura & Charactere diſtinctum. 59
§. II. An etiam Sacerdotio competat dignitas Sacramenti, 66
CONCL. Presbyteratus verum eſt Sacramentum, ibid.
§. III. An Diaconatus Sacramenta inter cenſeri debeat, 68
CONCL. Diaconatus eſt veri nominis Sacramentum, 69
Objectiones, 72
§. IV. An Subdiaconatus Sacramentis annumerari debeat, 80
CONCL. I. Subdiaconatus eſt Ordo, & quidem in Eccleſia Latina ſacer, ſed non ab initio, ibid.
CONCL. II. Probabilis eſt eorum Sententia, qui Subdiaconatum, proinde minores Ordines e Sacramentorum albo ex-

pungunt : Non tamen improbabilis quæ contrarium docet. 83
§. V. Quid ſentiendum de Ordinibus minoribus, 93
Appendix de Tonſura Clericali, *ibid.*
Art. I. De ratione & origine Tonſuræ, 94
Concl. I. Probabilis eſt opinio, quæ Tonſuram Ordinibus proprie dictis annumerat: Probabilior quæ negat annumerandam, *ibid.*
Concl. II. Tonſuram per modum coronæ non modicæ eſt antiquitatis: eſt tamen Apoſtolico ævo poſterior. 104
Art. II. De Tonſuræ cauſſis & ritibus, 107
Art. III. De diſpoſitionibus ad Tonſuram prærequiſitis; ubi & variæ quæſtiones ſolvuntur, 117
An peccet qui Confirmatione non recepta recipit Tonſuram? *ibid.*
Qua ætate hæc recipi debeat? *ibid.*
An reus ſit qui eam recipit, ut declinet juriſdictionem ſæcularem? 118
An qui eam recipit in mortali peccato? 119
An qui cum intentione dimittendi Statum Eccleſiaſticum, Beneficium ingreditur? *ibid.*
An is teneatur ad reſtituendum? 120
Quid ſi remanere quidem intendat in Statu Eccleſiaſtico, ſed non in hoc Canonicatu? *ibid.*
An poſſit beneficium illud reſignare? 121
Ubi & quando Tonſura conferri poſſit? *ibid.*
An a proprio Epiſcopo extra Diœceſim ſuam poſſit conferri? *ibidem.*
An valide conferatur ab alieno Epiſcopo? *ibid.*
Cui ſubjaceant pœnæ tum dans, tum & recipiens Tonſuram alieno ſubdito, 122
Art. IV. De ſubjecto Tonſuræ & privilegiis ejus, 123
Solvuntur varii caſus, 125
Art. V. De Officiis & virtutibus Clericorum, 129
CAP. IV. De materia Ordinum in genere & in ſpecie, 131
Art. I. De materia Ordinis ſacri, 132
Concl. I. Ordinatio certa quadam materia & forma ſemper conſtitit, 137
Concl. II. Defectus approbationis Eccleſiæ Ordinationem rite peractam irritare non poteſt, 138
Concl. III. Rejicienda eſt duplex Harduini materia & forma, alia pro Occidente, alia pro Oriente, 142
Concl. IV. Impoſitio manuum eſſentialis eſt & probabiliter ſola Epiſcopatus materia, 144
Concl. V. Impoſitio manuum eſſentialis eſt Presbyteratus materia: An vero ſola hæc ſufficiat ſine manuum impoſitione, dubitari poteſt? 148
Concl. VI. Materia Diaconatus eſt manuum impoſitio, & quidem probabiliter ſola, 166. & 167
Art. II. De materia ceterorum Ordinum. 170
Concl. I. Etſi tutius eſt ut caute obſerventur ritus omnes ad Subdia-

diaconatum præſcripti, ejus tamen apud Latinos materia probabilius in ſolo calicis & patenæ tactu conſiſtit, 172
Concl. II. Materia Subdiaconatus apud Græcos ſola eſt manuum impoſitio, 173
Concl. III. Materia Ordinum minorum ſunt inſtrumenta, per quæ ſub certa verborum forma iidem Ordines conferuntur. 174
An inſtrumenta ab Epiſcopo offerri, & a ſubjecto phyſice tangi debeant? 174. & 175
An ſufficiat contactus, realis quidem, ſed mediatus? ibid.
Quid ſi in Ordinatione Presbyteri porrigatur calix ſine vino, vel cum aqua, in Ordinatione autem Subdiaconi cum vino? 176
Quid rurſum ſi cui porrigatur calix non conſecratus, vel execratus? ibid.
An ſatis ſit materiam una manu tetigiſſe? 177
Quomodo & quando ſuppleri debeant ritus in Ordinatione omiſſi? 177. & 178. n. 264
CAP. V. De forma Ordinationis, 179
Concl. I. Forma Ordinationis apud Græcos non conſiſtit in his verbis: *Divina gratia .... promovet*, &c. ibid.
Concl. II. Probabilius eſt Ordinationis Hierarchicæ formam conſiſtere in precibus, per quas Sacramenti Miniſter gratiam ſuper initiandum advocat, &c. 183
Objectiones. 185
Concl. III. Forma Subdiaconatus apud Græcos eſt oratio manuum impoſitioni conjuncta: Apud Latinos autem oratio cum verbis quæ inſtrumentorum porrectioni reſpondent, 188
Concl. IV. Forma minorum Ordinum apud Latinos conſiſtit in verbis quæ profert Epiſcopus, cum inſtrumenta cujuſque Ordinis porrigit; & oratione quæ verba hæc ſubſequitur. 189
CAP. VI. De Miniſtro Ordinis. 190
Art. I. De Miniſtro Epiſcopatus. ibid.
Concl. I. Epiſcopus eſt ſolus Epiſcopatus Miniſter, 191
Objectiones, 192
Concl. II. Antiqua Lege præſcriptum eſt, ut Epiſcopus nemo niſi a tribus, vel ut minimum a duobus Epiſcopis conſecretur. Valet tamen ex prævia Rom. Pontificis diſpenſatione conſecratio ab uno Epiſcopo facta. Immo & probabilius valet ſine eadem diſpenſatione, 193
Factum Armentarii, 198
Art. II. De Miniſtro Sacerdotii & Diaconatus. 203
Concl. I. Solus Epiſcopus ita jure proprio Miniſter eſt Presbyteratus, ut is numquam a ſimplici Presbytero conferri poſſit, ibid.
Objectiones, 205
Concl. II. Solus quoque Epiſcopus Miniſter eſt Diaconatus, 213
Privilegium Ciſtercienſium, *a pag.* 215. *ad* 218
Concl. III. Quilibet Epiſcopus rite conſecratus ordines valide confert, ſed non ſemper licite, 219
1. Quis olim fuit Ordinandorum Epiſcopus? ibid.
2. A quo nunc quiſque ordinari poteſt? 223
3. Quis Epiſcopi cenſetur familiaris? ibid.

4. Con-

4. Conditiones trienii ad familiaritatem a Synodo Trid. requiſiti, 225
5. Quale & quando Epiſcopus Beneficium familiari conferre teneatur, *ibid.*
6. An etiam conferendum familiari Beneficium, ut ad Tonſuram promoveatur? 226
7. An Epiſcopus familiarem ab interſtitiis diſpenſare valeat? *ibid.*
8. An familiarem ſuum ſub titulo penſionis aut patrimonii ordinare poſſit Epiſcopus? *ibid.*
9. An originis Epiſcopus ſit is cujus in Diæceſi quis natus eſt, aut baptizatus? 227
10. An ſemper originis Epiſcopus cenſeatur ille cujus in territorio quis natus eſt? 228
An attendenda etiam origo patris, vel matris? *ibid.*
11. An poſſit quis ab alio Epiſcopo ordinari ratione Beneficii? *ibid.*
Provida Innocentii XII. Conſtitutio, 229
Annotationes variæ, *ibid.*
12. An eo quis ad Ordines ab alio Epiſcopo promoveri poſſit, quod in ejus Diæceſi penſionem obtinet? n. 203
13. An qui titulo Beneficii ordinat, ab interſtitiis diſpenſare valeat? 231
14. An poſſit quis ordinari ab alio propter domicilium? *ibid.*
15. An viget in Galliis diſciplina quæ plures Ordinationis conferendæ Epiſcopos admittit? 233
16. An poſſit quis ab alieno ordinari propter Beneficium reſidentiam non exigens? 235
17. An ab uno jam ordinatus, ceteros Ordines ab alio recipere poſſit? *ibid.*
18. Quis ſit Regularium Epiſcopus quantum ad Ordines? 236
19. Quis Epiſcopus Monaſterii nullius Diæceſis? 237
20. An ſufficiat ut Superior Regularis teſtetur Epiſcopum loci vel abeſſe, vel Ordines non eſſe collaturum? *ibid.*
21. A quo ordinandi ſint Clerici, qui Abbatiis, vel Capitulis exemptis, aut nullius Diæceſis ſubjacent, *ibid.*
ART. III. De Miniſtro Subdiaconatus, Minorum & Tonſuræ, 239
CONCL. I. Ordinarius Subdiaconatus & inferiorum Ordinum Miniſter eſt Epiſcopus, 240
CONCL. II. Simplex Presbyter legitimus eſt Subdiaconatus & Ordinum inferiorum Miniſter, ſi ad id Canonice deputatur, *ibid.*
1. Quæ in Abbate requirantur, ut permiſſos ſibi Ordines conferat, 241
2. An qui Ordines conferre valet, ab interſtitiis diſpenſare poſſit? 242
3. An alienos qui ad ſe cum dimiſſoriis canonice mittuntur, poſſit ordinare, *ibid.*
4. An valeant Ordines Minores ab Abbate aliis, quam ejuſdem ſubditis, collati? 243
5. An jus Minores conferendi aliis competat quam Abbatibus, puta Vicariis generalibus, Epiſcopo qui ſuæ etiam dignitati renuntiavit, Cardinalibus, & Parochis? 244
6. An peccet letaliter qui in peccato letali exiſtens Minores confert? *ibid.*
Quo tempore Ordines conferendi? De Tonſura, de Minoribus. Quid dies feſtivi. De Ordinibus ſacris. Quid ſi continuetur jejunium, & quomodo, 245

Epi-

Epiſcopatus quando debeat conferri, 246
An eadem die plures ſimul Ordines conferri poſſint? *ibid.*
An continuato jejunio die Dominica inſtitui poſſit Sacerdos, qui Sabbato præcedenti factus eſt Diaconus? *ibid.*
Quid de eo qui diſpenſationem obtinuit, ut tribus diebus ſine interſtitiis, ordinari poſſit? *ibid.*
An quis eadem die Sacerdos & Epiſcopus conſecrari valeat? *ibid.*
Quo in loco Ordines conferendi? *ibid.*
An in aliena Diœceſi? 247
Quid de Tonſura? *ibid.*
An poteſt Epiſcopus in loco exempto, ſuæ tamen Diœceſis, Ordines celebrare, ſine conſenſu Superioris? *ibid.*
An id poſſit in aliena Diœceſi ex ſolo conſenſu Superiorum loci exempti? *ibid.*
An valide ordinet qui Miſſam per alium celebrat? 249
DISSERT. I. De validitate Ordinationum Lutheranarum, *ibid.*
CONCL. In Lutheranorum ſocietate nulla eſt prorſus Ordinatio, 250
DISSERT. II. De validitate Ordinationum Anglicanarum, 257
ART. I. De Ordinationibus Anglicanis ex parte Barlovvii & Parkeri, 260
Momenta Anglorum, & Corayeri, *ibid.*
PARS I. Factum Parkeri, 261
PARS II. Factum Barlovvii, 263
PARS III. De materia, & forma Ordin. Anglic. 267
Momenta partis oppoſitæ, 270
CONCL. I. Ordinationes Anglorum ſpectata Parkeri & Barlovvii Ordinatione neceſſario iterandæ ſunt, *ibid.*
PARS I. Factum Parkeri, 271
PARS II. Factum Barlovvii, 287
Solvuntur objectiones in gratiam Parkeri, 292
Solvuntur objectiones in gratiam Barlovvii, 299
ART. II. De Ordinationibus Anglicanis penes formam ſpectatis, 303
Ritus ordinandi Presbyterum Anglicanum, *ibid.*
Ritus conſecrandi Epiſcopum Anglicanum, 305
CONCL. Ordinationes Anglorum ex parte formæ, non tantum dubiæ ſunt, ſed & certo invalidæ, 308
Solvuntur objectiones, 323
Compendium ejuſdem Diſſertationis, 338
CONCL. I. Ordinatio Parkeri dubia eſt & incerta, *ibid.*
CONCL. II. Dubia quoque eſt Ordinatio Barlovvii, 343
CONCL. III. Ordinationes Anglorum ex parte formæ, non modo dubiæ ſunt, ſed & certo invalidæ, 345
CAP. VII. De ſubjecto Ordinationis, 350
CONCL. I. Solus homo viator capax eſt Ordinationis, *ibid.*
CONCL. II. Ad validam Ordinum ſuſceptionem prærequiritur Baptiſma in re ſuſceptum, 352
An etiam Confirmatio neceſſaria ſit ad Ordinis ſuſceptionem? 354
An peccet letaliter qui Ordines ſuſcipit ante ſuſceptam Confirmationem; & num Irregularitatem incurrat? 355

CON-

Concl. III. Vix certo definiri poteſt ab intrinſeco, an valeat Ordinatio infantibus, & aliis ratione hactenus deſtitutis collata? *ibid.*
Quid tenendum in praxi? n.57. & 58. 360
Concl. IV. Invalida eſt Ordinatio quæ confertur omnino invitis, *ibid.*
Errores circa mulierum Ordinationem, 363
Concl. V. Mulieres ſacræ Ordinationis, immo & ipſius Tonſuræ incapaces ſunt, 364
An capaces ſint juriſdictionis propriæ, & poteſtatis ferendi cenſuras? 368
Dissert. I. De Joanna Papiſſa, 373
Concl. Pontificatus Joannæ mera eſt fabula, 374
Objectiones, 382
Occaſio fabulæ hujus, 386
Dissert. II. De Diaconiſſis, &c. 388
Concl. I. Non omnes Diaconiſſæ, & aliæ ejuſdem generis, Eccleſiaſtico ritu inſtitutæ ſunt, *ibid.*
Concl. II. Diaconiſſæ plures Eccleſiaſtico quodam ritu conſecratæ ſunt, at non ſacramentali, 389
Concl. III. Varia fuere Diaconiſſarum officia, 393
Cur & quando peremptus Diaconiſſarum Ordo, 394
Qui primitus fuerint alii feminarum Ordines in Eccleſia, ubi de Virginibus, Viduis, Monialibus, Canonicis ſæcularibus, &c.

FINIS INDICIS.

SUM-

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ
de Sacramento Ordinis.

Decretum Eugenii IV. pro inſtructione Armenorum, An. 1439.

„ SExtum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per
„ cujus Traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur
„ per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diacona-
„ tus vero per Libri Evangeliorum dationem; Subdiaconatus vero
„ per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem; & ſi-
„ militer de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſigna-
„ tionem. Forma Sacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi
„ Sacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, &c.
„ & ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano
„ late continetur. Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti eſt Epiſco-
„ pus: effectus augmentum gratiæ, ut quis ſit idoneus Miniſter.

CANONES CONCILII TRIDENTINI DE ORDINE.

Seſs. 23. 15. Julii 1563. ſub Pio IV.

„ I. SI quis dixerit non eſſe in Novo Teſtamento Sacerdotium vi-
„ ſibile & externum; vel non eſſe poteſtatem aliquam conſe-
„ crandi & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini, & pecca-
„ ta remittendi & retinendi; ſed officium tantum & nudum mini-
„ ſterium prædicandi Evangelium, vel eos qui non prædicant, pror-
„ ſus non eſſe Sacerdotes; anathema ſit.
„ II. Si quis dixerit præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Ca-
„ tholica alios Ordines, & majores & minores, per quos velut per
„ per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur; anathema ſit.
„ III. Si quis dixerit Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſ-
„ ſe vere & proprie Sacramentum, a Chriſto Domino inſtitutum,
„ vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris re-
„ rum Eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantum ritum quemdam eli-
„ gendi Miniſtros verbi Dei & Sacramentorum; anathema ſit.
„ IV. Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum
„ Sanctum; ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum San-
„ ctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui Sacer-
„ dos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe; anathema ſit.
„ V. Si quis dixerit ſacram Unctionem, qua Eccleſia in ſancta Or-
„ dinatione utitur, non tantum non requiri, ſed contemnendam &
„ pernicioſam eſſe; ſimiliter & alias Ordinis ceremonias; anathema ſit.
„ VI. Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam
„ divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presby-
„ teris & Miniſtris; anathema ſit.
„ VII. Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris Superiores,
„ vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi; vel eam quam

„ ha-

„ habent, illis eſſe cùm Presbyteris communem; vel Ordines ab il-
„ lis collatos, ſine populi, vel poteſtatis ſæcularis conſenſu, aut vo-
„ catione irritos eſſe; aut eos qui nec ab Eccleſiaſtica & canonica
„ poteſtate rite ordinati, nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legi-
„ timos eſſe Verbi & Sacramentorum Miniſtros; anathema ſit.
„ VIII. Si quis dixerit Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontifi-
„ cis aſſumuntur, non eſſe legitimos & veros Epiſcopos, ſed figmen-
„ tum humanum; anathema ſit.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. Fr. Serafino Maria Maccarinelli Inquiſitor General del Santo Officio di Venezia, nel Libro intitolato *Continuatio Prælectionum Theologicarum Honorati Tournely .... continens Tractatum de Ordine*, non v'eſſer cos'alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Niccolò Pezzana, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 27. Agoſto 1761.

{ *Angelo Contarini Proc. Rifor.*
{ *Polo Renier Rifor.*
{

Regiſtrato in Libro a Carte 98, al Num. 237.

Giacomo Zuccato Segr.

Adi 28. detto.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. degli Eſſecutori contro la Beſtemia.

Gio: Pietro Dolfin Segr.

TRA-

TRACTATUS

DE

ORDINE.

CUm ambigua ſit vocabuli Ordinis ſignificatio; æquivoca autem prius diſtinguenda ſint, quam definienda, non abs re fuerit quædam de Ordinis nomine præfari.

Ordo itaque aliquando ſumitur pro methodo docendi, 1
ſeu analytica, cum a toto ad partes, ſeu ſynthetica, cum a Partibus ad totum proceditur: aliquando pro reſpectu vel habitudine unius ad alterum; quo ſenſu ajunt Philoſophi in relativis eſſe ordinem eſſentialem unius ad alterum: aliquando pro uſu & conſuetudine; quo ſenſu quidquid fit præter aut contra receptum morem, & abſque conſuetis ſolemnitatibus, id *extra ordinem* fieri dicunt Juriſperiti.

Verum his omiſſis ſignificationibus, quæ ab inſtituto noſtro alienæ 2
ſunt, Ordinis nomen triplici præcipue ſenſu accipitur; 1. quidem pro congrua rei cujuslibet diſpoſitione; qua ratione S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 26. *Ordo*, inquit, *omnia conſtituit & colligavit: Ordo cæleſtia & terreſtria continet: Ordo in his quæ ratione & animo intelliguntur, locum habet*, &c. Conſonat tritum id Auguſtini Lib. 19. de Civ. Dei (Tom. VII. pag. 557. C.) *Ordo eſt parium, diſpariumque rerum, ſua cuique loca tribuens diſpoſitio*. Hinc Catechiſmus Romanus, part. 2. hoc tit. n. 19. *Eſt Ordo, ſi propriam ejus vim & notionem accipiamus, diſpoſitio ſuperiorum & inferiorum rerum, quæ inter ſe ita aptatæ ſunt, ut una ad alteram referatur.*

2. Sumitur, ſeu pro certo hominum ſtatu pluribus communi; quo 3
ſenſu triplex olim apud Romanos ſecernebatur Ordo, Senatorius videlicet, Equeſtris & Plebejus; nunc autem in Eccleſia multi Religioſorum, aliorumve ſæcularis Cleri membrorum ordines recenſentur; ſeu & præcipue pro gradu eminenti, qui ita pluribus communis eſt, ut eos ab aliis honorifice diſtinguat. Talis erat apud Ciceronem

in Orat. *pro Cluentio* ordo Senatorius: talis & jam a prioribus Eccleſiæ ſæculi Ordo Eccleſiaſticus, vel Sacerdotalis, ut videre eſt apud Tertullianum, Lib. de Idololatria, cap. 7. & Lib. de Exhortatione Caſtitatis, cap. itidem 7.

Porro, ait ſubtilis Doctor, *in Eccleſia, quæ eſt politia ordinata, congrue eſt Ordo ſecundum iſtam duplicem acceptionem: Nam ſecundum primam tota Eccleſia eſt ordinata illa congrua diſpoſitione parium & imparium, uniuſcujuſque in loco ſuo. Secundo autem modo perſona habens gradum eminentem in Eccleſia dicitur habere Ordinem*,

4 3. Et ſtricte magis ſumitur apud Chriſtianos pro actione, qua quis evehitur ad Eccleſiaſticam dignitatem, ſeu ad facultatem exercendi aliquem actum circa corpus Chriſti verum, aut myſticum; proxime, vel remote. Hæc autem actio melius dicitur Ordinatio, quam Ordo; cum is ſit effectus, hæc cauſſa; is ſit permanens, hæc tranſitoria; is ſub ſenſus non cadat, utpote qui in poteſtate ſpirituali conſiſtat; hæc ſenſibilis ſit, ut quæ per exteriorem ritum conficiatur.

5 Ordinis hujus active ſumpti, ſeu verius Ordinationis, plura ſunt nomina. 1. Enim plerumque a Latinis vocatur *Impoſitio manuum*; quia præcipuum ſemper in conſecrandis Sacerdotibus locum habuit iſta hæc impoſitio; uti liquebit ex infra dicendis. Quoniam vero ſuas etiam manuum impoſitiones habent Sacramenta Confirmationis, & Pœnitentiæ, idcirco noſtra hæc, quo ab aliis ſecerneretur, quandoque dicta eſt *manuum impoſitio Ordinatoria*, ut videre eſt apud Stephanum Tornacenſem, Epiſt. 18. alias 28.

6 2. Dicta eſt a Græcis Κειροτονία, quæ vox apud Ethnicos electionem atque deſtinationem, manus extenſione & porrectione fieri conſuetam ſignificat; in Scriptura vero novi Teſtamenti, ubi, teſte Morino * bis occurrit, ſemel electionem, ſemel vero conſecrationem exprimit. In his ſiquidem Pauli verbis 2. Corinth. 8. v. 19. ubi de quodam Diſcipulo dicitur: *Ordinatus eſt*, Græco Κειροτόνηθεις, *ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ*, verbum Cheirotonein nihil aliud quam deſtinationem ab Eccleſiis factam ſignificare poteſt. In iſtis vero, Act. 14. v. 22. *Cum conſtituiſſent*, Græce Κειρατονησαντες, ſeu conſtituentes, *illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus*, &c. Palam eſt de vera Ordinatione agi, cui præiverunt jejunium & oratio, ſicut & cap. 13. v 3. licet cap. 14. per hiſterologiam recenſeantur poſt manuum impoſitionem. Unde inepte prorſus Beza vertit: *Cumque per ſuffragia creaſſent Presbyteros;* quaſi ſcilicet Apoſtoli non aliam in Presbyterorum, immo & Epiſcoporum inauguratione partem habuerint, quam infimi de plebe, & cum eis manum duntaxat porrexerint. Longe aliter Chryſoſtomus in hunc locum.

7 Licet autem nomen chirotoniæ a Chriſtianis Auctoribus quandoque pro ſola electione ſeu deputatione uſurpetur, ut probat Morinus n. 5. tum

* Vide Morinum in Commentario de ſacris Ordinationibus, part. 3. exercit. 1. cap. 2. num. 3. pag. 11. edit. Antuerp. & adverte, ſenſum ipſius perverſum fuiſſe a Tournelyo, pag. 4.

tum ex can. 4. Concilii Nicæni, tum ex can. 5. Synodi Laodicenæ *; longe tamen frequentius ab eis pro ipſa Miniſtros conſecrandi, ſeu ordinandi actione uſurpatum eſt, ſecundum id tum Hieronymi in cap. 53. Iſaiæ: *Plerique noſtrorum chirotoniam, id eſt, Ordinationem Clericorum, quæ . . . . ad impoſitionem impletur manus . . . . . intelligunt*; tum Zonaræ, qui in canonem 1. Apoſt. ſic ſcribit: *Nunc quidem chirotonia vocantur preces, ſanctique Spiritus invocatio, dum quis Sacerdotio initiatur, & conſecrationem ſortitur*. Idem advertunt Petavius, Lib. 1. de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 8. nu. 10. Goarius in Euchologio, pag. 239. aliique eruditi. Vocem hanc eodem ſenſu adhibent Syri, qui non pauca a Græcis vocabula mutuati ſunt, uti notat Morinus.

3. Ab iiſdem Græcis vocatur Χειροτεσία; quæ vox etſi quamlibet 8
in ſacris benedictionem ſignificat, eam tamen præcipue exprimit, quæ in Ordinatione adhiberi ſolet: quamquam Græci Chiroteſiæ nomen libentius admittunt, cum de Ordinibus infra Diaconatum poſitis, chirotoniæ autem vocabulum, cum de Diaconatu vel Sacerdotio loquuntur. De his adi Goarium in Euchologio, pag. 239. & Cangium in Gloſſario.

4. Vocatur & identidem Καθιέρωσις: *Unde*, ait Morinus ibid. nu. 9
4. p. 11. *proprie chirotonia eſt ipſa Ordinatio, catieroſis conſecratio*; quæ quia *in manuum impoſitione potiſſimum conſiſtit, ideo cheiroteſia* a Patribus aliquando dicitur.

Ordo ſumptus ſubjective, ſeu ex parte termini, per varios quos 10
habet gradus conſtituit Hierarchiam Eccleſiaſticam: hæc enim quæ juxta vim nominis eſt ſacer principatus **, juxta nominis uſum eſt Sacrarum perſonarum ordinata poteſtas debitum in ſubditos principatum exercens. Quæ omnia ut penitius inveſtigentur, duæ erunt noſtri hujuſce Tractatus partes, quarum prior de Ordine univerſim & in ſpecie ſumpto diſputabit, poſterior de Hierarchia Eccleſiaſtica. His, ſi per tempus & vires licebit, accedent nonnullæ magni momenti appendices, puta de Exorciſmis, de antiquis Eccleſiæ Canonibus, &c.

PARS PRIMA.

De Ordine in communi & in ſpecie.

PArtem hanc primam dividemus in octo capita. Primum Ordinis eſſentiam atque diviſionem ſummatim aperiet. Secundum exi-

* Verba ejus hæc ſunt: *Non oportet chirotonias fieri in præſentia eorum qui audiunt* (id eſt qui duntaxat ad audiendum Dei verbum admittuntur, ut infideles, Catechumeni quidam, &c.) ne ſcilicet ſi quædam iis qui eligendi proponebantur, crimina objici contingeret, hinc ſcandalum ferrent ii *quorum non ita conſtans in Fide ratio eſſet*. Ita Zonaras. Ceterum hæc Morini probatio non omnibus placet. Vide Van-Eſpen in ſcholiis ad utrumque Canonem.

** Ἱερὸς ſacer, ἀρχὴ principatus.

exiſtentiam ipſius, & Sacramentariam dignitatem contra Novatores vindicabit. Tertium expendet quot ſint Ordines, & an eorum unicuique competat ratio Sacramenti. Huic annectetur prolixa appendix de Tonſura Clericali. Quartum materiam, Quintum formam, Sextum Miniſtrum pro viribus noſtris indagabit: accedet ad ipſius calcem gemina Diſſertatio, brevis alia de Pſeudoreformatorum, alia longior de Anglorum Ordinationibus. Septimum de Ordinationis ſubjecto, & requiſitis in eo conditionibus diſſeret. Octavum effectus ejuſdem recenſebit.

CAPUT PRIMUM;

De eſſentia & diviſione Ordinis.

1 ORdo ſumptus pro ritu ſacro quo quis inauguratur, definiri ſolet a Catholicis, Sacramentum novæ Legis quo ſtabiliter confertur Clerico gratia & poteſtas quædam ſpiritualis ad obeunda rite munia Eccleſiaſtica, præcipue vero ad conficienda Sacramenta.

2 Dicitur 1. *Sacramentum*, ſeu ut loquuntur Magiſter & S. Thomas *, ſignaculum, aut ſignum exterius, utpote in ritu ſenſibili conſiſtens.

3 Dicitur 2. Sacramentum *novæ Legis*, adeoque inſtitutum a Chriſto, qui ſolus omnia Legis Evangelicæ Sacramenta inſtituit, ut ſuo loco probavimus.

4 Dicitur 3. quo *ſtabiliter* confertur: Ordo enim de ſe eſt quid permanens, licet exercitium ejus ſuſpendi poſſit. Unde qui obiter ad exercitium cujuſdam functionis Eccleſiaſticæ deputaretur a Pontifice, non ideo eſſet ordinatus; quia deputatio mera poteſt revocari, Ordo non item.

5 Dicitur 4. quo *confertur Clerico*, tonſura ſcilicet Clericali inſignito. Ordo enim juxta hodiernum Eccleſiæ morem præſupponit Clericatum, & hic Baptiſmum, ſed non eodem modo: cum poſſit quis Laicus valide ordinari, non autem qui minime fuerit baptizatus.

6 Dicitur 5. quo confertur *gratia*, non ſolum gratis data, quæ in aliquorum duntaxat utilitatem cedat, uti, timide licet, tradit Guillelmus Vvake, Archiepiſcopus Cantuarienſis **; ſed & gratum faciens, prout liquebit ex dicendis.

7 Dicitur 6. *& poteſtas ſpiritualis*. Sane enim ſpiritualis eſt poteſtas, quæ circa verum & myſticum Chriſti corpus occupatur.

8 Dicitur 7. *poteſtas quædam;* quia non eadem per Ordinem quemlibet, ſed

* Magiſter Sent. libr. 4. diſt. 24. S. Thomas ibid. vel in Supplem. quæſt. 34. art. 2.

** Les Principes de la Religion Chretienne expliques en forme de demandes & de reponſes ſur le Catechiſme de l'Egliſe Anglicane, part. 5. ſect. 42. pag. mihi 285. *ubi ſic*: il n'y a point de doute que la grace de Dieu n'accompagne l'Ordination . . . . . Mais enfin cette grace regarde PLUTOT l'emploi, que la perſonne meme qui en fait les fonctions, &c.

ſed diſpar poteſtas traditur; licet poteſtas iſta quæcumque ſit, ad eundem finem tendat & referatur.

Dicitur 8. *ad obeunda rite officia*, ſeu functiones ſacri miniſterii; *præcipue vero ad conficienda* vel miniſtranda *Sacramenta*; maxime autem Euchariſtiam, vel aliquod munus circa ipſam ex officio exercendum: quæ verba proprium hujus Sacramenti finem exprimunt. In hac definitione, cujus æquitas ſenſim in decurſu innoteſcet, voces *Sacramentum Legis novæ* locum habent generis: ceteræ differentiam conſtituunt. 9

Si objicias definitionem hanc ceteris infra Diaconatum Ordinibus non convenire, utpote qui in probabili multorum opinione Sacramenta non ſint; Reponam moris eſſe ut nomina analoga ſecundum potiſſimam ſui partem definiantur. Quod ſi cui neceſſaria ſit definitio generalis, poterit ab eo Ordo deſcribi: Ritus a Chriſto vel ab Eccleſia inſtitutus, quo cuipiam traditur poteſtas ſpiritualis certas Eccleſiæ functiones obeundi. Definitio hæc ex iis quæ modo dicta ſunt, ſatis innoteſcit. Utraque multo plus innoteſcet ex dicendis. 10

Ordines dividuntur in ſacros & non ſacros. Ordo *ſacer* ille eſt qui propinque verſatur circa Euchariſtiam, & ad eam ſpectantia, ut vaſa & ornamenta, habetque continentiæ & Horarum legem. Tales ſunt Subdiaconatus, qui prope, Diaconatus qui propius, Presbyteratus qui proxime ſacram Synaxim attingunt; Subdiaconatus quidem ad præviam conſecrandæ hoſtiæ actionem; Diaconatus ad ejus jam conſecratæ diſpenſationem; Presbyteratus ad ipſam illius conſecrationem rite concurrendo. 11

Ordo *non ſacer* ille eſt, qui non tam prope Sacramenta attingit, nec annexam habet continentiæ vel officii divini legem. 12

Ordines ſacri vocantur etiam *majores*, quia plus habent excellentiæ & ad graviora obligant. Non ſacri oppoſita de cauſſa *minores* appellantur. 13

Presbyteratus dividitur in *magnum*, qui præter caracterem & gratiam tribuit poteſtatem, tum Ordinis ad confirmandum, ordinandum, chriſma & olea benedicenda, templa & altaria conſecranda, tum juriſdictionis ad approbandum Confeſſarios, ad ferendas cenſuras, ad largiendas indulgentias; & *minorem*, qui ſolam dat facultatem conſecrandi Euchariſtiam & dimittendi peccata, poſitis ponendis, de quibus dictum eſt in Tract. de Pœnitentia. 14

Jam ut horum pleraque, quæ ab heterodoxis putide impugnantur, ſolide ſtabiliamus, ſit

CAPUT SECUNDUM.

De exiſtentia & dignitate Ordinis.

NOn quæritur an in qualibet etiam hæreticorum Communione exiſtant viri ad diſpenſanda Sacramenta & annuntiandum Dei verbum, conſtituti: habent enim Prædicantes ſuos Lutherani & Calviniſtæ; habent & Anglicani Epiſcopos ſuos, quorum Ordinationem

expendemus in decurſu. Quæritur ergo 1. an exiſtat Ordo quatenus ſtatus a ſeculari ſtatu eſſentialiter & ex ipſa Chriſti inſtitutione diſtinctus; ſeu, quod in idem recidit, an Hierarchia eccleſiaſtica ſit Corpus ſpeciale ab ipſo Domino inſtitutum; 2. an actio per quam quis ſacræ huic Societati addicitur, ſit veri nominis Sacramentum. Quamquam autem qui Sacramenti hujus non omnibus communis exiſtentiam probat, eo ipſo divinam ſacræ Hierarchiæ inſtitutionem invicte probavit; juvat nihilominus, perſpicuitatis gratia, utramque difficultatem ſeorſim evolvere, prout jam in Scholis tractari ſolet.

ARTICULUS PRIMUS.

De diſtinctione Hierarchici Status a ſtatu ſæculari.

1 Articulum hunc ab iſtis Tournelyi verbis ordiemur. „ Vvicleſus apud Thomam Valdenſem, Tom. 2. de Sacram. cap. 7. „ Lutherus, Lib. de abroganda Miſſa privata, Part. 1. Calvinus, „ Lib. 4. Inſtitutionis, cap. 4. 8. 9. nullam diſtinctionem Clericorum „ & Laicorum admittunt; ſed omnes æqualiter Sacerdotes, æqualiter „ Evangelii Miniſtros arbitrantur: vel certe ſi diſtinctio aliqua inter „ eos ſtatuenda ſit, eam duntaxat ex hominum inſtitutione & arbi„ trio pendere, adeo ut plebeji & quivis e trivio homines, ſtatim „ atque populus juſſerit, Sacerdotes evadant, & per ſolam ejuſdem „ electionem verbi divini prædicandi & Sacramentorum habeant po„ teſtatem: e contra vero facta ejuſdem Decreti reſciſſione conti„ nuo in Laicorum ordinem redigantur " Verum hæc quoad facti quæſtionem, partim incerta ſunt, niſi falſa; partim mutila, & quantum ad aliquid a nobis ſupplenda.

2 1. Enim certum eſt Ordinem a Vvicleſo Sacramentis fuiſſe annumeratum; cum is ſeptem admiſerit Eccleſiæ Sacramenta, uti diximus, Tom. 10. part. 1. cap. 1. nu. 11. Et vero Vvicleſus, nec unquam adverſus Ordinationes, quales tempore ſuo fiebant in Anglia, ut & in tota Eccleſia, reclamavit, licet malos Sacerdotes, nec ordinare, nec baptizare crediderit, nec, quamvis impetitus in multis, uſquam in his quæ Ordinis ſubſtantiam tangunt impetitus eſt. Unde neceſſum eſt ut in præſenti deceptus fuerit Thomas Valdenſis.

3 2. Vere quidem Lutheri ſenſum expreſſit Tournelyus: ſic ille, Lib. de captiv. Babilonica, ubi de Ordine, Tom. 2. pag. 296. fol. verſo: *Hoc Sacramentum Eccleſia Chriſti ignorat, inventumque eſt ab Eccleſia Papæ . . . . Non tamen damnandum cenſeo eum ritum per tanta ſecula celebratum: ſed in rebus ſacris nolim humana commenta fingi*. Et infra, fol. 298. & 299. *Agnoſcat itaque quicumque ſe Chriſtianum eſſe cognoverit, omnes nos æqualiter eſſe Sacerdotes, hoc eſt eandem in verbo & quocumque Sacramento habere poteſtatem: verum non licere quemquam hac ipſa uti, niſi conſenſu communitatis, aut vocatione majoris . . . . Quantum ergo e Scripturis docemur, cum miniſterium ſit id quod nos Sacerdotium vocamus, prorſus non video qua ratione rurſus nequeat Laicus fieri, ſemel Sacerdos factus, cum a Laico nihil differat niſi miniſterio*. Hujus ſui in

ſa-

ſacrum Ordinem furoris rationem illico ſubindicat fremens Novator. *Ceterum*, inquit, *niſi fallor*, *ſi ruat hoc Sacramentum & commentum aliquando*, *vix ſubſiſtet ipſe Papatus*, &c.

Verum ſubſiſtit Papatus, atque ipſe etiam Ordo ut Sacramentum, apud non infimos Lutheri diſcipulos. Etſi enim errorem ejus ſecuti ſunt Illyricus in Confeſſione Antuerpienſi, cap. 11. Kemnitius in 2. Part. Examinis, pag. 1162. & aliquando Philippus Melanchton, nempe in prima editione Operis cui titulus *Loci communes*; ipſe tamen in ſubſequis editionibus, potiſſimum anni 1558. quam præ oculis habeo, ſic loquitur, pag. 367. *Mihi maxime placet etiam* Sacramentis Baptiſmi, Cœnæ & Abſolutionis *addi Ordinationem* .... *quia hæc omnia mandato Evangelii præcipiuntur* .... *& eſt addita promiſſio omnium maxima*, &c. Id ipſum ſatis aperte docet in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, uti contra Kemnitium probat Bellarminus hic cap. 1. pag. mihi 953. 4

3. Calvinus, etſi multis in locis duo tantum Baptiſmi & Cœnæ Sacramenta admittit, alicubi tamen de Ordine tamquam de Sacramento loquitur. Sic Lib. 4. Inſtitut. cap. 14. num. 20. pag. mihi 265. *Abrogatis illis* Legis antiquæ Sacramentis, *duo* a Chriſto *Sacramenta inſtituta* .... *Baptiſmus & Cœna Domini*. *Loquor autem de iis quæ in uſum totius Eccleſiæ ſunt inſtituta*. *Nam impoſitionem manuum*, *qua Eccleſiæ Miniſtri in ſuum munus initiantur*, *ut non invitus patior vocari Sacramentum*, *ita inter ordinaria Sacramenta non numero*. Et cap. 19. nu. 31. *Supereſt impoſitio manuum*, *quam* ... *in veris*, *legitimiſque Ordinationibus Sacramentum eſſe concedo*, &c. 5

Ex adductis ſupra num. 3. Lutheri verbis non obſcure colligitur, errorem ejus circa præſens caput inde natum eſſe, quod ordinandi poteſtatem non primariis Eccleſiæ paſtoribus conceſſam a Chriſto fuiſſe crediderit, ſed toti Eccleſiæ, ſeu fidelium ſocietati, quæ multam ſui partem conſtat ex laicis. Unde ſicut ſocietas civilis Magiſtratus pro arbitrio inſtituere, & deſtituere, atque in privatum ſtatum redigere poteſt; ſic & Miniſtros ſuos inſtituere & exauctorare poſſunt Chriſtiani. Atque id ipſum eſt quod docuit Richerius Tract. de Eccleſ. & civili poteſt. Cap. 1. & 2. his verbis: *Omnis communitas*, *ſeu ſocietas perfecta*, ETIAM *civilis* (a fortiori Eccleſiaſtica), ut indicat vox *etiam*) *jus habet ut ſibi leges imponat*, *& ſe ipſam gubernet*: *quod quidem jus in prima ſua origine ad ipſammet ſocietatem pertinet*, *& quidem modo magis proprio*, *ſingulari & immediato*, *quam ad alium quemlibet privatum*; *cum in ipſo jure divino ac naturali fundamentum habeat*, *adverſus quod nec annorum tractu*, *nec locorum privilegiis*, *nec dignitate perſonarum præſcribi unquam poteſt*. Hæc doctrina quam utriuſque ordinis Principibus adverſa ſit, nemo eſt qui ſtatim non intelligat. Eidem caute vel incaute favit Quenellius hac ſua 90. propoſitione: *Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet*, *ut eam exerceat per primos Paſtores*, *de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis*, Sit jam 6

CONCLUSIO. Ordo Clericalis, ſeu ſacra Hierarchia, divino jure ſecernitur a laico ſtatu. 7

8 Prob. 1. Perfectius eſt legis novæ miniſterium, quam fuerit antiquæ; cum ex Apoſtolo paſſim, præcipue autem in Epiſtola tota ad Hebræos, Hebr. 10. 1. *Lex umbram haberet futurorum, non ipſam rerum imaginem*, ſeu veritatem, quæ ſoli novæ Legi competit. Atqui miniſterium antiquæ Legis ex divino jure ſolis Levitis annexum erat, ita ut nemo ipſum, ſeu proprio, ſeu alieno totius Judaicæ Societatis motu, citra grande piaculum exercere poſſet, hinc vivi terræ hiatu abſorpti ſunt Core, Dathan & Abiron, qui de procerum & infinitæ multitudinis conſenſu, thus Domino, licet de altera Tribu eſſent, adolere præſumpſerant, Num. 16. Hinc percuſſus lepra Ozias Rex Juda, eo quod & ipſe incenſum ſuper Altare Thymiamatis offerre voluiſſet, quod ipſius officiis non erat, *ſed filiorum Aaron, qui conſecrati* erant *ad hujuſcemodi miniſterium*; 11. Paralip. 26. 18. Hinc & Levitæ paſſim dicuntur de ſorte Domini; quia ſcilicet *a Deo* ſpecialiter vocati eſſent *tamquam Aaron*, Levitici Ordinis forma & exemplar; Hebr. 5. v. 4.

9 Ergo, inquies, naſci etiamnum debent Sacerdotes, ut olim apud Judæos. Atqui tamen in Chriſtiana Religione fiunt Sacerdotes, non naſcuntur.

10 Reſp. neg. ſequel. Qui enim in veteri lege Sacrum miniſterium uni Tribui alligaverat Deus, velle potuit & reipſa voluit ut in nova Lege ab omni Tribu & natione exerceri poſſet. Et vero in Sacerdotio novæ Legis tria occurrere debent; 1. perfectio intenſa, cum perfectionis magiſtri eſse debeant Sacerdotes; 2. diffuſio per totum Orbem, cum Eccleſia Chriſti quoquoverſum protendi debeat: 3. certa & conſtans perpetuitas; cum eadem Eccleſia uſque ad finem ſæculi perſeveratura ſit. Ad hæc autem tria quadantenus neceſſe fuit ut novæ Legis miniſterium a vocatione legitima penderet, non a nativitate. 1. namque *electio optimum quemque invenit*, ut obſervat Tacitus lib. 1. Contra ortus ſæpe vitioſum dat aut ineptum. 2. ſi Sacerdotium uni familiæ affixum fuiſſet, vix ac ne vix quidem per totum Orbem haberi potuiſſent Sacerdotes. Quæ enim familia ſatis ampla & viripotens ut univerſis mundi partibus Miniſtros ſuppeditet? 3. nec certo conſtitiſſet de legitima eorum ſucceſſione: cum annorum lapſu pereant, vel ad minus confundantur familiæ; quod & experta eſt Tribus Levi, quæ jam nullo negotio a ceteris diſcerni poteſt, proinde nec jam Sacerdotes habere aut ſacrificia offerre valet.

11 His adde æquum fuiſſe ut Judei non fierent, ſed naſcerentur Sacerdotes: tum quia facile contigiſſet ut gens rudis Sacerdotium haberet venale; quod a Chriſtianis cæleſtia ſola ſpirantibus, & plerumque ſacrum miniſterium, Ambroſii, Auguſtini & aliorum innumerorum exemplo refugientibus, longe minus eſt timendum; tum quia ad carnalis ſacrificii oblationem ſufficiebat carnalis propagatio; contra vero ad ſacrificium novæ legis, quod *in ſpiritu & veritate* offerri debet, ſpiritualis nativitas omnino neceſsaria eſt. Hinc docet S. Thom. 3. p. q. 22. ar. 1. Chriſtum noluiſse naſci *de ſtirpe figuralium* antiquæ Legis *Sacerdotum*, ne quaſi per viam carnis Sacerdos carnale nobis ſacrificium invexiſse videretur.

12 Inſt. Etſi, juxta nos divina fuit inſtitutio Levitici Miniſterii, conſtat

tamen

tamen antiquæ Legis Sacerdotes ab hominum arbitrio dependiſse. Si quidem Abiathar a ſummo ſacerdotio dejectus eſt per Salomonem, qui in locum ejus ſubrogavit Sadoc, III. Reg. 2. v. 27. Pari ratione ſub Antiocho Onias excidit a Pontificatu, & ſucceſſive Jaſon & Menelaus. Idem ſub Herodis imperio pluries contigit. Ergo.

Reſp. ea quæ per vim ab impiis Antiocho & Herode facta ſunt, in ar- 13
gumentum trahi non poſſe. Quod ad Salomonem ſpectat, non ſpoliavit is Abiathar Sacerdotali gradu, cum Abiathar cap. 4. ſeq. v. 4. una cum Sadoc Sacerdos eſse dicatur. Ergo ſubſiſtit ſemper in eo fundus ac veluti ſubſtantia dignitatis, licet non ſemper ſubſtiterit exercitium. Quid ergo? ejecit Salomon & exulare juſſit Abiathar propter crimen læſæ majeſtatis. Eo autem amoto, nec jam valente fungi miniſterio, quod extra templum Jeroſolymis conſtitutum non licebat; neceſse fuit ut alius vices ejus impleret. Has autem implevit Sadoc, qui jure proximus, immo prior erat, cum eſset de poſteritate Phinees, ut patet ex Paralip. 1. cap. 6. Vix autem dubium eſt quin ea de re intervenerit judicium Sacerdotale, ſine quo gravia hæc negotia non tractabantur. Quin &, ut notant Theodoretus, Procopius & alii, intervenerat divina Ordinatio, cujus executor fuit Salomon. Unde ibid. *Ejecit ergo Salomon Abiathar*, *ut* quantum ad functiones *non eſset Sacerdos Domini*, *ut impleretur ſermo Domini*, *quem locutus eſt ſuper domum Heli*, III. Reg. 2. 27.

Prob. 2. concluſio: Ille Ordo a Laicorum ordine primitus diſtingui- 15
tur, quem Chriſtus ſpeciali vocatione diſcrevit, quem ſpeciali ritu conſecravit, cui ſpecialia munia indixit. Atqui talis eſt Ordo Hierarchicus.

Et quidem 1. hunc diſcrevit vocatione ſpeciali; quando quidem plus poteſtatis dedit iis quos *elegit* Apoſtolus, quam ſeptuaginta Diſcipulis; & his indubie multo plus quam ceteris de plebe. Hinc Apoſtolus: *Nunc autem poſuit Deus multa quidem membra*, *unum quodque eorum in corpore ſicut voluit. Numquid* enim *omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores*, &c. 1. Corint. 12. v. 18. & 28. Hinc rurſum de ſe idem Apoſtolus, Galat. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem;* & Rom. 1. *Paulus ... ſegregatus in Evangelium Dei;* ſegregatus, inquam, *a Spiritu ſancto*, ut habetur Act. 13. 2. Is enim ſolus eſt *qui idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti*, II. Corinth. 3. v. 6. Atqui ſecundum hos textus, & alios id genus plures, Miniſtri Eccleſiæ ſpecialiter eliguntur, ſegregantur a ceteris per Spiritum ſanctum, conſtituuntur Apoſtoli & *Paſtores*, ut regant *Eccleſiam Dei*, Epheſ. 4. v. 11. & Act. 20. 28. Ergo ſtat 1. eoſdem vocatione ſpeciali diſcerni ab aliis.

2. Ipſum hunc eorum Ordinem ſpeciali ritu conſecravit Chriſtus & 16
conſecrari voluit. Ipſe ſcilicet Evangelii Miniſtros inauguravit per inſufflationem & infuſionem Spiritus ſancti. Jo: 20. 22. *Hæc cum dixiſset*, nimirum *ſicut miſit me Pater & ego mitto vos*, *inſuflavit. & dixit eis*: *Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata*, *remittuntur eis*, &c. Sed & eoſdem deinceps per ritum impoſitionis manuum conſecrari voluit; ut patet tum ex II. Timoth. 1. v. 6. ubi Paulus: *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei*, *quæ eſt in te per impoſitionem manuum mea-*

rum, tum Act. 6. v. eod. ubi de Diaconorum ordinatione dicitur: *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*. Quæ omnia, Deo dante, ex dicendis illuceſcent & firmabuntur.

17 3. Demum Chriſtus ſpecialia eidem ſacro Ordini munia indixit. Quos enim idoneos fecit Miniſtros Novi Teſtamenti; quos conſtituit diſpenſatores Myſteriorum Dei; quos poſuit cuſtodes gregis, & rectores Eccleſiæ; quos in opus ſuum diſtincte ſegregavit; iis utique ſpecialia & grandia munia commiſit Chriſtus. Atqui Chriſtus eos quos *vocavit* & elegit Diſcipulos, *idoneos fecit Miniſtros Novi Teſtamenti*, II. Corinth. 3. Eoſdem conſtituit diſpenſatores Myſteriorum ſuorum: *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*, I. Corinth. 4. v. 1. Rurſum hos poſuit cuſtodes gregis & rectores Eccleſiæ: Act. 20. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Demum & eos quoque in opus ſuum ſegregavit; Ibid. 13. 2. *Dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos*. Ergo.

18 Prob. 3. Ille Ordo ab alio quocumque ſtatu eſſentialiter diſtinctus eſt, & quidem in genere Hierarchiæ, qui plura habet membra, non modo laico ſtatu, ſed etiam alia aliis quoad auctoritatem divino Jure ſuperiora. Atqui talis eſt Sacer Miniſtrorum Ordo. Major patet ex allata cap. præced. nu. 10. Hierarchiæ definitione. Prob. itaque minor per partes.

Et quidem 1. Sacer Ordo plura habet membra. Neque enim idem eſt Epiſcopus qui Presbyter, neque idem Presbyter qui Diaconus, uti fuſe ſuo loco probabitur.

19 2. Ex membris illis alia aliis ſunt quoad auctoritatem ſuperiora: ſeu ex parte Ordinis; cum poſſit Epiſcopus Epiſcopum alium & inferiores Miniſtros conſecrare; quod non poteſt Presbyter: ſeu ex parte Juriſdictionis, cum ſimplex Sacerdos cenſuras decernere non poſſit, quod ex perpetuo ſeculorum omnium uſu poteſt Epiſcopus, uti Tom. 4. probavimus.

20 3. A fortiori eadem membra laicis ſuperiora eſſe debent: cum nihil eorum poſſint laici, quæ poſſunt Clerici etiam inferiores.

21 4. Demum hæc ſuperioritas non aliunde, quam a divino Jure oriri poteſt. Neque enim homo homini poteſtatem tribuere poteſt, ſeu dimittendi aut retinendi peccata; ſeu efficiendi ut qui Eccleſiam non audit, vel ſit ut *Ethnicus & Publicanus*, Matth. 18. vel ſatanæ tradatur *in interitum carnis*, prout traditus eſt inceſtus ille de quo I. Corinth. 5. Ergo.

22 Prob. 4. Id nunc de ſacro Statu ſentiendum eſt, quod tota de eo a primis temporibus ſenſit Eccleſia. Atqui tota Chriſti Eccleſia ſacri Status Miniſtros ſemper a laicis, & quidem ſummopere diſtinxit;

23 1. Quoad nomen. Siquidem Eccleſiæ Miniſtri paſſim in antiquis monumentis vocantur Clerici; *vel quia*, ut obſervat Hieronymus in Epiſt. ad Nepotianum, Tom. 4. part. 2. p. 259. *Clerici ſunt de ſorte Domini*; *vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt pars Clericorum eſt*: ideo autem de ſorte Domini vocantur, quia ad eum ſpeciali jure pertinent;

eum.

eumque abdicatis *ſecularibus negotiis*, ut hæreditatis ſuæ partem arripiunt. Jam vero Clericorum nomen numquam laicis inditum eſt; 2. nec inditum eſſe potuit; quia licet vocatione ſancti ſint, non ſunt tamen ſtricto ſenſu de ſorte Domini; ſicut nec vero & proprio ſenſu de ſorte Domini erant ceteri Judæi præter Levitas, quorum *Dominus ipſe* ſors erat ſeu *hæreditas*, Deuteron. 18. 2. Ad quod alludentes qui in Clerum coaptantur, ajunt: *Dominus pars hæreditatis meæ*.

2. Quoad officia; cum laici nedum ſacra peragere poſſent, imo nec calices apud ſe domi poſſent retinere; ut hinc patet, quod cum S. Athanaſius accuſatus eſſet de fracto apud Iſchyram calice; calumniam hanc eo momento retuderunt Alexandrini Patres, quod *homo privatus*, ſeu ſęcularis, *in privata domo habitans*, *poculum myſticum ſibi concreditum habere* non poſſet *. 24

3. Quoad honorem, qui Sacerdotio major ſemper exhibitus eſt, 25
quam ceteris dignitatibus: *Cuncti*, ait S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Trallianos, (edit. Cotel. p. 863.) *revereantur Diaconos ut mandatum Dei Jeſu Chriſti*, *& Epiſcopum ut eum qui eſt figura Patris*; *Presbyteros autem ut conſeſſum Dei*, *& ut conjunctionem Apoſtolorum: ſine his Eccleſia non vocatur*. Neque ſummam hanc erga Clerum reverentiam ſola Cleri membra præcipiebant. Hanc voce & factis piiſſimi quique Principes, ſtatim ut Evangelio adhæſere, profeſſi ſunt. Nota eſt pia illa Conſtantini Magni reſponſio ad eos qui adverſus Coepiſcopos quoſdam opem ejus implorabant: *Deus vos conſtituit Sacerdotes*, & *poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; & ideo nos a vobis recte judicamur*, *vos autem non poteſtis ab hominibus judicari*. Et iterum: *Meum judicium poſtulant*, *qui judicium Dei expecto*. Rufin. lib. 1. c. 2.

4. Quoad dignitatis ſemel receptæ perſeverantiam. Hinc Tertullia- 26
nus lib. de Præſcript. cap. 41. quoſdam ſui temporis Hæreticos eo deridet, quod e Clericali ſtatu ad ſęcularem, e ſęculari ad Clericalem remearent: *Ordinationes eorum*, inquit, *temerariæ*, *leves*, *inconſtantes .... Nuſquam facilius proficitur*, *quam in caſtris rebellium*, *ubi ipſum eſſe illic*, *promereri eſt*. *Itaque .... hodie Diaconus*, *qui cras Lector*; *hodie Presbyter*, *qui cras Laicus*, &c. Ergo Eccleſia ſemper judicavit Clericalem a Laicorum ſtatu ſubſtantialiter diſcrepare.

Prob. 5. Ubi ſunt actus hierarchici certo ſtatui divinitus annexi, 27
ibi Hierarchiam tamquam ſtatum ab aliis divinitus ſecretum admittere neceſſe eſt; quemadmodum ubi ſunt actus eſſentialiter humani, ibi hominem agnoſci oportet. Atqui

1. In Eccleſiaſtico Miniſterio ſunt actus hierarchici Ii; enim actus, 28
juxta Auctorem Libri de Hierarchia cæleſti ab omnibus hac ſaltem in parte receptum, ſunt *Ordo ſacer*, ſeu poteſtas divinitus ordinata, *ſcientia & actio*. Atqui tria hæc in miniſterio Eccleſiaſtico reperiuntur. Reperitur quidem divina poteſtas, Clavium ſcilicet, Matth. 16. 19. hæc autem poteſtas ſignificat jus peragendi in Eccleſia quidquid ad ejus regimen ſpectat. Unde ſicut qui domus vel civitatis claves habet, alios admittit, alios rejicit; hunc ligat, iſtum ſolvit, &c. ſic qui

* Vide opera S. Athanaſii, Tom. 1. p. 154. Iſchyram Presbyterum eſſe negabant Patres Alexandrini, quia a Collutho, falſo Epiſcopo, fuerat ordinatus.

qui Eccleſiæ claves habet, ſolvit pœnitentes, rebelles ligat per cenſuras, &c. Reperitur etiam ſcientia, qua nempe Miniſtri *quid faciendum ſit intelligant*, ut ſcribit Hugo Victorinus, lib. 4. Annot. in Hierarchiam. Demum reperitur & actio, *qua quod intellexerint*, a ſe & ab aliis *agendum perficiant*; idem ibid. Hinc hodieque Miniſtri ſacri populos ſibi ſubditos *purgant* ab ignorantia & peccatis, *illuminant* edocendo præſtantiora, *perficiunt* edocendo præſtantiſſima.

29 Neque tamen Scientia, aliave Chariſmata aut actio, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſunt eſsentialia, quia iis deficientibus, ut de facto, quod ſumme dolendum, in pluribus miniſtris deficiunt, remanet ſemper character Sacerdotalis, qui ſacri Eccleſiæ principatus baſis eſt & fundamentum. Hinc reprobata a Synodo Conſtantienſi hæc Wicleſi propoſitio, num. 1. *Si Epiſcopus vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat*, &c. Sunt igitur actio & ſcientia, conditiones ſine quibus non adeo prodeſt Hierarchia; quod in grande tum Miniſtri ipſius, tum & populi præjudicium cedit.

30 Prob. denique 6. ſi Ordo ſit indelebile Sacramentum, certo ſtatui proprium, non autem omnibus commune; neceſse eſt ut peculiarem ſtatum, proinde ab alio quocumque diſtinctum conſtituat: quomodo ferme ſtatus Baptizatorum a ſtatu eorum qui baptizari recuſant, omnino diverſus eſt. Atqui Ordo & Sacramentum eſt indelebile, &c. Quæ abunde ex dicendis innoteſcent. Ergo fatendum eſt Sacerdotes Chriſti primitus & eſsentialiter diſtare a laicis. Neque id ſolius Eccleſiæ proprium eſt; cum Miniſtri Religionis cujuſque, veræ aut falſæ, a reliqua plebe ſemper diſcreti fuerint. Sic ante Moſaicam Legem, primogeniti; * ſub Lege, Sacerdotes Levitici; ipſos inter ethnicos ſelecti quidam a populo, quin & ſpeciali aliquo ritu inaugurati, ſacrificia offerebant. Ita ex parte Hallerius cap. 2. Prolegomenon de ſacris electionibus.

Solvunutur Objectiones.

31 Objic. 1. Eos inter nulla eſt diſtinctio, quos Baptiſmi gratia omnes unius ejuſdemque Ordinis effecit. Atqui Baptiſmi gratia Chriſtianos omnes ... Prob. min. ex Galat. 3. 27. & 28. ubi ſic Apoſtolus. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber; non eſt maſculus, neque femina. Omnes enim vos* UNUM *eſtis in Chriſto Jeſu*. Porro qui omnes UNUM ſunt, unius ſunt ordinis.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. Omnes unum ſunt in ordine ad ſalutem per Chriſtum conſequendam, C. Omnes unum ſunt quoad Miniſterium Eccleſiaſticum, N. Senſus Apoſtoli eſt, omnes qui in Chriſto regenerati ſunt, cujuſcumque ſint Regionis, conditionis, aut ſexus, ad ſalutem vocatos eſse; quia diffuſo jam ubique Evangelio nihil præ Græcis prærogativæ habent Judæi. *In veritate comperi*, ajebat S. Petrus Act. 10. 34. *quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*, quod & docet Paulus, Rom. 2 ubi: *Non*

* Vide Hieronymum in qq. Hebraicis ad locum ex cap. 17. Geneſis, & Abulenſem in cap. 25. Geneſ. n. 76.

Non eſt acceptio perſonarum apud Deum, unum enim *corpus ſumus, & unus ſpiritus in una ſpe vocationis*. At ne quidem Apoſtolo venit in mentem, ut Chriſtianos omnes quantum ad functiones ſacras unum eſſe vellet. 1. quia juxta ipſum Rom. 12. & I. Cor. 12. Non *omnes* ſunt *Apoſtoli*: non *omnes Prophetæ*, &c. 2. quia non magis Chriſtiana profeſſio tollit Cleri a plebe diſcrimen, quam Domini a ſervo, vel maſculi a femina diſcrimen auferat; 3. quia ſi in Chriſto *omnes unum* omnino eſſent quoad ſacras functiones, non modo validum ſed & licitum foret Baptiſma a feminis collatum. Atqui tamen adverſarii Baptiſma iſtud, alii quidem illicitum, aliis prorſus invalidum eſſe credunt, uti oſtenſum eſt in Tract. de Bapt. cap. 5. Ergo & hic, ut in aliis pluribus, *mentita eſt iniquitas ſibi*.

Inſt. 1. qui vere ſunt de Clero, vere unum ſunt quoad ſacra munia. Atqui per Baptiſmum Fideles omnes vere ſunt de Clero. Prob. min. ex I. Petri 5. v. 2. ubi hæc: *Paſcite qui in vobis eſt Gregem Dei, providentes non coacte . . . neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo*, ubi grex totus, ſeu tota Eccleſia, *Cleri* nomine appellatur: quapropter ea definitur a Cypriano: *Plebs adunata Paſtori*. Quod autem vera & propria ſit iſta hæc Cleri appellatio ambigi non poteſt. Clerus enim idem eſt ac ſors & hæreditas. Atqui Fideles omnes ſunt ſors & hæreditas Chriſti, qui Eccleſiam ſuam *acquiſivit ſanguine ſuo*, Act. 20. 33

Reſp. 1. neg. min. & dico textum B. Petri niſi, ut nonnullis placet, de bonis in uſum ſacri Miniſterii deputatis exponatur, non inepte de Clero Eccleſiaſtico in varios ordines & gradus diſtributo intelligi, prout a SS. Hieronymo, Ephrem, Bernardo, & Patribus VII. Synodi generalis intellectus eſt, uti apud Tirinum videris. Et vero nil mirum, ſi Apoſtolus, dum primiores Eccleſiæ Miniſtros graviter monet, ut totum gregem paſcant, obiter & raptim moneat ne inferioribus Miniſtris, elatiore imperio, inceſſu graviori, triſti ſupercilio, auſtera voce dominari affectent. Unde Hieronym. Epiſt. ad Novat. (Tom. 4. part. 2. pag. 261.) *Epiſcopi Sacerdotes ſe eſse noverint, non dominos: honorent Clericos quaſi Clericos, ut & ipſi quaſi Epiſcopis honor deferatur*, &c. porro juxta expoſitionem hanc, quam ex verbo Dei, (licet iſtud nunquam deſit novatoribus) haud ipſi revincere poſſunt, nihil contra nos; imo multum pro nobis; cum & ipſi Seniores, & ceteri de Clero aperte ſecernantur ab aliis. Et vero ad quid tot monita ut Seniores provide, leniter, citra lucri ſtudium, gregem paſcant, ſi hodie a populo inſtituti, cras ab eodem deponi poterant. 34 Can. 4.

Reſp. 2. Dato, vel etiam conceſſo, quod apud Petrum nomine *Clerorum* intelligatur Eccleſia tota, cujus, non autem ſolius Cleri proprie dicti *forma* eſſe debent paſtores *ex animo*: R. inquam, diſt. min. Fideles omnes ſunt de Clero, latiori ſignificatione ſumpto, C. de Clero ſumpto ſtrictiori ſenſu quem nunc expendimus, N. Itaque ſe habet Chriſtiana plebs ad nomen Cleri, ſicut plebs Judaica. Atqui plebs Judaica, licet non raro in Scripturis vocetur *Clerus*, ſeu ſors & hereditas Domini, eo quod cultui ejus ſpecialiter dicata foret; non tamen proprio illo & ſtricto ſenſu de Clero erat, quo Levitæ; cum præter eos nemo Sacerdotalia munia 35

exer-

exercere poſſet. Ergo a pari, quin & fortiori, Chriſtiana plebs ad Clerum rigoroſe ſumptum non pertinet.

36 Inſt. 2. Illi ad Clerum ſtricte pertinent, qui Sacerdotes ſunt, & ex Sacerdotio jus habent offerendi hoſtias & Sacrificia. Atqui fideles omnes, 1. Sacerdotes ſunt. Siquidem 1. Petri 2. 5. de fidelibus univerſis dicitur: *Ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſanctum Sacerdotium;* & v. 9. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium.* Conſonat id Apocal. 5. 10. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes:* & cap 20. v. 6. *Sederunt Sacerdotes Dei & Chriſti.* 2. Idem jus ex Sacerdotio habent offerendi *Hoſtias*, Petri, 2. & Sacrificia: cum *omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus* conſtituatur *ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, Hebr. 5. 1. Ergo.

37 Reſp. diſt. maj. qui Sacerdotes ſunt Sacerdotio ſpeciali & per impoſitionem manus, C. Sacerdotio generali, & per ſolam unctionem gratiæ, qui tantum dat jus offerendi ſpirituales hoſtias, N. ſic diſt. min. nego Conſeq. Sacerdotium duplex: aliud ſpeciale, quod nec uſquam fidelibus univerſis, nec uſquam ſine certis quibuſdam ritibus traditum eſt; quodque ad obeunda Eccleſiæ munia ordinatur. Aliud commune, quo fideles ſinguli, mulieres etiam, pueri, neophyti, quin & Cathecumeni, a gratia unguntur, ut ſe ipſos in hoſtiam & ſacrificium Deo offerant. Poſtremum hoc Sacerdotii genus ad ſacra munia non ſufficit, ut quod pure ſit metaphoricum, & ipſis etiam feminis competat, quas a ſacris abigunt Proteſtantes. Ergo ſi de hac tantum Sacerdotii ſpecie loquantur objecti ex S. Petro & Apocalypſi textus, nihil prorſus ab ipſis contra Eccleſiæ doctrinam extundi poteſt. Atqui certo certius conſtat in objectis textibus ſermonem dumtaxat haberi de metaphorico hoc Sacerdotio 1. quia Sacerdotium de quo loquitur Petrus, offert *Spirituales Hoſtias*. Porro ſpirituales hoſtiæ ſunt hoſtiæ *Laudis*, cantica, gratiarum actiones, ſacrificium cordis tribulati, &c. 2. quia Sacerdotes, quos recenſet idem S. Petrus, eo modo Sacerdotes dicuntur, quo *lapides vivi*, *domus Spiritualis*, *Regnum* ſeu reges: Atqui non alio quam figurato ſenſu reges ſunt, lapides vivi, &c. Reges quidem, quia, ut ait Gregorius M. lib. 26. Moral. c. 28. (Tom. 1. pag. 837. n. 53.) *Prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frænant; modo æſtum avaritiæ temperant*, &c. Lapides autem, quia *ſcalpri ſalubris ictibus & tunſione plurima expoliti*, Cæleſtis Jeruſalem mœnia componunt; 3. quia ſacerdotium, de quo S. Petrus ſanctitatem requirit, ideoque *ſanctum* dicitur, & ſolum a lapidibus vivis offerri poteſt. Porro ſacra Eccleſiæ munia ab impiis etiam valide exercentur. 4. quia alludit S. Petrus ad hæc verba Exodi cap. 19. n. 6. *Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale*. Atqui conſtat non omnes in veteri Teſtamento fuiſſe Sacerdotes ſtricte dictos; ſed eos ſolum qui erant de progenie Aaron. Ergo ceteri myſtice tantum & ſpirituali ſenſu Sacerdotes dicebantur. 5. demum quia quos S Petrus vocat reges & Sacerdotes in via, ii ipſi ſunt quo Sanctus Joannes reges vocat & Sacerdotes in patria. Atqui ſancti in patria non ſunt ſtricte Sacerdotes, ſicut non ſtricte reges; quia nec Eccleſiaſticas functiones obire, nec ſubditos legibus coercere valent. Ergo.

Hebr. 13. 15.

38 Obj. 2. vel Inſtabis: Eo modo intelligi debet Sacerdotium quod Scriptura

perta univerſis fidelibus attribuit, quo ipſum intellexit veneranda An-
tiquitas. Atqui hæc Sacerdotium iſtud ſenſu rigoroſo intellexit. Prob.
min. ex Tertulliano, cujus textum quia multi ſit momenti, totum ex-
hibere placet. Sic ille Lib. de exhort. caſtitatis, cap. 7. (pag. 522.) *Inde
igitur apud nos plenius atque inſtructius præſcribitur, unius Matrimonii eſſe
oportere qui adleguntur in Ordinem Sacerdotalem: uſque adeo memini quoſ-
dam digamos loco dejectos. Sed dices: Ergo ceteris licet, quos excipit? Va-
ni Orimus; ſi putaverimus, quod Sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne
& laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt; Regnum quoque nos & Sacerdotes
Deo & Patri ſuo fecit. Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ
auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo. Ubi Eccleſia-
ſtici Ordinis non eſt conſeſsus, & offers, & tingis*, ſeu baptizas, *& Sacer-
dos es tibi ſolus. Sed ubi tres Eccleſia eſt, licet laici: unuſquiſque enim ſua
fide vivit, nec eſt perſonarum acceptio apud Deum . . . Igitur ſi habe jus
Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habeas etiam oportet Diſciplinam Sa-
cerdotis, ubi neceſse ſit habere jus Sacerdotis. Digamus tingis? Digamus of-
fers? Quanto magis Laico digamo capitale eſt agere pro Sacerdote; cum ipſi
Sacerdoti digamo facto auferatur agere Sacerdotem. Sed neceſſitati, inquis,
indulgetur. Nulla neceſſitas excuſatur, quæ poteſt non eſse. Noli denique di-
gamus deprehendi, & non committis in neceſſitatem adminiſtrandi quod non
licet digamo*. Ex iis ſic: Qui Chriſtianis omnibus ſecundas nuptias pro-
hibet, eo quod bigamia Sacerdotibus omnibus prohibita ſit, ille Chri-
ſtianos omnes habet pro Sacerdotibus. Atqui Tertullianus ſecundas nu-
ptias, &c.

Reſp. ad 1. neg. min. Neque enim unius aut alterius Patris opinio 39
venerandam antiquitatem conſtituit, ſed moralis Patrum conſenſus.
Porro multum ſub pontibus noſtris defluet aquæ, priuſquam probave-
rint Adverſarii, ceteros Patres eodem locutos eſſe modo, quo in præ-
ſenti loquitur Tertullianus. Ergo, quidquid demum ſenſerit, nihil ex
ipſo inferri poteſt; præſertim cum exiſtiment viri graves, eum, quo
tempore Librum de exhortatione Caſtitatis ſcripſit, ad Montani partes
defeciſſe. Neque tamen reipſa Tertullianus diſſentit a ceteris. Unde.

Ad 2. diſt. maj. Qui Chriſtianis omnibus bigamiam prohibet, habet 40
Chriſtianos omnes pro Sacerdotibus remote & diſpoſitive, C. habet
Chriſtianos omnes pro Sacerdotibus actu & de facto, Subd. habet pro
Sacerdotibus Sacerdotio ſpiritali & improprie dicto, C. pro Sacerdoti-
bus, qui vere & proprie tales ſint, N. Si Tertullianus eo ſolum Chriſtia-
nos a bigamia deterreat, quia ſemper diſpoſiti eſſe debent ad recipien-
dum ex Eccleſiæ mandato Sacerdotium, cujus incapaces ſunt bigami, jam
Sacerdotes expreſſe diſtinguit a laicis, nedum hos in Sacerdotes erigat:
Nemo enim id recepit, ad quod recipiendum diſpoſitus eſſe debet. Atqui
Tertullianus ideo ſolum laicis interdicit bigamiam, quia vult ut nihil ha-
beant quo a Sacerdotio deinceps recipiendo impediri poſſint. Sic enim
loquitur ibid. *Omnes nos Deus ita vult eſse diſpoſitos, ut ubique Sacramentis
ejus obeundis apti ſimus . . . Uſque adeo niſi & laici ea obſervent per quæ
Presbyteri adleguntur, quomodo erunt Presbyteri, qui* nonniſi *de laicis ad-
leguntur? Ergo pugnare debemus, ante laicum juſſum a ſecundo Matrimo-
nio abſtinere, dum Presbyter eſse non alius poteſt, quam laicus, qui ſemel
fue-*

fuerit maritus. Ergo non cenſet Tertullianus bigamiam laicis eſſe interdictam, quia jam ſint proprie & formaliter Sacerdotes; quomodo enim laici, ſi jam Sacerdotes? Sed quia nihil habere debent, unde a Sacerdotio excludi debeant. Secunda diſtinctionis noſtræ pars ex reſponſione ſequenti illuceſcet. Interim adverte Tertullianum, ardentioris ingenii hominem, minus recte hoc in loco ratiocinari, quia nimium generaliter. An enim muti, cæci, ſemihebetes, Reges ipſi, ad ſacerdotium diſpoſiti eſſe debent? Ut quid ergo his omnibus indicit monogamiæ legem?

41 Inſt. 1. Ille Chriſtianos omnes non ſolum diſpoſitive, ſed proprie & formaliter Sacerdotes eſſe docet, qui docet eiſdem competere jura Sacerdotum propria. Aqui Tertullianus ... Siquidem baptizare & offerre propria ſunt Sacerdotum jura. Atqui utrumque illud jus Chriſtianis univerſis adſcribit Tertullianus. *Et offers*, inquit, *& tingues, & ſacerdos es tibi ſolus*, &c. Ergo.

42 Reſp. ad 1. neg. min. Ad 2. diſt. maj. Baptizare ſollemniter, & offerre Euchariſtiam, conſecrando propria ſunt Sacerdotum jura, C. Baptizare in caſu neceſſitatis, & offerre per animi unionem cum Sacerdote, N. Itaque Fideles omnes & in caſu neceſſitatis baptizant, quod & infideles præſtare poſſunt; & cum Sacerdote conjunctis animis offerunt ſacrificium. Verum neutra hæc functio Sacerdotalia jura demonſtrat Utraque enim ipſis etiam feminis competit; cum & aliquando baptizent, & una cum Sacerdote & ceteris aſtantibus ſpiritualiter offerant *ſacrificium laudis*, ut habet Canon Miſſæ.

43 Inſt. 2. Tertullianus ibidem ait: *Ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis*. Ergo id facit abſente Presbytero Laicus, quod faceret præſens Sacerdos. Atqui præſens Sacerdos & ſollemniter baptizat, & ſacrificium proprie dictum offert. Ergo idem aliquando ſaltem facit Laicus; proinde eſt vere Sacerdos, licet non ſemper Sacerdotii ſui functiones exercere valeat.

44 Reſp. diſt. maj. Laicus id facit ſuo modo, quod facit Sacerdos, C. id facit eodem modo & quantum ad omnia quod facit Sacerdos, N Quemadmodum igitur juxta Tertullianum Deus eſt Corpus ſuo modo, neque tamen proprie & ſtricte eſt Corpus; ſic & laici ſuo modo faciunt quod faciunt Sacerdotes, neque tamen id eodem modo faciunt, ſic, ut de Baptiſmo ſileam, quem etiam ab Ethnicis dari poſſe ſuo loco probavimus, offerunt laici, ſed numquam ut Sacerdotes. Sacerdotes enim realiter offerunt & conſecrant: laici vero offerunt ſpiritualiter, neque conſecrant, aut conſecrare intendunt. Plus tamen ſub Tertulliani tempus faciebant abſente Presbytero, quam eodem præſente: Tunc enim antequam Euchariſtiam, quam ſuas in domos aſportaverant, reciperent, nonnullam Liturgiæ ſacræ ſpeciem adumbrabant. Nimirum legebant aliquid Scripturæ, preces fundebant, corpus Chriſti, vel, eo deficiente, panem qui ejus imago foret, ipſi Chriſto offerebant. Ergo nedum ex ambiguo oblationis nomine, quo utitur Tertullianus, inferri poſſit æquam fuiſſe laici & Sacerdotis conditionem, contrarium prorſus inferri debet. Et vero ſi hæreticos ridet Tertullianus, Lib. de Præſcription. capit. 41. quia *Laicis Sacerdotalia*

lia injungunt; qua demum ratione Laicos habuiſſet pro Sacerdotibus?

Ambiguum dixi *oblationis* nomen, quia apud veteres, ut & apud nos, ſæpius oblationem conſecratoriam ſonat, quandoque autem meram rei non ſacræ præſentationem. Sic Tertullianus ipſe de marito loquens, Lib. de Monogamia, c. 10. *Et offers*, inquit, *annuis diebus dormitioni ejus*. Sive contra de uxore loquens Gregorius Magnus Lib. 4. Dialog. cap. 7. *Pro quo*, captivo conjuge, *conjux ſua diebus certis ſacrificium offerre conſueverat*. 45

Inſt. demum: vult Tertullianus ut eadem ſit Laici diſciplina, quæ Sacerdotis, quia idem Laici *jus* eſt quod Sacerdotis. Atqui diſciplinæ æqualitas omnimodam Juris æqualitatem ſupponit. Ergo. 46

R. neg. min. Ut enim eamdem a Laico & a Sacerdote diſciplinam quantum ad ulteriores nuptias exigeret Tertullianus, ſatis ei erat ut omnes Laici diſpoſitive Sacerdotes eſſent; & quatenus Chriſtiani certas obirent functiones, quas a bigamis decenter obiri poſſe non exiſtimabat. Hanc autem fuiſſe ejus mentem liquet ex dictis. Neque id mirum, ſi quod nonnulli credunt, ſecundas nuptias uti malas rejecerit. De hoc argumento relegantur quæ diximus in Tract. de Euchar. part. 1. cap. 5. pag. 441. & ſeq. 47

Obj. 3. ubi eſt Hierarchia, ibi eſt principatus ſacer. Atqui in Eccleſia nec eſt principatus, nec ſacer principatus. Non 1. quandoquidem Chriſtus Apoſtolis ſuis quocumque principatu interdixit, Matth. 20. v. 25. & 26. ubi: *Principes gentium dominantur eorum... Non ita erit inter vos*, &c. Non 2. quia tertiæ Hierarchiæ Angeli ſacrum in homines principatum exercent; aliique præſunt Regnis, Provinciis & toti Eccleſiæ, ut conſtat ex cap. 10. Danielis, v. 13. & 20. ubi alius vocatur Perſarum Princeps, alius Græcorum, alius, nempe Michael, Synagogæ defenſor: Alii vero privatos homines regunt & moderantur, ſecundum id Exodi 23. v. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via*, &c. & Pſalm. 90. *Angelis ſuis mandavit de te ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, &c. Unde Hebr. 1. v. 14. vocantur *omnes adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capient ſalutis*. Ad quid porro hominum principatus, ubi tam ſublimem exercent Angelicæ virtutes? 48

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. 1. part. Chriſtus ſuis interdixit principatu imperioſo, auſtero, propriæ utilitati mancipato, qualem exercere ſolebant *Principes gentium*; qualem & ii gerebant, de quibus dicitur Ezechiel. 34. *Cum auſteritate imperabatis & cum potentia*, C. interdixit principatu pio, vere Eccleſiaſtico, in ſuam & alienam utilitatem intento, N. Itaque vetat Chriſtus ne Diſcipuli ſui in eo quod præſunt, aliud ſpectent quam ſubditorum utilitatem; ne ſubditos regant more principum, qui etiam boni ad terrorem gladium portant, atque externo multi ſatellitii apparatu potentiam ſuam oſtendunt. At non vetat ne vere præſint, ne leges condant, ne rebelles tradant Satanæ. Vult enim ut habeant ſe *ſicut Filius hominis, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*. Atqui nemo dicere auſit defuiſſe Chriſto poteſtatem condendi leges, dandi præcepta, tranſgreſſores plectendi 49

Immo qui hæc omnia præſtant animo vere paſtorali, non modo non dominantur, ſed reipſa ſerviunt, & quidem, ait Chryſoſtomus, Hom. I. in Epiſt. ad Titum, *innumeris Dominis, qui contraria cupiunt ſemper & dicunt*. Unde de ſemetipſo S. Gregorius, Lib. 9. Epiſt. 38. *Per Epiſcopatus onera ſervus ſum omnium factus*: quod de ſe quilibet Pontifex ſubinde profeſſus fuit, hunc diplomatibus ſuis & epiſtolis titulum præfigendo: *Servus ſervorum Dei;* ſervus tamen more Apoſtoli, qui cum omnium ſervum ſe feciſſet, ut plures lucrifaceret, I. Corinth. 9. v. 10. ſcribit II. Corinth. 10. 6. ſe *in promptu* habere *ulciſci omnem inobedientiam;* ſibique præſto eſſe arma, non equidem carnalia, ſed *potentia* Deo, ſeu per Deum plene valentia *ad deſtructionem munitionum*, &c. ibid. v. 4.

50 Immo advertendum contra heterodoxos, nuſquam a Chriſto prohibitum fuiſſe, ne Sacerdotium & Principatus politicus in eadem perſona ſociarentur. Si enim utraque poteſtas ita ſit ordinata, ut altera alteri ſervire debeat, civilis quidem Eccleſiaſticæ, ſecundum id Iſaiæ, 60 v. 10. & 12. *Reges eorum miniſtrabunt tibi ... Gens enim & regnum quod non ſervierit tibi, peribit*: Eccleſiaſtica vero civili, ut *omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ſubdita ſit*, Rom. 13. verſ. 1. & 5. Quidni duplex illa poteſtas ſub duplici titulo in una eademque perſona citra permixtionem ſubſiſtat, & ſibi mutuam opem ferat eo efficacius quo celerius?

51 Nec obeſt quod ex Apoſtolo II. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Unde S. Bernardus, Lib. 2. de Conſid. ad Eugenium, cap. 6. n. 2. *Si utramque* poteſtatem *ſimiliter habere voles, perdes utramque... Forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio*. Non obeſt, inquam: Vetat enim equidem Apoſtolus, ne quis ad victum, veſtitum, & alia vitæ hujus onera implicet ſe mundanis occupationibus, negotiiſve, quæ & fraudibus aditum reſerant, & mentem a Deo retrahunt; quales eſſe ſolent mercatura, negotiatio, &c. At nec ſæculare quodvis negotium prohibet, cum ipſe artis ſcenofactoriæ exercitio vitam toleraret; nec politico regimine interdicit. Sane, ait Pariſienſis Magiſter, intempeſtiva admodum fuiſſet ejus commonitio; cum Timotheo & aliis Eccleſiæ Miniſtris vix per infideles tunc temporis liceret vivere, nedum imperare.

Hab. To. 7. p. 281.

52 Quod ſpectat ad S. Bernardum, non improbat is temporalem Rom. Pontificis principatum, quem a viris ſanctis plus minuſve poſſeſſum eſſe noverat: ſed monet Eugenium ne inſtar dominantis, poteſtate ſibi non a Chriſto primitus, ſed ab hominibus conceſſa, utatur ad pompam & faſtum, non vero ad Eccleſiæ utilitatem. *Eſto*, inquit, *ut alia quacumque ratione hæc* temporalia *tibi vindices, ſed non Apoſtolico jure. Nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit: Quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem ſuper omnes Eccleſias*. Et vero, ſi temporariam Papæ auctoritatem veluti contra Dei interdictum uſurpatam credidiſſet S. Doctor, credidiſſet ex conſequenti nulla Rom. Pontificibus deberi tributa. Id porro nedum crediderit uſquam, Romanos cives acriter perſtrinxit Epiſt. 244. eo quod vectigalia Sedis Apoſtolicæ ſibi

arri-

arriperent, & Papam antiquo more, decimis & oblationibus contentum vivere juberent.

Merito igitur Tridentina Synodus Seſſ. 23. cap. 1. & 2. *Sacrificium & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo Teſtamento ſanctum Euchariſtiæ Sacrificium viſibile ex Dei inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum eſſe & externum Sacerdotium..... Cum autem divina res ſit tam ſancti Sacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit, quo dignius & majori cum veneratione exerceri poſset, ut in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures & diverſi eſsent Miniſtrorum Ordines, qui ſacerdotio ex officio deſervirent, ita diſtributi, ut qui jam Clericali tonſura inſigniti eſsent, per minores ad majores aſcenderent.* Et cap. 4. *Quod ſi quis Chriſtianos omnes promiſcue novi Teſtamenti Sacerdotes eſse, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Eccleſiaſticam hierarchiam, quæ eſt ut caſtrorum acies ordinata, confundere.* Demum ibid. can. 6. *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſse Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtet ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* 53

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ordinis dignitate.

EX dictis initio præcedentis articuli, & cap. 1. Tomi VII. facile intelligitur qui potiores ſint Sacræ Ordinationis adverſarii: Ut intelligatur quam male, ſit

Conclusio: Ordo ſeu Ordinatio, ſaltem aliqua, verum eſt novæ legis Sacramentum. Dico *Ordinatio aliqua*. Infra enim expendemus an Ordines ſinguli, qui ſeptem apud nos ſunt, totidem ſint Sacramenta. jam 54

Prob. Concluſio 1. ex Scriptura. Sacramentum ex adverſariorum confeſſione eſt ritus exterior a Chriſto permanenter inſtitutus, & gratiam producens, in his ſcilicet qui obicem non ponunt. Atqui hæc omnia in ſacra Ordinatione concurrunt. 55

Ut probetur minor, evolvendi ſunt varii Scripturæ textus, qui ad Miniſtrorum Ordinationem referri poſſunt. Luc. 22. 19. & I. Corinth. 11. 24. & ſeq. poſt panis & calicis conſecrationem ait Dominus Jeſus; *Hoc facite in meam commemorationem*. Joan. 20. 22. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Act. 6. v. eod. *Hos*, ſeptem videlicet qui ad Diaconatum promovendi eſſent, *ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.* Ibid. cap. 14. v. 22. *Cum conſtituiſsent* Paulus & Barnabas *per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſsent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino*. & cap. 20. v. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. I. ad Thimoth. 4. 14. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii*. Ibid. cap. 5. 22. *Manus cito nemini* 56

impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis. II. ad eumdem I. 6. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum;* & ad Titum I. 5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ... conſtituas per civitates Presbyteros ſicut & ego diſpoſui tibi.* Atqui juxta hoſce textus in ſacra Miniſtrorum conſtitutione occurrit ritus exterior, iſque a Chriſto permanenter inſtitutus, & annexam habens gratiæ productionem.

57 1. Quidem ritus exterior, ſeu cæremonia ſenſibilis. Quod enim manus alicui imponatur, & ſuper eum publice fundatur oratio, utique ritus eſt exterior, ut qui cadat ſub ſenſus. Atqui quæ primæ in Eccleſia factæ ſunt Ordinationes, & ceterarum norma eſſe debuerunt, peractæ ſunt per impoſitionem manuum cum oratione. *Orantes impoſuerunt eis manus ... Manus cito nemini impoſueris,* &c. Ergo.

58 2. Ritus ille divinitus & permanenter inſtitutus eſt. Numquid enim humanum opus, vel ad dies aliquot inſtitutum, ſapiunt verba iſthæc? *Attendite vobis & univerſo,* proinde omnium temporum *gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos,* &c. Numquid vel a Chriſto dictum non eſt, vel ad ſolos qui tunc aderant Apoſtolos dictum fuit? *Hoc facite in meam commemorationem.* Numquid non ſpectabat omnium ſeculorum ſeriem ſuprema illa novi Legislatoris conſtitutio? *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis,* &c. Numquid demum admonendus erat Timotheus ut nemini cito manus imponeret, ſi manuum impoſitio ceremonia erat cum Apoſtolis tranſitura?

59 3. Ritus ille gratiam in his qui obicem non ponunt, infallibiliter parit. Ut quid enim tam certo diceret Apoſtolus, *gratiam quæ data eſt tibi, gratiam quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum,* &c? niſi fixa lege a ſummo gratiarum Arbitro conſtitutum eſſet, ut quibus manus imponuntur ad miniſterium, gratiam ſecluſo obice recipiant?

60 Prob. 2. ex conſtanti traditione, quæ ſimul vel diviſim ea tribuit Ordinationi, quæ nonniſi vero Sacramento competunt. S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Smirnenſes: *Omnes,* inquit, *Epiſcopum ſequimini ut Chriſtus Patrem, & Presbyterorum Collegium ut Apoſtolos, Diaconos revereamini ut ex Dei præcepto miniſtrantes.* Unde ſic: Qui & gratiam ex propria ſua conditione habent, & ex Dei mandato miniſtrant, non humana actione, ſed divina atque Sacramentali conſtituti ſunt. Nihil enim aliud eſt Sacramentum, quam actio quæ gratiam tribuit, & ex Dei præcepto exercenda eſt. Atqui Presbyteri & gratiam ſanctificantem habent, cum ex hac ſolum parte cum Apoſtolis conferri poſſint; & ex Dei præcepto miniſtrant, cum & ipſi Diaconi ex eodem precepto miniſtrent. Ergo Presbyteri, & a fortiori Antiſtites, quorum ex Ignatii textu major eſt excellentia, non humana, ſed divina & Sacramentali actione conſtituti ſunt.

61 Tertullian. Lib. de Præſcr. Cap. 40. ſic loquitur de diabolo, *Ipſas quoque res Sacramentorum divinorum in idolorum myſteriis æmulante: Tinguit & ipſe quoſdam... fideles ſuos...* initiat ſeu conſecrat in cultum *Mithræ.* * *Signat*

* Mithram pſeudonumen eſſe ipſum ſolem, Perſis Sacrum exiſtimant Suidas, Pamelius, &c. Alii aliud.

gnat in frontibus milites ſuos... quid & quod ſummum Pontificem in unis nuptiis ſtatuit... Quid ergo ipſas res, de quibus Sacramenta Chriſti adminiſtrantur tam æmulanter affectavit exprimere in negotiis idololatriæ, &c. Atqui eo loci actio qua quis in miniſterium Dei initiatur, non minus eſt Sacramentum, quam Baptiſmus, quo tingitur, aut Confirmatio, qua ſignatur in fronte. Ergo.

Gregorius Nyſſenus, orat. in Baptiſmum Chriſti (Tom. 2. p. 802.) *Eadem*, inquit, *verbi* divini *vis Sacerdotem auguſtum ac honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi ſegregatum. Cum enim heri, ac tempore ſuperiori unus e multitudine ac plebe eſſe; repente redditur præceptor, præſes .... inviſibili quadam vi ac gratia inviſibilem animam in melius transformatam gerens*. Atqui ubi intercedit actio, quæ per vim benedictionis & verbi divini Sacerdotem a plebe ſegregat, ejuſque animam inviſibili gratia transformat in melius, ibi neceſſario intercerdit Sacramentum; neque Patres apertius de vi & effectu Baptiſmatis locuti ſunt. Ergo. 62

Ambroſiaſter in verſ. 4. cap. 4. Epiſtol. I. ad Corinth. (Append. pag. 151.) hæc ſcribit: *In loco Ordinis officii Eccleſiaſtici poſitus gratiam habet, ... non utique propriam, ſed Ordinis, per efficaciam Spiritus Sancti*. Et in cap. 1. Epiſtol. II. ad hæc verba „ Admo- „ neo te ut recrees donum Dei, quod eſt in te per impoſitionem „ manuum mearum „ *Sic*, inquit, *recreat in ſe donum gratiæ Dei acceptum per Ordinationem Presbyterii .... innovatus propter juſtificationem.* Idem docet S. Ambroſius Epiſt. 63. ad Eccleſiam Vercellenſem. Atqui hic genuini exhibentur Sacramenti caracteres. Nimirum tribuit gratiam & juſtificationem; eaque non homini eſt adſcribenda, ſed Ordini, per efficaciam Spiritus Sancti, & externam Presbyterii actionem operanti. Ergo. 63

Auctor quæſtionum in vetus ac novum Teſtamentum, quem multi Hilarium Eccleſiæ Romanæ Diaconum, Liberio & Damaſo æqualem, eſſe arbitrantur; quæſt. 93. (Append. Auguſtin. Tom. 3. pag. 84.) explicans id Joan. 20. *Inſufflavit in eos*, &c. *Inſpiratio hæc*, inquit, *gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur Ordinatis ... Unde Apoſtolus dicit ad Timotheum*: „ Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ „ data eſt tibi per impoſitionem manuum mearum. „ *Semel ergo fieri oportuit, ut de cetero traditio iſta non ſine dono Spiritus Sancti eſſe crederetur*. Jam vero ubi eſt gratia illius ſimilis quam receperunt Apoſtoli, eaque tam conſtanter per impoſitionem manuum tradita, ut *de cetero* credendum ſit eam *Ordinatis* infundi, uti ſemel infuſa eſt Apoſtolis; ibi vel eſt Sacramentum, vel nihil habet Eccleſia quod Sacramenti nomen mereatur. 64

S. Chryſoſtomus, Lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. (Tom. 4. pag. 31.) *Sacerdotium ipſum in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem ordinemque referendum eſt: atque id perquam merito. Quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, ſed ipſe Paracletus ordinem hujuſmodi diſpoſuit*. Ibid. cap. 5. pag. 32. *Si quis conſideret quantum id ſit* Mysterium ... *tum probe intelliget, quanto Sacerdotes honore, quanta dignitate, Spiritus Sancti* 65

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

gratia dignata fuerit. Utique quod divinam prorſus originem habet; quod ne ab Archangelis quidem ſanciri potuit, ſed a ſolo Paracleto, quod admirabilem Spiritus S. gratiam importat; illud omnino Myſterium ſeu Sacramentum nuncupari debet: quod enim Latini Sacramentum, id Græci Myſterium dicunt; uti videre eſt Tom. ſeq. c. 2. n. 93. Atqui ex Chryſoſtomo, &c.

66 S. Hieronymus, in Dialogo adverſus Luciferianos (Tom. 4. p. 2. p. 296.) collatam ab hæreticis Ordinationem hinc probat non eſſe iterandam, quia *ſi in fide ſua baptizato baptizans* hæreticus *nocere non potuit*; neque etiam *in fide ſua Sacerdotem conſtitutum conſtituens* hæreticus *inquinavit*. Atqui ridicula foret tum hæc Baptiſmi cum Ordine comparatio; tum ab uno ad alium illatio, niſi utrumque ex æquo Sacramentum reputaretur. An enim iterari non poterit cæremonia mere humana, quia Sacramentum a Deo inſtitutum iterari non poteſt?

67 Idem in Lib. contra Vigilantium cap. 1. (Ibid. p. 281.) carpens eos e Vigilantii ſecta præſules, qui cœlibes viros a Sacerdotio excludebant; *Niſi* inquit, *prægnantes uxores viderint Clericorum* ...... his *Chriſti Sacramenta non tribuunt*. Ergo Sacerdotium Hieronymo Sacramentum erat.

68 Idem, & eodem ſenſu, Sacramenti nomen uſurpant Epiſcopi Africani in Epiſt. ad Marcellinum, apud Auguſt. in Serm. de geſtis cum Emerito, n. 5. ubi ſpondent ſe Donatiſtas, ſervato ipſis Ordinum honore, ſuſcepturos: *Neque enim*, inquiunt, *in eis divinæ* SACRAMENTA *veritatis, ſed commenta humani deteſtamur erroris*.

69 S. Aug. Lib. 2. contra Parmenianum, c. 13. n. 30. (Tom. 9. p. 45. D. E.) ut retundat Donatiſtas, qui dum fatebantur Baptiſma per hæreſim non extingui, contendebant per eam extingui facultatem baptizandi Sacerdotio annexam: *Ipſi*, ait, *explicent quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, &* SACRAMENTUM ORDINATI *poſſit amitti*... ſi enim UTRUMQUE SACRAMENTUM EST, QUOD NEMO DUBITAT, *cur illud non amittitur; & iſtud amittitur?* NEUTRI SACRAMENTO *injuria eroganda eſt*.

70 Idem verſat argumentum S. Doctor Lib. 1. de Bapt. contra Donatiſtas, c. 1. p. 80. ubi ſic: *Sacramentum Baptiſmi eſt quod habet qui baptizatur; & Sacramentum dandi Baptiſmi eſt quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum Baptiſmi non amittit; ſic etiam ordinatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum dandi Baptiſmi non amittit... ſicut ergo recedentes, qui priuſquam recederent, baptizati ſunt, non rebaptizantur; ita redeuntes, qui priuſquam recederent ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur; ſed aut adminiſtrant quod adminiſtrabant... aut ſi non adminiſtrant* * *Sacramentum Ordinationis ſuæ tamen gerunt*. Atqui juxta hoſce textus Ordinatio non minus eſt Sacramentum quam Baptiſma; idque adeo certum eſt in Eccleſia, ut de hoc *nemo dubitet*. Ergo.

S. Leo

* Mitius in Africa, ut liquet ex n. 68. ſeverius Romæ agebatur cum hæreticis converſis. Unde Innocentius I. Epiſt. 18. ad Alexandrum, Anthiochen. Epiſcopum, c. 3. etſi Arianorum Ordinationem æque ac eorum Baptiſma pro Sacramento habet, negat tamen eam eſſe ratam, quia ejuſdem jure non gaudent.

71 S. Leo Epiſt. 11. alias 81. ad Dioſcorum Alexand. cap. 1. (Tom. 1. pag. 436.) *A vobis*, inquit, *hoc volumus cuſtodiri, ut non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica Ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbati... jejunis & a jejunantibus ſacra benedictio conferatur: ut intelligamus quanta & dantium & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum*. En Ordinatio & ſummas utrinque diſpoſitiones prærequirit, & Sacramentum vocatur, & plena eſt benedictionis, ſeu gratiæ. Hinc

72 Patres Concilii Chalcedonenſis an. 451. Can. 2. *Si quis Epiſcopus*, inquiunt, *propter pecunias Ordinationem fecerit, & non venalem gratiam vendiderit... de proprio gradu in periculum veniat*. Idipſum eadem de cauſſa prohibent Concilia Bracarenſe I. an. 572. Can. 3. & Toletanum VIII. an. 657. cap. 3. Porro Ordinationi ſi gratiam pariat, nihil aliunde deeſt quominus ſit Sacramentum.

73 Anaſtaſius II. Ep. 1. ad Anaſtaſium Imperatorem ſcripta ann. 496. (Tom. 4. Concil. pag. 1280.) ſic loquitur c. 7. *Agnoſcat* Serenitas tua, *quod nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, ſive Levitas, ſecundum Canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio læſionis attingat, quo forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur*. Atqui non aliter eo in loco de Ordine loquitur ſummus ille Pontifex, quam de Baptiſmo.

74 S. Gregorius M. Lib. 4. in I. Reg. c. 5. (Tom. 3. p. 228.) ſic habet: *Qui in culmine* Sacerdotii *ponitur, Sacramenta ſuſcipit unctionis. Quia vero ipſa unctio Sacramentum eſt, is qui promovetur, bene foris ungitur, ſi intus virtute Sacramenti roboratur*. Hic aſſertio noſtra traditur & probatur.

75 S. Sylveſter II. ante Pontificatum ſub Gerberti Philoſophi nomine cognitus atque etiam infamatus *, in Opuſculo de dignitate Sacerdotali, (apud Ambroſ. Tom. 2. pag. 363. Append.) *Homo*. inquit, c. 5. *imponit manus, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit ſupplicem dextram, & Deus benedicit potenti dextra*. Ergo Sacerdotium & certo ritu confertur, & gratiam potenter parit.

76 Ceteros omitto, ut Tharaſium PP. Cp. Ep. I. ad Adrianum Papam; Theophylactum in c. 1. Ep. II. ad Timoth. &c. Sat fuerit hæc Arnoldi, Bonavallenſis Abbatis, alteriuſve, quiſquis ille ſit, verba referre ex Lib. de operibus Chriſti cardinalibus. (p. 44. Appendicis Cyprianicæ, ex Editione Exonienſi) *Docetur quæ ſit Baptiſmi & aliorum Sacramentorum ſtabilitas ... Nam Baptiſmum repeti Eccleſiaſticæ prohibent regulæ ... Nemo Sacros Ordines ſemel datos iterum renovat ... quia contumelia eſſet Spiritus ſancti, ſi evacuari poſſet quod ille ſanctificat*, &c.

* Gerbertus Aquitanus, ex Monacho Floriacenſi ad Ligerim Archiepiſcopus Remenſis, deinde Epiſcopus Ravenatenſis, atque hinc Ottonis favore Romanam Sedem adeptus, quia Mathematices & Aſtrologiæ ſcientiſſimus eſſet, Magiæ ſuſpicionem ignaro ſæculo x. & xi. incurrit. Unde dubitarunt aliqui an Pontificibus adnumerari deberet, qui magicis artibus ad Pontificium culmen evolaſſet. Iniquam dubitationem apud eruditos abegit prudens adminiſtratio, ſanctorum virorum æſtimatio, jurium Eccleſiæ defenſio, &c. Obiit Sylveſter 11. Martii, ann. 1003. Huic, quo ridiculam Magicæ artis calumniam exploderet, tumulum poſuit in Baſilica Lateran. Sergius IV.

77 Hinc patet quanta fide vel ſcientia dixerit Lutherus Ordinationem ab Antiquorum nullo donatam fuiſſe nomine Sacramenti. Scite profecto ſcripſit Maldonatus hic q. 2. p. 391. hæreticorum noſtrorum imperitiam ridendam magis eſſe quam ſerio refutandam.

78 Porro quod ab antiquis utriuſque Eccleſiæ Doctoribus acceperunt Theologi, illud ſumma Religione tranſmiſerunt ad poſteros. Unde Ordinem Sacramenti incunctanter annumerarunt, 1. Hugo Victorinus Lib. 1. de Sacramentis, c. 12. pag. 256. col. 2. ubi conceptis verbis recenſet *Septem Sacramenta, quorum quinque generalia ſunt... duo particularia, eo quod non tribuantur omnibus... Ordines ſcilicet & Conjugium*. 2. Guillelmus Pariſienſis, non ille Arvernus, Lutetiæ Antiſtes, ſed Dominicanus, & an. 1305. Generalis in Gallia Inquiſitor, qui idem cum Hugone docet, & pluribus de Sacramento Ordinis diſſerit. 3. Magiſter Sentent. Petrus Lombardus, qui in 4. diſt. 24. *Dicuntur*, inquit *Ordines Sacramenta, quia in eorum perceptione ... gratia confertur*. 4. Petrus Pictavienſis, Diſcipulus Lombardi, & Pariſienſis Eccleſiæ Cancellarius; juxta quem *Sacramentorum novæ Legis, alia ſunt neceſſaria... alia ſpecialia, quæ & voluntaria dicuntur. Neceſſaria ſunt ſine quibus vix habetur ſalus, ut Baptiſmus*, &c. *Voluntaria ſunt ſine quibus poteſt haberi ſalus, ut Ordo, Conjugium*. 5. utriuſque Scholæ Principes, eorumque Diſcipuli omnes, tametſi plerumque diviſi in liberis. Ordo, ait S. Th. in 4. diſt. 24. *ab omnibus enumeratur inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta*. Idem in eamdem diſt. docet Scotus n. 8.

79 Neque alia eſt recentiorum Græcorum fides. Septem enim Sacramenta puri cum Latinis religione profitentur Simeon Theſſalonicenſis, qui vixit quo tempore Franci Orientis præerant; Gregorius Protoſyncellus, qui fuit a Confeſſionibus Joannis Palæologi Imperatoris, & exinde Patriarcha Cp. Emanuel Calecas, vir antiqua Græcia dignus, Jeremias PP. Cp. Gabriel Philadelphienſis, qui an. 1600. opus de ſeptem Sacramentis Venetiis in lucem emiſit, de quibus vide Arcudium lib. 1. de Sacram. p. 6. & ſeq. & Morinum in Appendice de Pœnitentia p. 125.

80 Idem eſt hodieque Orientalium quotquot ſunt Eccleſiarum ſenſus, prout ferventibus poſtremo ſeculo de Euchariſtia controverſiis teſtati ſunt. 1. Dionyſius Patriarcha Cp. cujus teſtimonio ſubſcripſit una cum Metropolitanis triginta-quinque Patriarcha Alexandrinus; 2. Nectarius Patriarcha Hieroſolymitanus; 3. Matthæus Ægiptiorum & Alexandriæ Patriarcha; 4. Cruciador Armenorum in Palæſtina & Cilicia Primas; 5. Gaſpar Armenorum in Ægypto Præpoſitus; 6. David Armenorum in Perſide Patriarcha. Ut plures alios omittam Abbates, Epiſcopos & Archiepiſcopos de quibus conſuli poteſt Nicolea perpetuitas fidei, Tom. 3. pag. 621. & ſeq. 653. & 658. 744. 765. 770. 776. Et vero omnem ea de re ambigendi locum ſuſtulere teſtes indubiæ fidei, præcipue vero Franciſcus Caſimirus, Polonorum; Jacobus Quirinius, Venetorum; Finibaldus Fieſchus, Genuenſium; Raguſini demum omnes ad Portam Otthomanam Legati.

81 Prob. 3. Argumento præſcriptionis in re Sacramentaria ſemper efficaci. Ut Ordo Sacramenta inter cenſeri debeat, duo cordato cui-

que ſufficiunt, 1. ut ante exortam Lutheri ſectam Eccleſiæ omnes Ordinem annumerarent Sacramentis ; 2. ut fidem hanc non haberent tunc temporis, niſi quia eam de manu ad manum ſuis a deceſſoribus receperant. Atqui

1. Cum in ſummum Religionis malum prodiit Lutherus, Eccleſiæ omnes Ordinem Sacramentis accenſebant; ita ut ne una quidem toto in Orbe citari poſſit Diœceſis, quæ de Ordine loqueretur perinde ac Lutherus; una, quæ Sacramenta recenſendo, Ordinationem Sacram ab eorum numero reſecaret. Immo ceteris paullo ante conſenſerant, qui plus inhiabant novitatem. Sic Valdenſes * ſeptem cum Catholicis Sacramenta confitebantur ; quod adeo verum eſt, ut cum ad Buceri & Oecolampadii partes tranſmearunt, ab iis poſtulatum ſit, ut deinceps duo tantum Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramenta admitterent. Sic Wiclefus, Joannes Hus, ejuſque aſſeclæ Fratres Bohemi, Sacramenta ſeptem admittebant; prout invicte ex ipſis Proteſtantibus demonſtrat Boſſuetus Lib. XI. Variat. n. 153. 164. 179. & de poſtremis conſtat ex fidei formula, quam an. 1504. Ladislao Regi obtulere, & quam redarguit Lutherus, Ergo. 82

2. Non alia de cauſſa Fidem hanc tenebant Eccleſiæ omnes, niſi quia hanc continua ſerie ſuis a Deceſſoribus receperant : 1. quia fieri non poteſt ut Eccleſia tota in puncto graviſſimi momenti, per quod humana conſtitutio in divinam transformatur, aberraverit ; & per unum Lutherum, hominem nullius virtutis, indiguerit reformari. Unde in præſens viget iſtud Tertulliani, *Quod apud multos*, nec multos ſolum, ſed omnes, *unum invenitur*, *non eſt erratum*, *ſed traditum* : 2. quia ſi quæ circa Ordinis fidem facta ſit mutatio, vel temporum lapſu, vel a prioribus Eccleſiæ ſæculis. Atqui neutrum ſane & coram Deo affirmari poteſt. 83

Non 1. Cum enim error ubique naſci ſimul & ſemel non poſſit, (uti ex aliis conſtat hæreſibus; quarum nonnullas Europa, ceteras Aſia vel Africa parturierunt;) neceſſum eſt ut privata quædam Eccleſia, contra unanimem mundi reliqui ſenſum, ex Ordine mere humano Ordinem Sacramentarium effinxerit; & aliæ errorem hunc lubenter amplexæ ſint. Atqui id nemo præter Lutherum animo aſſequi poteſt. Siquidem a quarto præſertim Eccleſiæ ſæculo ac deinceps inſignes Eccleſiæ ab avita fide recedere incœperunt, atque non minus inter ſe, quam ab Eccleſia Romana diviſæ ſunt; uti nimium conſtat de Ariomanitis, Neſtorianis præſertim & Eutychianis, qui hodieque Orientem miſere inficiunt. Atque ſectæ, quarum aliæ alias capitali odio inſectabantur, non utique ab eis novum dogma recepiſſent; ſicut neque nunc novam ab Eccleſia Romana deciſionem reciperent Anglicani : ſed contra totis reclamaſſent viribus, & ex novo adverſæ partis errore antiquum ejus errorem inferrent. Ergo cum nunc Eccleſiæ omnes, puta Neſtorianorum, Jacobitarum, Coptorum, Ordi- 84

* De Valdenſium ſenſu vide Phylicdortium, Lib. contra ipſos, cap. 1. Tom. 4. Biblioth. PP. part. 2. pag. 780. De eorum unione cum Bucero, vide Petrum Ægidium in Hiſtoria Eccleſiarum Reformatarum, cap. 5. & Boſſuetum Lib. XI. Variat. numer. 117. & 118.

Armenorum, Æthiopum, circa naturam Ordinationis plene conſentiant, neceſſum eſt ut hæc fidei unitas ab ea unitate deſcenderit, in qua Eccleſiæ omnes primitus jungebantur, & ex qua ſectæ omnes per hæreſim & ſchiſma diviſæ ſunt.

85 Non 2. 1. quia ſæcula, quæ Neſtorianam & Eutychianam hæreſim præceſſerunt, ex Adverſariorum confeſſo puriora fuere. Quis porro capiat purioribus ſæculis ubique receptum fuiſſe dogma perverſum ſimul & exitiale? Quis fingat ſibi miſeram novitatem nullibi prorſus fuiſſe deprehenſam? Quis aſſidentem Eccleſiæ ſuæ Chriſtum, eam deſeruiſſe credat, quo tempore ſingularem ejus cuſtodiam atque præſidium invocabant Martyrum ſanguis, Confeſſorum labores, Virginum lacrymæ, &c. 2. quia ſecluſis etiam Chriſti promiſſionibus * fieri humanitus non poteſt, ut in ampliſſima ſocietate nemo reclamet, cum potiora ſua & multitudinis jura ſubverti conſpicit. Atqui præcipua multitudinis jura per novam Ordinis in Sacramentum tranſverſi doctrinam penitus corruebant. Nempe vero, juxta Lutherum, tota Chriſtianorum ſocietas, in qua laici ſe habent ut duo millia ad unum, per ſe & primario jus habet ſuos ſibi Sacerdotes conſtituendi & deſtituendi; quo quidem jure, ſi verum ſit, nullum in Republica majus majoriſque momenti eſſe poteſt. Atqui jus illud per novum Ordinationis Sacramentariæ ſyſtema penitus concidebat. Statim enim ut Ordinatio Sacramentum eſt, quod ab Epiſcopis ſolis conferri poſſit, palam eſt Epiſcopos eſſe ſupremos Ordinis moderatores, ita ut iis aliquando manus imponant, de quibus ne plebs quidem cogitat; iis vero non imponant, quos ſibi in Paſtores habere velit imperitum vulgus, quandoque etiam in hæreſim vel alia mala proclive. Ergo jure ac merito Synodus Tridentina ſic ſtatuit Seſſ. 23. Can. 3. *Si quis dixerit Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere ac proprie Sacramentum, a Chriſto Domino inſtitutum.... anathema ſit.*

Solvuntur Objectiones.

86 Obj. 1. Potiſſima Concluſionis noſtræ probatio hinc deducitur, quod primi Eccleſiæ Paſtores per manuum impoſitionem inaugurati fuerint. Atqui probatio hæc nullius eſt momenti; 1. quia hanc manuum impoſitionem non adhibuit Chriſtus, cum Apoſtolos fecit Sacerdotes. Neque enim eis impoſuit manus, ſeu in ſuprema Cœna, ſed tantum dixit: Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; ſeu cum ipſis contulit poteſtatem dimittendi peccata, ſed in unum dixit Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. 2. Quia licet hanc uſurpaſſet Chriſtus, nihil hinc deduci poſſet; quia impoſitio manuum erat communis quædam cæremonia, qua, Judæorum more, paſſim utebantur Apoſtoli, ſeu cum morbos curabant, ſecundum id Marci 16. v. 18. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt;* ſeu cum quempiam Deo commendabant; unde id Auguſtini Lib. 3. de Baptiſmo, cap. 16. *Quid eſt manus impoſitio, niſi oratio ſuper hominem?* Atque id ſubindicat Græcum.

* Euntes docete omnes gentes.... Et: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. *Matth. 28. 19. & 20.*

cum *chirotoniæ* nomen, quod idem eſt ac manus expanſio in ſignum orationis, vel ſaltem ſuffragii; de quo jam ſupra. Ergo,

R. 1. neg. maj. Dempta enim Scriptura, quæ manuum impoſitionem commemorat, Catholicam de Ordinis Sacramento fidem invicte probaret Traditio, & conſtans omnium Eccleſiarum ſenſus. 87

R. 2. neg. min. 1. quia probari nequit manuum impoſitionem a Chriſto non fuiſſe adhibitam: ſi enim id Scriptura non dicit, at certe neque etiam negat; aliunde vero conſtat Chriſtum plura feciſſe, quæ ſcripta non ſunt; 2. quia etſi forte Chriſtus, qui nec ritui ulli, nec ullis ſignis alligatus erat, Sacerdotes ſuos abſque impoſitione manuum, per eam quam dicimus *excellentiæ poteſtatem*, ordinavit; potuit tamen ſancire, ut quicumque ab eis deinceps inaugurandi eſſent, nonniſi per manuum impoſitionem conſecrarentur: ſicut, etſi Apoſtolos confirmavit in gratia, & peccatricem abſolvit ſine Sacramento, non ideo tamen, vel Chriſtianos in gratia confirmari, vel peccatores ſine Sacramento abſolvi voluit. Quod autem de facto ſanxerit Chriſtus ut quotquot deinceps ordinandi forent, per manuum impoſitionem ordinarentur, hinc patet quod manuum impoſitioni deinceps ab Apoſtolis factæ gratia fuerit annexa. Cum enim Deus ſolus gratiam huic vel illi ſigno annectere poſſit, neceſſum eſt ut quicumque ritus gratiam annexam habet, Deum habeat inſtitutorem; atque hinc negari poteſt antecedens, tum & conſequentia primæ probationis. 88

Quod ad ſecundam ſpectat, ex ea quidem ſequitur, non omnem quæ ab Apoſtolis vel a Chriſto ipſo uſurpata eſt, manuum impoſitionem, verum fuiſſe Sacramentum; & id fatemur omnes, tum de ea quam Chriſtus erga infantes, tum & de ea qua etiamnum Virgines Deo conſecrantur. Verum non inde magis colligere eſt, uſurpatam in conſecrandis Miniſtris impoſitionem a ratione veri Sacramenti alienam eſſe, quam ex eo quod ablutiones pleræque Judæorum, utique a Chriſto & ab Apoſtolis, licet non phariſaico apparatu, obſervatæ, meræ eſſent cæremoniæ, colligi poſſit ablutionem Baptiſmi non eſſe veri nominis Sacramentum. Atqui hoc ne ipſi quidem adverſarii inferre auſint. Quare porro? Quia ſcilicet norunt, annexam eſſe Baptiſmali ablutioni gratiam. Atqui ex eodem Scripturæ fonte conſtat annexam eſſe gratiam impoſitioni manuum conſecratoriæ. Ergo & hanc quoque Sacramentis annumerare debent. 89

Quod addunt, impoſitionem manuum nihil eſſe præter orationem, plane abſurdum eſt; tum quia utraque ab invicem evidenter diſtinguitur his Act. 6. verbis: *Orantes impoſuerunt ei manus*; tum quia id Pauli I. ad Timoth. 5. *Nemini cito manus impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis*, de oratione intelligi non poteſt, ſed tantum de cæremonia veræ Ordinationis: Neque enim alienis peccatis communicat, qui orat pro indigno, ſed qui indignum ordinat. 90

Nec obſunt quæ objiciuntur, ſeu ex vocabulo Chirotoniæ, ſeu ex Auguſtino. Non 1. fatemur enim Chirotoniam idem aliquando eſſe ac manus expanſionem in ſignum ſuffragii, ſeu electionis: At ſimul contendimus per eam communiter apud Eccleſiaſticos Scriptores intelligi ſacram illam actionem, qua divinis initiantur novæ Legis Miniſtri. 91

Et

Et quis cum Beza frigide credat verba hæc Act. 14. 22. *Cum conſtituiſſent*, ſcilicet per manus impoſitionem, ut indicat Græca vox, *per ſingulas Eccleſias Presbyteros*, &c. de mero tam plebis quam Pauli ſuffragio intelligenda eſſe? V. cap. 1. n. 6.

92 Non 2. neque enim eo loci diſſerit Auguſtinus de manuum impoſitione conſecratoria per Ordinationem, ſed de reconciliatoria per pœnitentiam. Ibi enim S. Doctor duo contra Donatiſtas probat, 1. Baptiſmum repeti non poſſe, etiamſi effectu ſuo, gratia videlicet, privatus ſit; 2. gratiam hanc per impoſitionem manuum in Pœnitentiæ Sacramento recuperari poſſe; quia hæc manuum impoſitio reconciliatoria nihil aliud eſt, quam oratio ſupra hominem. Ita Tournely pag. 16.

93 Inſt. ea dumtaxat manuum impoſitio Sacramentalis dici poſſet, quæ in ſubjecto ipſo pareret gratiam ſanctificantem: Atqui manuum impoſitio, de qua in probationibus noſtris agitur, non producit in ipſo Miniſtro gratiam ſanctificantem, ſed eam ſolum, quæ, quia ad proximi ſalutem datur, gratia gratis data nominari ſolet. Prob. min. 1. quia S. Paulus gratiam hanc non exprimit nomine Χαρις, quod vulgo gratiam ſanctificantem exprimit; ſed nomine Χαρισμα, quo gratiæ gratis datæ ſignificantur. 2. Quia citato cap. 4. Epiſtolæ prioris ad Timotheum ait Paulus, gratiam hanc datam fuiſſe *per prophetiam*, ſeu, ut plures volunt, *in prophetiam*, id eſt ad illuminationem Fidelium: unde ex Patribus alii, ut Hieronymus in hunc locum, gratiam hanc interpretantur donum vel Scripturas exponendi, vel annuntiandi futura; alii, ut Chryſoſtomus Hom. 13. ibid. & Hom. 29. ac 32. in cap. 12. ejuſdem Epiſtolæ, auctoritatem docendi; alii demum virtutem patrandi miracula; quæ omnia in aliorum utilitatem cedunt.

94 R. ad 1. neg. min. 1. quia eamdem in eodem Miniſterio gratiam recepit Timotheus, quam ipſi receperant Apoſtoli, quorum ſucceſſor eſſe debebat. Atqui hi non modo poteſtatem remittendi peccata receperunt Joan. 20. v. 22. ſed & *Spiritum Sanctum*; quo nomine ſimpliciter & abſolute ſumpto intelligitur gratia ſanctificans, non vero gratis data, quæ in ipſis etiam impiis reperiri poteſt ex Matthæi 7. v. 22. & ſeq. 2. Quia Apoſtolus I. ad Timoth. 1. explicans in quo ſita foret gratia Thimotheo per impoſitionem manuum collata, ſtatim ſubjungit: *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis*, &c. Atqui gratia dilectionis ipſa eſt gratia juſtificans, ſeu caritas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum. Ita Fraſſen pag. 665. Tournely ibid. &c.

95 Nec nocent objectæ duæ probationes, non 1. 1. quia nomen chariſmatis non ita raro apud Paulum accipitur pro gratia gratificante. Sic Roman. 6. v. 23. *Gratia*, (Græce chariſma) *Dei vita æterna*. Rom. 5. 15. *Non ſicut delictum, ita & donum* (Græce chariſma), gratiæ ſcilicet juſtificantis. I. Corinth. 7. v. 7. *Unuſquiſque proprium donum* (Græce chariſma), caſtitatis nimirum, *habet ex Deo*. 2. Quia ſi per chariſma intelligatur gratia docendi, exhortandi, contradictores redarguendi; at non ſola, ſed prout eſt conjuncta gratiæ ſanctificanti, utpote quæ ad exequendum pie & ſancte Pontificium munus longe ſit magis neceſſaria, quam quæcumque exteriores gratiæ. Hæ profecto ſi a gratia

juſti-

juſtificante ſejunguntur, multo plus periculi habent, quam boni, ut patet ex citato Matthæi cap. 7.

Non 2. id enim: *quæ data eſt tibi per Prophetiam*, a pluribus & merito ſic intelligitur, ut ſenſus ſit: *quæ data eſt tibi ſecundum revelationem, ex qua ſancti plures prædixerunt, te, licet adhuc juvenem, Epiſcopali officio rite functurum eſſe;* prout legitime infertur ex cap. 1. ibid. v. 18. Immo *per prophetiam* intelligunt aliqui orationem ſacram, ſeu ipſa formæ verba, per quæ Timotheus una cum impoſitione manuum conſecratus eſt. Neque nova omnino & inſolens eſt iſta hæc expoſitio; quia Apoſtolus I. Corinth. 14. & alibi *prophetiam* vocat ſacrum quemlibet ſermonem, arcanum præcipue & myſticum, quales olim erant Sacramentorum formæ. Verum interpretatio hæc cum v. 18. capitis primi non ſatis cohæret. 96

Quod additur ex Hieronymo, Chryſoſtomo & aliis, nihil ad rem facit; quia Patres illi dum prophetiæ nomen de exterioribus gratiis exponunt, non negant iis in Timotheo conjunctam fuiſſe vi conſecrationis gratiam ſanctificantem, vel potius grande ejuſdem augmentum. Nimirum ex iis Patribus alii gratiam & quidem magnam in Ordinatione conferri docuerunt, ut Chryſoſtomus ſupra num. 65. alii Ordinationem hanc perinde ac Baptiſma Sacramentum eſſe agnoverunt, ut Hieronymus ibid. num. 66. 97

Obj. 3. Sacramentum quodcumque divinam inſtitutionem, proinde mandatum de certo ritu in perpetuum exercendo requirit. Atqui nullum extat hujuſce quoad Ordinem mandati veſtigium in Scriptura. Inſufflavit quidem Chriſtus in Apoſtolos, cum eis tradidit poteſtatem dimittendi peccata; at ritum hunc eo uſque non præcepit, ut in Eccleſia Romana non obſervetur. Ceterum nihil omnino de manuum impoſitione præcepit divinus Legislator. 98

R. 1. Neceſſum non eſſe ut aliquod divini hujus mandati veſtigium extet in Scriptura, ſed ſatis eſſe ut extet in Traditione. Hæc autem cum Ordinationem inter Sacramenta recenſeat, mandatum divinum abunde exprimit. 99

R. 2. neg. min. Ubicumque enim certo ritui in perpetuum obſervando annectitur gratia, ibi eſt & eſſe debet divinum mandatum: cum nulli ritui gratia certo annecti poſſit niſi ex conſtitutione divina. Atqui ex dictis gratia manuum impoſitioni annexa eſt; & is ritus non aliunde in perpetuum obſervari potuit, quam quia in perpetuum obſervandus erat. Ergo licet Chriſtus non dixerit formaliter & explicite: *Imponite manus*, &c. id tamen implicite dixit & æquivalenter. 100

Obj. 4. Sacramentum novæ Legis debet eſſe Chriſtianis omnibus commune. Atqui Ordo non eſt quid omnibus Fidelibus commune. Ergo. Ita J. F. Oſtervald Paſtor Neucaſtrenſis in Gallica ſua Inſtructione, pag. mihi 271. 101

R. neg. maj. quæ certe nullum in Scripturis fundamentum habet. Ad Sacramentum igitur ſufficit ritus exterior a Chriſto inſtitutus cum promiſſione gratiæ. Hanc porro gratiam Spiritus, qui ubi vult ſpirat, quibus vult ſpondet & largitur. Unde non omnes Apoſtoli, non omnes Prophetæ. Ceterum Ordo eo ſenſu Sacramentum commune dici poteſt, 102

quod

quod ad Chriſtianæ totius Communitatis ſalutem primario referatur; etſi ſecundario uberes Ordinatis gratias conferat, uti pluries diximus.

Obj. 5. ex S. Gregorio Nyſſeno in vita S. Gregorii Thaumaturgi, abſens is conſecratus fuit Neocæſarienſis Epiſcopus. Sed abſenti manus imponi non poſſunt. Ergo Epiſcopalis conſecratio mera eſt deputatio, non autem Sacramentum.

104 R. neg. maj. equidem S. Gregorius Thaumaturgus abſens electus fuit & creatus Epiſcopus: quomodo apud nos quotidie creantur Epiſcopi & Parochi abſentes: ſed præſens conſecratus eſt; unde non obiit Epiſcopale munus niſi *omnibus poſt hæc, quæ fieri ſolent, legitime peractis*: ita ibidem S. Gregorius Nyſſenus. Nihil porro, juxta impium Lutheranæ deputationis ſyſtema, peragendum ſuperfuiſſet; quia abſens rite deputari poteſt.

Ex modo dictis conſtat aliquem ad minus in Eccleſia Ordinem eſſe cui competat dignitas Sacramenti. Verum quia Ordines alii majores ſunt, alii minores, videndum nunc an omnium æqualis ſit hac in parte conditio. Id autem quia ut par eſt fieri nequit, niſi Ordines ſinguli diſtinctius evolvantur, ſit

CAPUT TERTIUM.

De Ordinum numero & conditione.

ARTICULUS PRIMUS.

De Numero Ordinum.

1 CAlvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 19. ſeptennarium Ordinum numerum, quem agnoſcunt Catholici, impotenter exagitat; & contendit tres ad ſummum veros eſſe Ordines, Epiſcoporum ſcilicet, quos Paſtores vocat; Presbyterorum, quos Seniores, Doctores, verbi Miniſtros nuncupat; & Diaconorum. E reliquis Ordinibus alios quidem, rejectis tamen omnino Exorciſtis, agnoſcit; verum neque certo numero, neque ut veros Ordines, ſed ſolum ut Miniſtros, qui a Paſtoribus libere, prout exigebat neceſſitas, modo plures, modo pauciores, in laboris partem aſſumpti fuerint.

2 Longe alia mens eſt Catholicorum, quam his expreſſit verbis Synodus Trid. ſeſſ. 23. c. 2. *Cum divina res ſit tanti Sacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit, quo dignius & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures & diverſi eſſent Miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent, ita diſtributi, ut qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent. Nam non ſolum de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis ſacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maxime in illorum Ordinatione attendenda ſunt graviſſimis verbis docent; & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus & Conciliis refer-*

fertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentiſſime legimus. Et Can. 2. Ibid. *Si quis dixerit præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines, & majores & minores, per quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur; Anathema ſit*. Ubi notanda ſancti Concilii ſagacitas verba ſua ad amuſſim metientis. Namque 1. ait in Sacris Litteris apertam fieri mentionem *de Sacerdotibus & Diaconis*: ſed ſubjungit aliorum ordinum nomina *ab ipſo Eccleſiæ initio* cognita fuiſſe. 2. licet inferiores iſtos Ordines recenſeat in capite; ei tamen in Canone ſufficit ut ſtatuat in Eccleſia præter Sacerdotium *alios eſſe Ordines majores & minores*, At neque definit an Epiſcopatus ſit alius præter Sacerdotium Ordo major, ne ſcholaſticam litem dirimat; neque an plures ſint paucioreſve Ordines quam ſeptem, ne Græcos, qui a multis ſolum præter ſacros Ordines Lectoratum creduntur admittere, offendat. Quapropter quod de Sacramentis dixit Seſſ. 7. Canon. 1. ea numero ſeptem eſſe, *non plura vel pauciora*, id de Ordinibus non ſanxit in Canone Fidei decretorio. Jam expendendum an æqua ſit ſeu expoſitio, ſeu definitio Concilii: qua de re ſit

CONCLUSIO I. Septem ſunt, idque a prioribus ſæculis, Ordines in Eccleſia Latina. 3

Prob. ex teſtimoniis Veterum, quorum alii prædictos Ordines ſimul & conjunctim alii, prout exigebant circumſtantiæ, diviſim recenſent. 4

Et quidem 1. ſeptem ſimul Ordines recenſent Cornelius Papa in Epiſt. ad Fabium Antiochenum (apud Euſebium Lib. 6. Hiſtor. c. 43. pag. 244. Edit. Valeſianæ), ubi ſic de Novatiano Antipapa loquitur, *Ergo ille Evangelii vindex ignorabat, unum Epiſcopum eſſe oportere in Eccleſia Catholica, in qua tamen ſciebat Presbyteros eſse quidem quatuor & quadraginta, ſeptem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos duos & quadraginta, Exorciſtas & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos*. Hic porro de prædictis Ordinibus loquitur ſanctus Pontifex, non ut de re quæ tunc primum in Eccleſia eſſe cœperit, ſed ut de re jam pridem conſtituta. Neque immerito, ait Simonnet, cum eorumdem Ordinum, exceptis Acolythis, meminerit Ignatius Martyr in ſua ad Antiochenſes Epiſtola circa an. 109. Sed male, cum Epiſtolam iſtam Ignatio paſſim hodie abjudicent eruditi, quos Tom. 15. pag. 438. ſequemur. 5

Concilium Carthaginenſe IV. an. Chriſti 398. eoſdem diſtincte commemorat, Presbyteros can. 3. Diaconos can. 3. Subdiaconos can. 5. Acolythos can. 6. Exorciſtas can. 7. Lectores can. 8. Oſtiarios can. 9. eorumque Ordinationes ibidem ſigillatim deſcribit. An autem e Canone 1. colligi poſſit ipſum etiam Cantoratum prædictis ſeptem Ordinibus in Eccleſia Latina annumeratum eſſe, diſcutiemus num. 19. 6

Eoſdem Ordines ſeptem recenſent Gregorius Magnus in Sacramentario pag. 232. Auctor Libri *de ſeptem gradibus Eccleſiæ*, male inſcriptus *ad Ruſticum Narbonenſem* * Iſidorus Hiſpalenſis Lib. 7. originum cap. 12. 7

Al-

* Auctor libri *de ſeptem gradibus*, &c. ſub Hieronymi nomine ab Hincmaro & Micrologo perperam citatus, non ante ſeptimum ſæculum vixit; cum referat textus plures ex Iſidoro Hiſpalenſi depromptos.

Alcuinus Lib. de diviniis Officiis, cap. 32. Ordo Romanus tit. de divinis Officiis, uterque Tom. 10. Biblioth. PP. Iſidorus Mercator, qui eoſdem Ordines enumerat quaſi recenſitos in Concilio Romano ſub Sancto Sylveſtro cap. 3. (Tom. 1. Concil. pag. 1550.) Amalarius Fortunatus Lib. 2. de divinis Officiis, cap. 6. Rabanus Maurus Lib. 1. de inſtitutione Clericorum Cap. 4. ubi hæc : *Sunt autem gradus Eccleſiaſtici octo, quorum nomina hæc ſunt, Oſtiarius, Pſalmiſta ſive Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, atque Epiſcopus*. Ceteros mitto, quos plures indicabit Witaſſius Tom. 1. pag. 44. & 45.

8 2. Eoſdem Ordines nunc aliquos, nunc unum commemorant antiqui Patres; ut enim Sacerdotes prætermittam, quos ut & Diaconos nominatim indicat Scriptura, de Subdiaconis ſeu Hypodiaconis expreſſim loquuntur Cyprianus Epiſt. 28. Edit. Rigalt. ubi : *Deſideraſtis ut de Philumeno & Fortunato Hypodiaconis, Favorino Acolutho .... quid mihi videatur reſcribam*. Eliberitana Synodus can. 30. ubi ſtatuit *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerint mœchati;* Toletanum Concilium 1. can. 4. Hieronymus Epiſt. 91. Siricius Epiſt. 1. cap. 9. &c.

9 De Acolythis Idem Cyprianus ubi ſtatim; Siricius Epiſt. 1. cap. 9. (Tom. 2. Conc. pag. 1021.) ubi & de Lectoribus ſermonem habet; Innocentius I. Epiſt. 4. c. 5. ubi : *Nec cito quilibet Lector Acolytus fiat;* Auguſtinus Epiſt. 191. Gregorius Magnus Lib. 7. indict. 1. Epiſt. 7.

10 De Exorciſti Firmilianus Epiſt. ad Cyprianum inter Cyprianicas, Synodus Carthaginenſis IV. can. 90. ubi *Omni die Exorciſtæ energumenis manus imponant* : Hieronymus in cap. 2. Epiſtolæ ad Titum, his verbis : *Non ſolum Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum converſatione præcedant; verum & inferior gradus, Exorciſtæ, Lectores, Æditui & omnes omnino qui domui Dei deſerviunt*.

11 De Lectoribus idem Hieronymus ubi ſtatim, & diu antea Tertullianus Lib. de præſcript. cap. 41. Cyprianus Epiſt. 24. & 44. Concilium Carthag. III. can. 19. &c.

12 De Oſtiariis idem Cyprianus Epiſt. 34. Synodus Toletana I. can. 4. Auguſtinus ſerm. 46. &c. & alii plures.

Solvuntur Objectiones.

13 Obj. 1. Epiſcopatus eſt Ordo a Presbyteratu, adeoque & a ceteris Ordinibus diſtinctus. Atqui eo ipſo plures ſunt Ordines quam ſeptem. Minor patet. Major probatur, quia Cornelius ſummus Pontifex, Concilium Cartaginenſe, Gregorius Magnus & alii ſupra adducti, Epiſcopatum Ordinibus accenſent. Immo & ea de cauſſa Rabanus Maurus octo gradus Eccleſiaſticos numerat. Ergo

14 R. 1. Objectionem hanc non adverſari Catholicis, quibus ad vindicandam Concilii Trid. Doctrinam, ſatis eſt ut oſtendant ſeptem ab initio in Eccleſia Ordines extitiſſe. Utique non deſunt ſeptem, ubi occurrunt octo.

R. 2.

Reſpond. 2. Catholicos inter controverti an Epiſcopatus ſit Ordo a Presbyteratu diſtinctus. Negant multi, & Epiſcopatum meram eſſe Sacerdotii extenſionem opinantur. Ii porro facile ſeptem tantum Ordines admittunt: ne autem Patribus in Objectione citati adverſari videantur, eoſdem explicant non de Ordinibus diverſis, ſed de diverſis Miniſtrorum Eccleſiæ gradibus: ita ut aliud ſit Epiſcopi, aliud Presbyteri miniſterium, ſed idem utriuſque Ordo. Unde qui præ ceteris opponitur Rabanus Maurus, *octo* quidem in Eccleſia *Gradus* recenſet, ſed nunquam Ordines octo. Qui vero Epiſcopatus Ordinem diſtinguunt a Sacerdotali, duas abeunt in partes. Alii enim Ordines octo cum Juris Canonici Doctoribus lubenter admittunt; ita Maldonatus hic quæſt. 4. pag. 400. his verbis: *Mihi hac in re videntur Juris Pontificii periti melius ſentire quam Scholaſtici Theologi, quod dicant plures eſſe Ordines quam ſeptem:* . . . Namque *Epiſcopatum eſſe Ordinem diſtinctum, adeo perſpicuum eſt ex omnibus Conciliis vetuſtiſſimis* . . . *ut nemo negare poſſit*, &c. Alii, ſeptem tantum Ordinibus contenti, ex Epiſcopatu & Sacerdotio, licet ſpecifice diverſis, unum dumtaxat generice Sacramentum conſtituunt; *ad eum modum*, ait Iſambertus hic diſp. 1. art. 1 *quo enumerando ſeptem tantum Sacramenta novæ Legis, comprehendunt ſub nomine Ordinis omnes illos ſingulares Ordines, qui ſibi vindicant rationem Sacramenti. Nam quemadmodum in iſta enumeratione ita numerant Ordinem pro uno Sacramento, quatenus illud ſumunt generice, ut tamen rationem Sacramenti non denegent membris ſub illo genere contentis; pari etiam jure quando in enumeratione Ordinum recenſent tantum Presbyteratum ſeu Sacerdotium, recenſent illud quatenus generice ſumitur, & prout dividitur in duas ſpecies, quarum una eſt ſimplex Presbyteratus, & altera Epiſcopatus*. Profecto, ait Bellarminus Lib. 1. de Clericis, capit. 11. *etſi Epiſcopus & Presbyter ſpecie diſtinguantur, tamen quantum ad Sacrificium idem omnino miniſterium exhibent. Proinde unum Ordinem, non duos faciunt; ſicut etiam Lector & Cantor ſeu Pſalmiſta*. Utra opinio potior ſit, expendemus in decurſu. 15

Obj. 2. Cantores & Foſſarii a pluribus antiquis inter Clericos cenſentur: Cantores quidem ab Hieronymo Epiſt. 2. (Tom. 1. pag. 10.) Iſidoro Lib. 2. de Officiis Eccleſ. cap. 12. &c. Foſſarii vero, (qui nempe humandis corporibus ex officio vacabant, & apud profanam antiquitatem pollinctores vocabantur) ab eodem Hieronymo Epiſt. 49. ubi loquens de muliere ſepties icta, *Clerici*, inquit, *quibus id Officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt*, &c. Idem docent incertus Auctor Epiſt. 13. ad Ruſticum Narbon. ubi hæc: *Primus in Clericis Foſſariorum Ordo eſt, qui in ſimilitudinem Tobiæ ſancti ſepelire mortuos admonentur;* Auguſtinus Epiſt. 62. Codex Theodoſianus Lib. 7. Tit. 20. &c. Ergo plures ſunt quam ſeptem Ordines. 16

Reſp. 1. Nihil inde contra theſim noſtram erui poſſe, ob rationem num. 14. allatam. Neque vero deſunt e noſtris, qui Cantores, ipſoſque Foſſarios, ſeu Copiatas & Laborantes, in Eccleſia Orientali reipſa veris Ordinibus quondam inſignitos fuiſſe credant bene an male, expendemus Concl. Seq. 17

18 Reſp. 2. Cum Witaſſio pag. 51. & 55. diſt. Cantores & Foſſarii inter Clericos cenſentur, ut officium Eccleſiaſticum, C. ut Ordo, Subd. ut Ordo improprie dictus, C. ut Ordo proprie dictus, N. Itaque, cum non obvius quiſque, ſed electi e plebe homines ad Cantoris & Foſſarii officia deputarentur ſub certa verborum forma, quæ non equidem ab Epiſcopo, ſed a Sacerdote pronuntianda erat; uti de Cantoribus conſtat, & de Foſſariis præſumi poteſt; non immerito dicitur utroſque & Eccleſiaſtico officio, & ordine latius ſumpto fuiſſe inſignitos. Verum nihil eſt unde ſuaderi poſſit eoſdem, ſaltem in Eccleſia Latina verum & proprie dictum Ordinem recepiſſe.

19 Non Cantores, 1. quia hi, ſolo Presbytero *ſine ſcientia Epiſcopi* conſtituebantur, ut patet ex can. 10. Concilii Carthag. IV. cujus verba Iſidorus & Ordo Romanus exſcripſerunt Porro veri Ordines tunc temporis ab Epiſcopo, ſaltem principaliter, conferebantur. Hinc Gillebertus, Lunicenſis in Hibernia Epiſcopus, in Epiſtola ab Uſſerio inter Hibernicas edita; *Quia*, inquit, *quilibet de Clero ſola juſſione Presbyteri poteſt officio Pſalmiſtæ fungi ... in numero graduum Eccleſiæ non ponimus*. 2. quia Amalarius Lib. 3. de divinis Officiis Cantores aperte diſtinguit ab Ordinatis: *Septem* inquit, *gradus ſunt Ordinatorum; octavus Cantorum; nonus & decimus Auditorum utriuſque ſexus*. Ergo Cantores, ut & Auditores utriuſque ſexus, ſunt extra claſsem ordinatorum. 3. quia antiqui, cum recenſent Ordines per quos ad Epiſcopatum aſcenditur, numquam inter eos Cantoratum reponunt.

20 Non Foſſarii, 1. quia Cornelius ſummus Pontifex in ſua ad Fabium Epiſtola (ſupra n. 5.) Ordines omnes ſedulo recenſet, immo nec prætermittit viduas, ipſoſque etiam infirmos & egentes, quos nutriebat Eccleſia Romana. Atqui tamen altum ſilet de Foſsariis, ſicut & de Cantoribus. Neque probari ſolide poteſt, utrumque Ordinem deinceps apud Latinos incœpiſse. 2. quia ut num. præc. dictum eſt, nullus Eccleſiæ Ordo ab alio, quam Epiſcopo ſub certa verborum forma, conferebatur, Atqui Foſsarii officium, nedum, ut quantum ad Ordines moris erat, ab Epiſcopo honorifice conferretur, per modum oneris imponebatur pœnitentibus, ſecundum id can. 81. ejuſdem Concilii Carthag. IV. *Mortuos pœnitentes Eccleſiæ efferant & ſepeliant*. 3. quia Foſſarii, præciſe qua tales, non gaudebant privilegiis Clericorum, ut notat Gotofredus ad legem *de luſtrali collatione* (Lib. 13. Cod. Theod. titul. 1.) Ergo nec, generatim loquendo, Clerici erant. Quamquam vix dubito, quin certis in Eccleſiis pium illud mortuos ſepeliendi officium ſolis Clericis demandatum fuerit. Id enim indicant allati in objectione textus, ubi laborantes, ſeu Foſsarii Clericorum nomine ſimpliciter vocantur.

21 Obj. 3. Tonſura inter Ordines numerari debet, cum & ab Epiſcopo conferatur, & veram tribuat facultatem, videlicet recipiendi Beneficia Eccleſiaſtica? Ergo ad minus Ordines octo admitti debent.

22 Reſp. difficultatem hanc a nobis fuſe ventilatum iri in ſpeciali de Tonſura Appendice.

23 Obj. 4. Nihil de Ordinum numero conſtitui poteſt, ſi vetus Eccleſia quandoque plures, quandoque pauciores admiſit, Atqui vetus Eccleſia...

Prob.

Prob. min. 1. Quia veterum aliqui tres tantum Ordines agnoſcunt. Sic Hieronymus in cap. 19. Iſaiæ, ubi Eccleſiam partitur in Ordines Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Fidelium & Catechumenorum. Sic & Optatus Lib. 2. contra Donatiſtas, ubi amare conqueritur, quod ii pœnitentiæ publicæ ſubjecerint *quatuor genera capitum*, quæ ſunt *in Eccleſia, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & Fidelium*. 2. Quia alii ex iiſdem Antiquis Exorciſtas & Acolythos in Ordinum enumeratione prætermittunt: ita incertus Auctor Epiſt. 13. ad Ruſticum. Alii vero Oſtiarios una cum Acolyhtis excludunt, ſoloſque Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Lectores atque Exorciſtas commemorant: ita Ambroſiaſter in cap. 4. Epiſt. ad Epheſios. Quid porro fixi in tanta varietate expiſcari liceat?

Reſp. 1. hinc ad ſummum ſequi quod particulares quædam Eccleſiæ 24
nonnullos Ordines jam a quarto ſæculo vel certis de cauſſis omiſerint, vel etiam neglexerint; uti nunc ſuſpicantur multi de Græca Eccleſia. Hinc porro quid contra primævam Eccleſiæ, Romanæ præſertim, omnium matris, traditionem?

Reſp. Neg. min. & dico nullum eſse ex Scriptoribus objectis, un- 25
de certo erui poſſit] pauciores in Eccleſia moraliter ſumpta fuiſse Ordines, quam ſeptem.

Non ex Hieronymo: is enim eo in loco varios enumerat Chriſtia- 26
norum, non autem Clericorum Ordines. Ibi nempe illud Iſaiæ 19. v. 18. *Erunt quinque civitatis in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum*, interpretatur de iis qui Chriſtianam Religionem profitentur, & quos ut quinque Ægypti civitatibus adæquet, in quinque ordines dividit, Epiſcoporum ſcilicet, Presbyterorum, Diaconorum, Fidelium & Cathecumenorum. Atqui evidens eſt Ordinis nomen eo loco de variis Chriſtianorum ſtatibus intelligendum eſse, non vero de Ordinatione. Ecquis ſapiens ſibi fingat, Catechumenatum, & Baptizati cujuſque, infantis etiam & mulieris, ſtatum in veris Ordinibus a S. Doctore comprehendi? Ergo nihil ex textu ipſius contra nos erui poteſt; multum vero ex ipſius doctrina contra adverſarios; cum Subdiaconorum aperte meminerit Epiſt. 91. Acolythorum Epiſt. 2. ceterorum vero in cap. 2. Epiſt. ad Titum.

Non ex Optato: is enim ſub Diaconorum nomine inferiores omnes 27
Miniſtros complectitur. Nempe Diaconum ſecundum vim nominis idem eſt ac Miniſter. Unde eo vocabulo frequenter ab Eccleſiaſticis Scriptoribus donantur, non ii ſolum quos ſpecialiter Diaconos nuncupamus, ſed & ii generatim, qui Sacerdoti ſacra facienti quovis in gradu miniſtrant. Jam vero ut Optatus latiori hoc ſenſu nomen Diacono accepiſse cenſeatur, ſatis eſt ut præter Diaconos agnoverit Miniſtros plures gradus inferioris. Agnovit porro. Sic enim loquitur Lib. 1. ejuſdem Operis: *Quid commemorem laicos; qui in Eccleſia nulla fuerunt dignitate ſuffulti? Quid Miniſtros plurimos, quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos? ipſi apices & principes omnium Epiſcopi*, &c. Ergo agnovit Optatus Miniſtros qui ad Diaconos ſe habent, ſicut ad Presbyteros Diaconi. Hæc ſolutio textui S. Hieronymi appli-

cati merito poteſt . Nec dubium quin ſub Diaconi vocabulo , inferiores Ordines comprehenderit .

28 Non ex Auctore incerto Epiſtol. 13. tum quia obſcurus Scriptor haud eſſe poteſt multi ponderis adverſus tot Patrum teſtimonia; tum quia contradicit Hieronymo Acolythos & Exorciſtas commemoranti ; tum quia fieri poteſt ut hos prætermiſerit, quia in domicilio ipſius obſoleviſſent. Hinc autem nihil contra totius moraliter Eccleſiæ Diſciplinam.

29 Non demum ex Ambroſiaſtro , cui nequaquam propoſitum erat , ut Ordines omnes qui ſuo tempore erant in uſu , commemoraret. Neque enim eo loci tractat ex profeſſo de Ordinibus, ſed ex occaſione, & quaſi aliud agendo, de iis mentionem aliquam facit. Nimirum hæc Apoſtoli verba Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas , alios vero Evangeliſtas , alios autem Paſtores & Doctores* , ſic quinque Ordinibus accommodat, ut Apoſtolorum nomine Epiſcopos; Prophetarum, Presbyteros; Evangeliſtarum, Diaconos; Paſtorum, Lectores; Doctorum Exorciſtas intelligi velit . Quis idcirco ab eo ceteros Ordines negari exiſtimet ? Quis non videat futurum fuiſſe ut eos recenſeret , ſi longius excreviſſet Apoſtoli enumeratio ? ita ex Vvitaſſio, tacite tamen , Auctor Operis de re Sacramentaria hic pag. mihi 234.

30 Obj. 5. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Atqui nulla eſt cauſſa cur plures Ordines in Eccleſia fuerint inſtituti.

31 Reſp. 1. pari argumento probatum iri, Deum perperam innumera creaſſe animalia; cum hęc ad Orbis conſtitutionem minime neceſſaria forent; Chriſtum item non debuiſſe vel cœci oculos linire ſaliva, vel in Apoſtolos inſufflare ad Spiritus Sancti & gratiæ infuſionem ; vel etiam Sacramenta inſtituere; cum & cœco viſum ſine ſaliva, & Apoſtolis Spiritum citra inſufflationem, & Fidelibus juſtitiam ſine Sacramentis largiri poſſet.

32 Reſp. 2. poſito quod in moralibus, quæ a Chriſti voluntate & munificentia dependent, id morali ſenſu neceſſarium dicatur, quod ad Dei gloriam & Fidelium utilitatem plurimum conducit, ſummopere *conſentaneum fuit, quo dignius & majori cum veneratione* Sacerdotium *exerceri poſſet, ut plures eſſent & diverſi Miniſtrorum Ordines*, prout dicit Tridentinum . Hinc tot apud Judæos Levitarum miniſteria . Hinc inſtillata populorum animis pietas, cum Eccleſiæ cæremonias a veneranda plurium Miniſtrorum ſerie religioſe exerceri conſpiciunt. Hinc nota illa tremebundi Valentis commotio , quando divinis apud Cæſaream interfuit Officiis . Verum his , quæ nos in longum traherent, prætermiſſis, ſufficiat hic deductam a S. Thoma ſeptennarii Ordinum numeri rationem exſcripſiſſe. Sic ille in 4 diſt. 24. art. 1. & Supl. q. 37. n. 2. *Dicendum quod Ordinis Sacramentum ad Sacramentum Euchariſtiæ ordinatur, quod eſt Sacramentum Sacramentorum ... Et ideo diſtinctio Ordinum eſt accipienda ſecundum relationem ad Euchariſtiam , quia poteſtas Ordinis aut eſt ad conſecrationem Euchariſtiæ ipſius , aut ad aliquod miniſterium ordinatum ad hoc . Si primo modo , ſic eſt Ordo Sacerdotum ; & ideo cum ordinantur , accipiunt calicem cum vino , & patenam cum pane , poteſtatem accipiendo conſecrandi Corpus & Sanguinem Chriſti . Cooperatio autem Miniſtrorum eſt vel in ordine ad ipſum Sacramentum , vel in ordine ad ſuſcipientes . Si primo, ſic tripliciter; 1. enim*

eſt miniſterium, quo Miniſter cooperatur Sacerdoti in ipſo Sacramento, quantum ad diſpenſationem, ſed non quantum ad conſecrationem quam ſolus Sacerdos facit, & hoc pertinet ad Diaconum. Unde in Littera Magiſtri Sent. *dicitur, quod ad Diaconum pertinet miniſtrare Sacerdotibus in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Chriſti: unde & ipſe Chriſti ſanguinem diſpenſat. 2. Eſt miniſterium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in ſacris vaſis ipſius Sacramenti: & hoc pertinent ad Subdiaconum; unde dicitur in Littera, quod vaſa Corporis & Sanguinis Domini portant, & oblationes in Altari ponunt; & ideo accipiunt calicem de manu Epiſcopi, ſed vacuum, cum ordinantur. 3. Eſt miniſterium ordinatum ad præſtandam materiam Sacramenti: & hoc competit Acolytho: ipſe enim, ut in Littera dicitur, urceolum cum vino & aqua præparat; unde accipit urceolum vacuum. Sed miniſterium ad præparationem recipientium ordinatum non poteſt eſſe niſi ſuper immundos; quia qui mundi ſunt, jam ſunt ad Sacramenta percipienda idonei. Triplex autem eſt genus immundorum, ſecundum Dionyſium,* Lib. de Eccl. Hierarchia, cap. 3. *Quidam enim ſunt omnino infideles, credere nolentes; & hi totaliter, etiam a viſione divinorum & a cœtu Fidelium arcendi ſunt, & hoc pertinet ad Oſtiarios. Quidam autem ſunt volentes credere, ſed nondum inſtructi, ſcilicet Catechumeni: & ad horum inſtructionem ordinatur Ordo Lectorum; & ideo prima rudimenta doctrinæ Fidei, ſcilicet vetus Teſtamentum, eis legendum committitur. Quidam vero ſunt fideles & inſtructi, ſed impedimentum habentes ex dæmonis poteſtate, ſcilicet energumeni; & ad hoc miniſterium eſt Ordo Exorciſtarum. Et ſic patet ratio & numeri, & gradus Ordinum.*

Obj. 6. Non poſſunt eſſe plures in Eccleſia Latina Ordines, quam in Eccleſia Græca & aliis Orientalibus. Atqui nec in iſtis, nec in illa plures ſunt, aut uſquam fuerunt, Ordines quam quatuor; nimirum tres ſacri cum Ordine Lectorum. Atque ita ſentiunt recentiores plerique, ut Jueninus, Witaſſius, Scriptor Operis de re Sacramentaria, & alii paſſim, quos ſequitur Tournely pag. 240. 33

Reſp. 1. neg. maj. In rebus enim quæ ad diſciplinam ſpectant, fieri ut Eccleſiæ variæ varias in partes abeant, immo ut earum plures eam quandoque partem teneant, quæ licet ſecundum ſe ſpectata, minus conſentanea ſit, attenta nihilominus locorum indole, magis expedire judicatur. Tunc autem non deeſt proprie ſubſtantia rei, ſed exercitium ipſius. Sane vero, ſi Novatiani, etſi Confirmationis Sacramentum habentes cum ceteris fidelibus, hujuſce tamen uſum neglexere, uti diximus Tom. V. pag. 2. & 3. quidni idipſum in præſenti materia eveniſſe ſupponatur? 34

Reſp. 2. Hærere etiamnum Theologos circa numerum Ordinum, qui olim in Eccleſiis Orientalibus viguere. Qua de controverſia ſit 35

Conclusio II. Etſi probabile eſt quatuor tantum apud Græcos eſse aut uſpiam fuiſſe Miniſtrorum Ordines, contraria tamen opinio non improbabiliter defendi poteſt. Utriuſque partis momenta cum reſponſis, qua melior licebit fide, proponemus. 36

Prob. Itaque I. Pars: Qui Ordines recenſendo, vel de Acolythis, Exorciſtis, atque Oſtiariis omnino ſilent; vel ſi forte eos commemorant, com- 37

memorant tantum ut officia Eccleſiaſtica, non autem ut gradus ad quos quis per actionem ſacram, ſeu veram Ordinationem promoveatur: illi dubio procul Acolythatum, Exorciſtatum, atque Oſtiariatum pro veris Ordinibus non habent. Atqui Græci Ordines recenſendo, &c.

38 Prob. min. 1. Ex Canonibus vulgo Apoſtolicis, quorum 42. & 43. ſingulos Ordines evolvendo, de ſolis Presbytero, Diacono, Subdiacono & Lectore mentionem faciunt, his verbis: *Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ atque ebrietati deſerviens, aut deſinat, aut certe communione privetur: Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione privetur: ſimiliter etiam Laicus*. Ubi porro non prætermittuntur laici, nec utique prætermiſſi fuiſſent Acolythi, ſi ejuſdem cum Lectoribus fuiſſent dignitatis.

39 2. Ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ Lib. 8. cap. 4. 5. 16. 17. &c. fuſe ſingularum quæ tunc in Eccleſia vigebant Ordinationum ritus præſcribitur. Atqui licet in iis ne Cantores quidem ac Diaconiſſæ omittantur, omittuntur tamen Acolythi, & Oſtiarii. Equidem meminit Auctor Exorciſtarum, ſed ut moneat eos Ordinibus non annumerari: *Exorciſta*, inquit, *nuſquam Ordinatur: hoc enim munus ſpontanea eſt divinæ benevolentiæ & gratiæ erga homines conceſſio*. Jam vero utrumque illud opus, tametſi Apoſtolis perperam affictum, magnæ ſemper a quarto vel quinto ſæculo fuit auctoritatis in Eccleſia Græca; nec dubium quin ejus Diſciplinam exhibeat. (Hæc objectio ſatis diluetur n. 69.

40 3. Ex liturgia veteri quæ S. Marco adſcribitur. In ea ſiquidem pro univerſis Cleri Ordinibus funduntur iſtæ preces: *Memeno etiam Domine ubique degentium Orthodoxorum Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Monachorum, Viduarum, Laicorum*. Jam vero cur tam profunda Acolythorum, &c. oblivio, ſi Clericorum Ordini adſcripti fuiſſent.

41 4. Ex Concilio Sardicenſi Can. 10. ubi ſic Oſius: *Epiſcopus non prius conſtituatur, quam Lectoris, Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri miniſterium peregerit; ut per ſingulos gradus .. ad Epiſcopatus faſtigium poſſit aſcendere.* Ergo qui Lectoris, Subdiaconi, &c. gradus percurrerat, ſingulos gradus percurrerat. Proinde ignoti tunc erat Oſtiariorum, Exorciſtarum & Acolythorum gradus. Hinc Scriptor vitæ S. Cypriani, qui ſub Diocletianum Martyrium paſſus eſt die 26. Septembris, narrat hunc 1. Lectorem, deinde Subdiaconum, ac demum ex Diacono Sacerdotem conſtitutum fuiſſe.

42 5. Ex Juſtiniano, qui Novella 3. enumerans ſingulos Clericorum Ordines, quos ſacro miniſterio in majori CP. Eccleſia incumbere decernit: *Sancimus*, inquit, *non ultra ſexaginta Presbyteros in ſanctiſſima majore Eccleſia eſse; Diaconos autem maſculos centum, & quadraginta feminas: Subdiaconos autem nonaginta; Lectores autem centum & decem; Cantores viginti-quinque: ita ut ſit omnis numerus Reverendiſſimorum Clericorum Sanctiſſimæ majoris Eccleſiæ, in quadragintis viginti quinque; & inſuper centum exiſtentibus his qui vocatur Oſtiarii*. Atqui hic plene ſiletur de Acolythis & Exorciſtis. Equidem mentio fit de Oſtiariis: verum hic extra *Reverendiſſimorum Clericorum* Ordinem reponuntur.

43 Idem colligere eſt, tum ex Novella 123. tum ex leg. 45. Lib. 1. Cod. tit. 3.

tit. 3. quarum prior *Clericis omnibus* rerum quæ ad eos deveniunt, dominium permittens, de ſolis infra Subdiaconos Cantoribus atque Lectoribus loquitur; altera ſolis poſt eoſdem Subdiaconos Pſaltis atque Lectoribus nuptias permittit. Atqui utraque ea lex manifeſte ſupponit univerſum Clerum in Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Pſaltis & Lectoribus contineri. 44

Denique ut plura hujus generis monumenta prætercam idem, non major, Ordinum, numerus decretorie infertur ex Synodo generali VIII. quæ eſt Conſtantinopolitana IV. ſic illa ſeſſ. 10. can. 5. *Si quis ... per omnes gradus Eccleſiaſticos definitis temporibus, vitam agendo inculpatam, tranſiiſſe reperiantur, ita ut in Lectoris munere annum; in Subdiaconi duos; in Diaconi tres; in Sacerdotii quatuor annos explevit, ad Epiſcopatus honorem evehatur.*

Ad hujus Canonis mentem Nicetas ſic de S. Ignatio & Photio, priori quidem legitimo Conſtantinopoleos Patriarcha, poſteriori autem intruſo, ſcribit in ejuſdem S. Ignatii vita: *Primum quidem* Ignatius *Sacram Litterarum Præco*, ſeu Lector; *deinde Hypodiaconus, tum Diaconus ac deinde Sacerdos Ordine ac lege Eccleſiaſticorum Ordinum conſecratur*. Contra *vero* in Photio *cernere erat, ut fertur adagio, extemporalem, fictitium, ſeu perſonatum ſanctum. Nam primo die Monachus ex laico, altero Lector, tum Hypodiaconus ac Diaconus, deinde Presbyter, ſexto denique qui fuit Chriſti natalis, Sacerdotalem conſcendens thronum, pacem populo, nihil vera pace dignum cogitans, nuntiavit*. Atqui tum ex prædicto Canone, tum ex agitata per viginti annos uſurpatoris Photii cauſſa, invicte probatur, quatuor duntaxat in Eccleſiis Græcis fuiſſe Ordines. Neque enim alios recepit Ignatius, vel Photius. Huic tamen a nemine uſquam exprobratum eſt, quod omiſſis inferioribus ad ſuperiores evolaſſet. Id unum ipſi, tum a Synodo, tum a Nicolao I. & Adriano II. R. Pontificibus, in culpam verſum eſt, quod ſtatuta in unoquoque Ordine interſtitia, CP. Sedis avidus, non obſervaſset. Ergo. 45

Confirm. quia cum eadem Synodus poſt Nicolaum I. ſtatuiſſet Can. 24. ne ullus e Presbyteris, Diaconis aut Subdiaconis, qui Photio adhæſiſſent, ſuo in gradu remaneret; Ignatii animum inceſſit dubitatio an non ergo admitti poſſent Lectores a Photio conſecrati; quod Canone 4. ejuſdem Concilii prohibitum fuiſſe videbatur, qua de re Adrianum II. conſulit idem Sanctus Antiſtes. Atqui ſi præter Lectorum Ordinem fuiſſent in Eccleſia CP. Ordines Acolythorum, &c. de iis indubie Nicolaum I. interrogaſſet Ignatius: quia ubi par erat cauſſa, par fuiſſet ſancti Præſulis anxietas. Ergo cum de ſolis Lectoribus ſermonem habuerit, omnino neceſſum eſt ut præter eorum Ordinem nullus alius in Eccleſia CP. fuerit Ordo inferior. 46

Et vero Euchologia omnia, quæ ab octo ut minimum ſæculis deſcripta ſunt, Lectoris quidem, Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri gradus exprimunt, rituſque in eorum conſecratione obſervandos accurate recenſent. Atqui ne voculam quidem habent de Acolythis, & aliis infra Ordinibus. Jam vero fieri non potuit, ut Græci tres illos Ordines ſuis in Ritualibus omitterent conſtanter, ſi eoſdem pari cum ceteris loco 47

habuiſſent. Neque enim dici poteſt id caſu contigiſſe, vel meditato conſilio. Non caſu, cum impoſſibile ſit, ut qui variis locis ac temporibus ſcribunt, in omittenda re magni momenti omnes fortuito concordent. Non Conſilio: cum hinc nihil eis boni obvenire poſſet; multum autem detrimenti, ſeu ipſis qui falſi, vel ut minimum ſummæ negligentiæ redargui poterant; ſeu Eccleſiæ, cujus pacem ac diſciplinam in negotio ad Religionem ſpectante, gratis perturbabant. Ergo. Ita citatus Auctor Operis de re Sacramentaria poſt Vvitaſſium, cujus nomen, etſi utique ipſi multum debet, an caſu, an meditato conſilio prætermiſerit, aliis expendendum dimitto. Jam exhibenda opinionis contrariæ momenta. Unde.

48 Prob. 2. pars ex veteribus Græcorum monumentis, quæ Ordines alios ultra recenſitos quatuor commemorant. Et quidem 1. Auctor Epiſtolæ ad Antiochenos, quæ etſi perperam tribuitur Ignatio Martyri, multæ tamen eſt antiquitatis, ſic diſertim habet: *Saluto ſanctum Presbyterium, ſaluto ſacros Diaconos, ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores.*

49 2. Dionyſius, ſeu quiſquis alius eſt Auctor Lib. de Eccleſ. Hierarchia, indubie antiquus, cap. 3. præter Lectores enumerat & alios, *quorum nonnulli foribus Templi aſſiſtunt; ceteri autem aliud quidpiam, quod ſit ſui Ordinis agunt.* Hic Lectoribus Oſtiarii, Oſtiariis alii annumerantur tamquam aliquid *Ordinis ſui* agentes. Ergo non ultimus erat Lectorum Ordo, ſed alii erant inferiores.

50 3. Synodus Laodicena ſub Damaſi pontificatu habita, can. 24. *Non oportet Sacratos*, ſeu ut alii legunt, *Clericos ſervientes, a Presbyteris uſque ad Diaconos, & deinceps quemlibet Eccleſiaſtici Ordinis, uſque ad Miniſtros* (ita vocat Subdiaconos, ait hic Cabaſſut. in Notitia) *vel Lectores, vel Cantores, vel Exorciſtas, vel Oſtiarios, vel Aſcetas* (*hi ſunt Monachi*) *in cauponam ingredi.* Hic porro, dempto Acolythatu iidem recenſentur *Eccleſiaſtici Ordines*, qui nunc apud nos vigent. Nec obeſt quod Aſcetæ Ordinem proprie dictum non conſtituant, proinde nec Oſtiarii; quia alia verſio ſic habet: *aut Exorciſtas, aut Oſtiarios, aut etiam eos qui in propoſito continentiæ ſunt.* Ubi vox *etiam* claſſem *continentium* ab Oſtiariorum claſſe penitus diverſam eſſe oſtendit.

51 4. S. Epiphanius in Expoſit. Fidei Cap. 21. poſt hæreſim 80. poſtquam Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos Subdiaconos & Diaconiſſas recenſuit, *Poſtea*, inquit *ſequuntur Exorciſtæ & linguarum Interpretes .... Sequuntur Laborantes, qui mortuorum corpora curant; tum Janitores, & reliqui diſciplinæ cauſſa Ordines conſtituti.* Ergo Exorciſtæ perinde ac Linguarum interpretes ſeu Lectores, item Oſtiarii, quin & Laborantes, neque hi ſolum ſed alii etiam *diſciplinæ cauſſa conſtituti*, ſeu Acolythi forent, ſeu ad officium quoddam non abſimile deputati, inter vere ordinatos cenſebantur.

52 5. Simeon Theſſalonicenſis (apud Morinum part. 2. pag. 129 mihi vero 106. edit. Antuerp.) *Duæ*, inquit, *ſunt extra Sanctuarium manuum impoſitiones, Lectoris & Hypodiaconi: ſunt & aliæ, officiorum videlicet & deputati, ſive, ut ita dicam, Ceroferarii, quæ ante Lectorem celebratur. Iſta*

neſcio

neſcio qua ratione non ſit amplius, & nunc veluti defecit. Vigebat autem ante paucum tempus in Theſſalonicenſi Eccleſia, & in antiquis Formulariis deſcribitur. Ergo Ceroferi ſeu Acolythi Ordinatio fiebat per manuum impoſitionem. Unde eadem in veteri quodam Euchologio apud Goarium appellatur *Chirotonia*, quod nomen veram manus impoſitionem exprimit. Ea quidem tempore Simeonis defecerat, ſed nec ubique adhuc, nec jam pridem; cum *ante paucum tempus in Eccleſia Theſſalonicenſi* vigeret, & in antiquis Ritualibus deſcripta reperiretur.

6. Gabriel Philadelphienſis Metropolita, apud eundem Morinum p. 164. *Septem*, inquit, *ſunt Ordines Sacerdotii. Primus eſt Janitorum & Acolythorum. 2. Exorciſtarum 3 Lectoris. 4. Subdiaconorum, 5. Sacrorum Diaconorum 6. Sacerdotum, 7. Principum Sacerdotum, ſive Epiſcoporum.* Hic autem eo ſolum a Latinis differt Gabriel ille, quod Janitores cum Acolythis permiſceat; & Ordines ſuos alia recenſeat ſerie, quam Latini: utique quia iidem Ordines non eadem ſerie in Eccleſia ſua traderentur, qua apud Latinos; & quia Oſtiariatus ſimul cum Acolythatu conferretur. Atque hinc conſequi videtur, non ita recte a Vvitaſſio p. 73. reponi, Scriptorem hunc id unum voluiſſe ut Græcam Eccleſiam cum Latina conciliaret. Neque enim vel Latini Epiſcopatum in ſeptimo gradu; vel Acolythatum in ſecundo reponunt. Quod autem addit idem Pariſienſis Magiſter, Gabrielem iſtum recentioris eſſe ævi, quam ut fidem mereatur; eumque ab Eccleſiæ Græcæ uſu procul abiiſſe; verum eſſe poteſt ſi de communiori Neogræcorum uſu intelligatur: falſum, ſi vel de antiquis Græcorum Eccleſiis, vel de omnibus recentiorum. Namque Gabriel ille ſuam de ſeptennario Ordinum numero ſententiam probat 1. ex Pſeudo-Ignatio, qui infra Lectores, *Pſaltes, Janitores, Exorciſtas & reliquos* enumerat; 2. ex ſeptimo Canone Antiochenæ Synodi, Exorciſtas etiam commemorante; 3. ex quarto Canone Synodi ut vocat *æcumenicæ in Trullo*, ubi hæc legere eſt: *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor, vel Janitor mulierem Deo conſecratam*, &c. Quæ ſaltem probant non ita fixum apud Græcos fuiſſe quatuor Ordinum numerum, ut nullos alios ultra admitterent. Præterea mirum ſenſato cuivis accidet, quod Philadelphienſis Metropolita Ordines ubique ignotos, velut de facto exiſtentes, Coepiſcopis ſuis propinaſſe ſupponatur. 53

Jam videndum qua ratione a ceteris argumentis ſe ſe expediant primæ Opinionis defenſores. Hæc porto una eademque diſtinctione ſolvunt, vel eludunt. Sic ergo illi: Ex veteribus Græcorum monumentis conſtat, plures eſſe Ordines quam quatuor, plures, inquam, late & improprie dictos, Concedunt: plures vere & proprie dictos, Negant. 54

Itaque, ajunt cum Auctore de re Sacram. pag. 237. fatemur, jam inde ab initio præter Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos & Lectores, fuiſſe plures alios in Eccleſia Græca Miniſtros, Janitores, videlicet, Exorciſtas, &c. Sed negamus eoſdem Ordinibus proprie dictis initiatos eſſe. Siquidem is ſolum gradus vere eſt ac proprie Ordo, qui ab Epiſcopo per actionem ſacram, cum habitudine ad divinam Euchariſtiam confertur. Ordo autem improprie ſumptus eſt officium 55

quod-

quodlibet, ſive miniſterium Eccleſiaſticum, juſſu Epiſcopi aut Presbyteri a Clerico quolibet, quin & quandoque a Laico ſuſceptum. Jam vero diſtinctionem hanc inter Græcos olim uſu communi receptam fuiſſe multis modis demonſtratur. Sic enim 1. S. Baſilius in Epiſt. Canonica ad Amphilochium, Can. 51. tria diſtinguit genera Clericorum; primum eorum qui ſunt in gradu; duo eorum qui ſunt in miniſterio; eo quod duplex miniſterium ſit, aliud quod confertur per manuum impoſitionem, aliud quod datur ſine manuum impoſitione. *Canones*, inquit, *unum in Clericis qui lapſi ſunt ſupplicium decerni* jubent; *motionem ſcilicet a miniſterio; ſive ſint in gradu, ſive etiam in miniſterio, quod non impoſitis manibus datur*. ſic 2. Concilium Calcedonenſe œcumenicum Can. 2. (Tom. 2. Conc. p. 756.) *Si quis Epiſcopus*, inquit, *propter pecunias ordinaverit Epiſcopum, vel Chorepiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in Clero annumerantur: vel propter pecunias promoverit Oeconomum, vel Defenſorem, vel Paramonarium* (*), *vel omnino aliquem ex Canone, turpis quæſtus gratia: qui hoc tentaſſe convictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat, & qui ſic eſt ordinatus, ex ordinatione, vel promotione .... nihil juvetur: ſed ſit ab Officio, & dignitate, vel curatione*, ſeu adminiſtratione *alienus, quam pecuniis adeptus eſt*. Ubi Ordinatio a promotione, & dignitas Eccleſiaſtica a ſimplici officio accurate diſtinguitur. Sic 3. Græci poſteriores, quorum inſtar ſit Balſamon in Supplem. (apud Goarium pag. 379.) ubi hæc: *Officia Eccleſiaſtica abuſive gradus vocantur: eſt enim proprie gradus Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Lectorum: Officia autem ſunt honores & victus ſubminiſtrationes*.

56 His, inquiunt, poſitis vaneſcit difficultas ex objectis Patribus deſumpta. Ex iis enim ſequitur equidem præter memoratos quatuor Ordines, varios extitiſſe Miniſtros, qui Canoni Eccleſiaſtico inſcripti erant: at neque ſequitur, neque hinc probari poteſt, Miniſtros illos per veram Ordinationem inſtitutos fuiſſe; quandiu autem non probabitur Ordinatio, non probabitur vere ac proprie dictus Ordo.

57 Jam vero ut prædictos Patres de miniſterio, non autem de veris Ordinibus loqui demonſtrent, eoſdem ſigillatim in hunc modum evolvunt. Et quidem 1. Auctor Epiſt. ad Antiochenos, quæ quia Ignatii non eſt, ſed incerti Auctoris, longe minoris eſt pretii; non modo infra Lectores ſalutat Cantores & Oſtiarios, ſed & Laborantes, atque Confeſſores: Atqui conſtat, neque Laborantes, neque Confeſſores vero ullo Ordine fuiſſe inſignitos. Adde quod idem Scriptor ſileat

58 de Acolythis.

2. Eadem reſponſio Dionyſii verbis applicari facile poteſt. Unde apud eum Ordinis nomen latiori ſenſu intelligitur.

59 3. Ex Synodo Laodicena nihil inferri poteſt, 1. quia Subdiaconos & Acolythos omittit; 2. quia eo quod de Exorciſtis & Oſtiariis loquatur, non magis inferri poteſt eoſdem vere & proprie inter Ordines cenſeri, quam dici id poſſit de Cantoribus & Aſcetis, quos eadem Synodus comme-

(*) Paramonarius, ſeu ut quædam Dionyſii & Iſidori editiones habent, Manſionarius, quidam erat rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrator.

memorat; 3. quia ut Ignatius ſupra, Exorciſtas infra Lectores collocat; ideo ſane, quia de Exorciſtatus officio, non autem de Ordine ſermo ſit. Exorciſtatus enim Ordo ſupra Lectoratus Ordinem conſtitui deberet.

4. Præterquam Epiphanius nihil habet de Acolythis, non magis ex verbis ejus colligi poteſt Exorciſtas & Oſtiarios in Eccleſia Græca fuiſſe genuini nominis Ordines, quam id de Diaconiſſis & Laborantibus, quos ibidem appellat, cenſeri poſſit. Atqui iſtud non, &c. 60

5. Ut ſolvatur textus e Simeone, Theſſalonicenſi Archiepiſcopo, duo ſufficiunt; 1. ut conſtet apud Græcos fuiſſe olim ordinationem improprie dictam, quæ fiebat cum benedictione & manuum impoſitione; 2. hujus generis eam fuiſſe de qua loquitur Simeon Theſſalonicenſis. Atqui utrumque conſtat. Primum quidem, quia in antiquis Græcorum Ritualibus legitur etiam *Ordo obſervandus in ordinatione*, græce Chirotonia, *Oeconomi Monaſterii*. Oeconomi autem ordinatio non erat proprie dicta. Secundum non minus evidens eſt; ſiquidem apud Græcos Lectoratus primum inter Ordines veros locum habet, ſecundum id S. Joan. Damaſceni in Dialogo contra Manichæos jam ab initio: *Principium de Ordine quoque dicitur, ut prima dignitas Lector eſt, ſecunda Subdiaconus, poſt Diaconus*, &c. Quod & jam pridem docuerant Conſtitutiones & Canones Apoſtolici, Synodus Sardicenſis &c. Ergo Ceroferi de quibus Simeon, nec ſunt nec eſſe poſſunt veri Ordines, ſed ſimplex deputatio. Hæc illi in ſumma, quæ licet gravia ſint, imminui tamen poſſe videntur. Quod ut melius fiat, jam expendendum an primæ opinionis momenta omni ſint exceptione majora. Id ſiquidem etiamnum negant Doctores neutiquam contemnendi. Hi porro 61

Reſpondent ad 1. ſupra n. 37. diſt. min. Græci aliqui Ordines recenſendo, Acolythatum & alios infra Ordines omittunt, tranſeat, ſaltem quantum ad aliquid, propter dicenda n. 66. Græci omnes, N. Itaque certum videtur non omnes, qui ab initio apud Latinos viguerunt, Ordines, in omnibus Græcorum Eccleſiis viguiſſe. At tria non improbabiliter ſtatui poſſe videntur, 1. in pluribus Græcorum Eccleſiis, iis etiam quæ ſecundum textus nobis objectos regebantur, plures fuiſſe Ordines, quam quatuor; 2. in aliis quibuſdam plures fuiſſe ex Latinis Ordinibus; 3. fuiſſe Acolythatum & alios infra ordines in iis etiam Eccleſiis quæ Acolythorum nomen ignoraſſe videntur. 62

Prima pars ſuadetur, quia plurimi ex objectis textibus de Cantoratu loquuntur, ut de functione a Lectoratu diſtincta; prout videre eſt nu. 37. 38. 39. 41. &c. Atqui veri plurimum ſimile eſt, Cantoratum, non ubique equidem, ſed multis in locis verum fuiſſe Ordinem. 1. quia communiter jungitur Lectoratui, & ipſum quandoque præcedit, ut bis videre eſt num. 43. Ergo alicubi par erat utriuſque conditio; 2. quia ſi Cantoratui ſua auferatur Ordinis dignitas, eo quia non raro Monachis aut Virginibus jungatur; eadem dignitas non ægre auferetur Lectoribus, quia hos vulgo excipiunt, quin & aliquando præcedunt Cantores; 3. quia etſi Cantoratus in Eccleſia Latina a ſolo Presbytero tradebatur, ideoque nec Ordo erat in eadem Eccleſia, ut probavimus num. 19. a ſolo tamen Epiſcopo conferebatur in Eccleſia Græca; ut patet ex Lib. 3. Conſtitut. Apoſtol. Cap. XI. cujus hæc 63

ſunt

ſunt verba, quæ ſibi recentiores objicere potuiſſent: *Non concedimus* P. mihi 60. *Presbyteros Ordinare Diaconos, Diaconiſſas, Lectores, Miniſtros, Cantores, Oſtiarios, ſed ſolos Epiſcopos: is enim eſt ordo & harmonia Eccleſiaſtica.* Ergo licet in Lib. 8. earumdem Conſtitutionum non occurrant ritus inaugurandi Cantores, Oſtiarios, &c. certum eſt tamen eos & vere ordinatos fuiſſe, & non ab aliis quam Epiſcopis ordinari potuiſſe. Addunt aliqui Canonem 25. ex Apoſtolicis indulgere facultatem nubendi Lectoribus & Cantoribus; qua quidem facultate non indiguiſſent homines laici. Verum nihil inde contra adverſarios, qui Cantores Cleri membra fuiſſe non inficiantur. Id unum hinc colligi poſſit, vicinos admodum fuiſſe utriuſque gradus Ordines. Unde temporum lapſu factum eſt ut ſimul eidem perſonæ traderentur; ſecundum id Euchologii: *Ordo qui obſervari ſolet in Ordinatione Lectoris & Pſaltis.*

64 Quod de Cantoribus, idem de Foſſariis judicari poteſt, quantum ad aliquas Græcæ Eccleſiæ partes. Id nempe ſubindicat Pſeudo-Ignatius in Epiſt. ad Antiochenos, ubi *Laborantes* ponit ante Exorciſtas; & apertius docet Epiphanius ſupra num. 51. ubi Exorciſtas ſequuntur *Laborantes, tum Janitores, ac reliqui diſciplinæ cauſſa Ordines inſtituti.* Quod autem reponit Vvitaſſius, Copiatas, Bajulos, Veſpiliones, uno verbo Foſſarios inter officia recenſeri a Juſtiniano Nov. 43. probat ad ſummum eos non ubique Ordinis gradum habuiſſe. Sed nec multum urget quod ſubdit idem Theologus, videlicet in Eccleſia ſemper cautum fuiſſe, ut nemo niſi Ordine inferiori donatus ad ſuperiorem promoveretur: nullibi autem ſancitum lege, ut quis ante Foſſarii officium obiret, quam Lectoris, vel Subdiaconi, &c. Nam 1. unde habet eruditus Doctor, in Eccleſia Salaminenſi, cui præerat S. Epiphanius, cautum non fuiſſe ut nemo ad Subdiaconatum promoveretur, niſi qui pio Laborantium munere defunctus eſſet? 2. an quia in Eccleſiis quæ pauciores habebant Ordines, nemo per ſaltum ordinari poterat; ordinatio per ſaltum ideo in omnibus Eccleſiis prohibita erat? nullum certe eſt in præſenti materia pejus argumentum, quam quod ab una Eccleſia ad aliam protenditur: cum certo conſtet, nec eoſdem Ordines ubique; nec eandem in omnibus locis viguiſſe diſciplinam. Nec demum plus nocet, quod *nullibi in Ritualibus legitur Copiatarum Ordinatio.* Quid enim e Ritualibus, quorum antiquiora vix octingentos annos habent, inferri poteſt contra Ordinem qui diu ante deſierat, nec forte umquam viguerat in locis, pro quibus eadem Ritualia compoſita erant? Præterea; fatente Vvitaſſio pag. 59. nulla in Conſtitutionibus Apoſtolicis fit mentio Ordinationis Oſtiariorum. Atqui tamen, eodem Vvitaſſio diſſimulante, conſtat ex Lib. 3. Cap. 11. Oſtiarios perinde ac Lectores ordinatos fuiſſe, & quidem ab Epiſcopo ſolo. Ergo fuit aliquando Ordinatio quæpiam ſine expreſſo ejuſdem Ordinationis ritu.

65 Secunda pars, nempe in nonnullis Græcorum Eccleſiis fuiſſe quoſdam extra Lectoratum e minoribus Eccleſiæ Latinæ Ordinibus, non minus probabilis eſt. Namque 1. de Oſtiariatu, velut de Ordine per ſolum Epiſcopum conferendo, mentionem faciunt Conſtitutiones Apoſtolicæ in loco

mox

mox citato: ejuſdemque meminit Epiphanius. 2. Oſtiarios & Exorciſtas palam commemorat Laodicena Synodus, Can.24. ſupra n.50. Ergo jam in nonnullis Græcorum Eccleſiis habemus omnes Eccleſiæ Latinæ Ordines; unuſque deeſt Acolythatus: ſed neque is ubique defuit. Unde

Tertia pars probatur, videlicet quod Acolythatum habuerint non- 66
nullæ ex iis etiam Eccleſiis, quæ Acolythorum nomen ignoraſſe videntur. Scilicet enim Acolythatus eſt Ordo dans poteſtatem accendendi ex officio Eccleſiæ luminaria, & urceolos cum vino & aqua in Miſſa porrigendi. Atqui Ordinem hunc una cum Lectoratu vel Subdiaconatu tradunt Græci ſaltem aliqui. Hinc preſſi a Goario, cur inferiores alios præter Lectoratum Ordines non darent; reſponderunt non ſemel, in una Lectoris Ordinatione comprehendi ceteras omnes, quas ſigillatim ac diſtincte conferunt Latini. Inde quidem deducit Vvitaſſius pag.68. Græcos nullum e Minoribus Ordinem habere præter Lectoratum: at contrarium, ſalva conſcientia, inferre poterat, niſi aut crediderit Minores duos non poſſe ſimul & ſemel per formam formulas duas virtualiter continentem tradi; aut, quod longe probabilius eſt, Græcos, id reſpondendo, effugium quæſiviſſe. At poſtremum iſtud non dicet, qui textus modo citandos ponderaverit. Sic ergo loquitur Abraham Ecchellenſis, celeber Maronita e Libano, in notis ad Canones Arabicos Concilii Niceni, nota 18. ad hæc verba cap. 14. *Nec promoveatur ad tertium Ordinem, nempe Diaconatum;* ſic, inquam loquitur apud Labb. Tom. 2. Concil. pag. 409. " Diaconatus hic vocatur tertius Ordo,
,, cum tamen juxta receptum Eccleſiæ uſum ſit ſextus. Quamobrem
,, eſt notandum in omnibus omnium Orientalium Euchologiis, ſeu
,, Ritualibus, nullam occurrere Oſtiarii, Exorciſtæ & Acolythi ordina-
,, tionem, ſed Lectoris tantum, Subdiaconi, & reliquorum. Inde Græ-
,, corum quidam apud Jacobum Goar in notis ad ipſorum Græco-
,, rum Euchologium, volunt, hos tres Ordines includi in Lectoratu.
,, At, mea Sententia, Oſtiarii & Acolythi, non tantum apud Græ-
,, cos, ſed apud omnes reliquos Orientales, in Subdiaconatu includi
,, videntur, ſi Euchologiorum, ſeu Ritualium verba diligenter atten-
,, dantur. Nam ſi Oſtiarii eſt cuſtodire oſtia Eccleſiæ, & Acolythi ac-
,, cendere lucernas, procul dubio hæc duo officia Subdiacono in ejus
,, ordinatione injunguntur. Apud Græcos id manifeſte conſtat ex hi-
,, ſce verbis precis, quæ pro Subdiacono funditur, dum ordinatur:
,, *Ipſe Domine inculpatum illum in omnibus conſerva, & domus tuæ deco-*
,, *rem diligere, ſancti Templi tui foribus adſtare, & tabernaculi gloriæ lu-*
,, *cernam accendere concede.* Euchologium Melchitarum Arabicum: *Tu*
,, *Domine concede illi, ut diligat decorem domus tuæ, & conſerva eum omni-*
,, *bus temporibus inculpatum, ut adſtet foribus templi tui ſancti, & accendat*
,, *lampades tabernaculi tuæ gloriæ.* Clarius Rituale Eccleſiæ Maronitarum
,, in rubrica Ordinationis ipſius Subdiaconi: *Cum autem pervenit ad lam-*
,, *padem, accendit illam & extinguit tribus vicibus, & vadit ad portam Ec-*
,, *cleſiæ, eamque claudit & aperit tribus vicibus.* In Euchologio Copthita-
,, rum & Jacobitarum in admonitione ad ordinatum Subdiaconum, in-
,, ter cetera quæ ejus muneris eſſe affirmantur, hæc leguntur: *Tui officii*
,, *eſt cuſtodire oſtia domus Dei, quæ eſt Eccleſia, nec patiaris ad eam ingredi ju-*

,, *men-*

„ *mentum*, *vel canem*, *vel hæreticum quempiam tempore ſacri Miniſterii*.
„ Et poſt pauca. *Et cave magna diligentia cuſtodire oſtia Eccleſiæ*, *quia*
„ *tibi concredita ſunt ſacra illibati Miniſterii vaſa cuſtodienda*. Exorciſtæ
„ tandem officium, ſeu Ordo, ex Orientalium ſententia videtur in-
„ cludi in Diaconatu, cum aſſerant Domini Diſcipulos tunc ordinatos
„ fuiſſe Diaconos, cum *binos miſit illos ante faciem ſuam*, deditque eis
„ poteſtatem ſpirituum immundorum. Hanc ſententiam tamquam com-
„ munem & receptiorem affert Joannes Maro Lib. de Sacerdotio,
„ cap. 11. hiſce verbis: *Ipſe* (Chriſtus) *primus ſpiritu æterno ſemetipſum*
„ *ſine macula ſecundum ordinem ſacrificii Melchiſedech obtulit Deo*, *& fa-*
„ *ctus eſt Sacerdos in æternum*, *conceſſitque Sacerdotium ſuis Apoſtolis*, *ad*
„ *ſtabiliendam Eccleſiam terrenam*. *Hoc autem ter & tribus temporibus*, *pri-*
„ *mo quidem quando binos miſit eos*, *deditque illis poteſtatem in ſpiritus im-*
„ *mundos*, *ut ejicerent illos*, *Diaconos conſtituit eos*. Hoc idem conſtat ex
„ cap. 26. ejuſdem Libri, ubi poſtquam recenſuit Auctor ex Divi Dio-
„ nyſii capite 6. Hierarchiæ Eccleſ. Ordines eorum qui Diaconorum
„ voce dimittuntur poſt ſacrorum Eloquiorum lectionem, inter quos
„ primum locum tenent energumeni, ſtatim ſubdit: *Hi ſunt Ordines*
„ *expiandorum*, *ſive perficiendorum*, *quorum expiatio ad ſolum pertinet Dia-*
„ *conum*, *ut expiati perfecte*, *iterum ex integro cooptentur ſacrorum partici-*
„ *pationi*. Hæc eadem tradit Joannes Darenus Lib. de hierarchia Ec-
„ cleſ. Dionyſius Banſalibi Syrus, & alii. Sciendum vero eſt, licet
„ horum trium Ordinum nulla nominatim aut ſpeciatim mentio ha-
„ beatur in Euchologiis, frequens nihilominus occurrit apud Orien-
„ talium Scriptores.

67 Mihi, antequam iſta legiſſem, nihil ferme erat dubii, quin alii extra Lectoratum in Eccleſia Orientali gradus eſſent, qui ſimul cum alio Ordine traderentur. Et Oſtiariatum quidem cum Subdiaconatu conferri perſuadebant prima hæc formæ ſuper Subdiaconum ab Epiſcopo pronuntianda verba, quæ Simeon Theſſalonicenſis cit. ſupra Opere cap. 3. refert, ſed non continuat: *Quia tu*, Domine, *poſuiſti in Eccleſia gradus & Ordines*, *hunc quoque ſuſcipe*, *ut adſtet portis Templi ſancti tui*, &c. Aſt ſuſpicabar Acolythatum cum Lectoratu tradi propter hæc ejuſdem Simeonis verba ibid. apud Morinum part. 2. pag. 108. *Qui Lector conſtitutus eſt*, *legit ab eo tempore Prophetas* . . . . *Nec hoc tantum*, *verum etiam Sanctuarium ingrediens ut Sanctuarii Miniſter*, *lumina accendit*, *ignemque affert Sacerdoti*, *præceditque cereos accenſos ante ſancta dona geſtans*, *oblationes quoque & aquam & fervidam Sacerdoti affert*, &c. Ubi Lector vi Ordinis ſui omnes Acolythorum noſtrorum functiones exercet.

68 Ut ut eſt, Benedictus XIV. qui rem totam in Urbe, cui nec Græcii deſunt, nec alii Orientales, nec horum omnium Libri * in Conſtitutione, *Etſi paſtoralis*, n. 7. ſanxit, ut Clericus Græcus, qui poſtquam apud ſuos Lector tantum inſtitutus eſt, ab Apoſtolica ſede obtinet ut ritu Latino ad majores Ordines promoveatur, *antequam Subdiaconus ordinetur*, *tres minores Ordines omiſſos debeat ritu Latino ſuſcipere*: *ſi vero præter Lecto-*

ris

* Habet Bibliotheca Vaticana Codicum Mſſ. quadraginta millia ex omni tribu, lingua & natione.

ris Ordinem ad Subdiaconatum etiam ritu Græco aſcendit, & ex diſpenſatione itidem Apoſtolica facultas ſibi facta ſit ceteros Ordines ritu Latino ſuſcipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex Minoribus Ordinibus Exorciſtatum tantummodo ſupplere cogitur, cum per Subdiaconatum ritu Græco collatum, Acolythatum & Oſtiariatum recepiſſe cenſeatur.

Hinc conjicere eſt deceptum fuiſse falſis rumoribus Innocentium IV. cum an. 1254. (Tom. XI. Concil. pag. 611.) ſanxit, quod boni 69
omnes executioni mandatum fuiſse optent, *ut Epiſcopi Græci ſeptem Ordines ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ de cetero* conferrent: *cum*, inquit, *huc uſque tres de Minoribus circa Ordinandos neglexiſse dicantur. Illi tamen*, ſubjungebat Innocentius, *qui jam ſunt taliter ordinati, per ipſos, ob nimiam ipſorum multitudinem in ſuſceptis Ordinibus tolerentur.*

Ex his potiſſima Vvitaſſii argumenta non parum infirmari videntur. Sed & hinc quoque potiſſimæ Aſseclarum ejus reſponſiones ut- 70
cumque infringi poſsunt. Unde

Ad textum Baſilii & Concilii Calcedonenſis ſupra n. 55. reſponderi poteſt, a nemine unquam negatum fuiſse, quin plures in Orientali Ec- 71
cleſia gradus fuerint; cum & hodieque ſint, tum in eadem, tum & in Latina: ſed non inde ſequitur quod gradus inferiores, qui citra manuum impoſitionem conferebantur, veri Ordines non eſsent: cum, juxta Adverſarios, Lectoratus ubique Ordo eſset, nec tamen probari poſſit ubique per manuum impoſitionem datus: etſi alicubi non ipſe tantum, ſed & gradus qui Ordines non erant, per manus impoſitionem collati fuerint, ut patet Ordinatione Oeconomi Monaſtici de qua num. 61.

Reſponſiones ceteræ ex jactis ſupra n. 69. fundamentis non ægre confutantur. Prima, quæ affertur n. 56. & 57. nullius eſt momenti, 1. quia 72
pari jure ex ea colligeretur, Lectores non fuiſse vere ordinatos; quandoquidem hos ſubſequebantur Oſtiarii & Laborantes, quos verum ſuſcepiſse Ordinem negant Adverſarii. 2. quia nemo eſt qui non intelligat Confeſsores, quorum alii conjugati erant, alii mancipia, alii ſine ſtudio & Litteris, nullum in Eccleſia niſi virtutis gradum habuiſse. Id autem neque de Oſtiariis, neque de Cantoribus niſi temere, dici poteſt.

Secunda e num. 59. nihilo eſt ſolidior; præterquam enim male ſup- 73
ponitur omiſsos fuiſse in Synodo Laodicena Subdiaconos, qui Miniſtrorum nomine apprime intelliguntur, cedo an Lectores de quibus loquitur eadem Synodus, verum Ordinem non conſtituerint? Quidni ergo verum Ordinem conſtituiſse dicantur Oſtiarii & Exorciſtæ, forte & Cantores? Neque tamen idem dicendum de Aſcetis, quorum conditio per ſe nequidem ab initio Clericalis erat; licet temporum lapſu id pœne præſtiterit, quod nunc apud nos Tonſura: unde tempore Photii, ante quis ſiebat Monachus, quam ad Ordines promoveretur. Vide ſupra num. 50.

Sed neque valet tertia e n. 60. tum quia non improbabile eſt Laboran- 74
tes Ordinem verum conſtituiſse; tum quia & ſi non conſtituerint, nihil eſt cur qui eos præcedunt Exorciſtæ & Oſtiarii verum Ordinem conſtituiſse negentur: quemadmodum, etſi, juxta adverſarios, Exorciſtæ

& Oſtia-

& Oſtiarii vero Ordine inſigniti non ſint, non eſt cur negetur Lectores qui eos præcedunt inter vere ordinatos cenſeri.

75 Demum nec valet quarta nu. 61. Hæc enim, ut pleræque Vvitaſſii probationes, ex diverſis petitur Eccleſiis, & ab una concludit ad ceteras; quod eſt argumentari *a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*. Num ergo quia Damaſci, aut quibuſdam in aliis locis, *prima dignitas erat Lector*, fieri non potuit ut in aliis pluribus prima dignitas eſſet Oſtiarius, vel Exorciſta, aut etiam Cantor, vel ipſe Foſſarius? Immo annon fieri potuit, ut in re tot vices experta idem gradus quandoque fuerit prima dignitas, quandoque ſecunda, immo & plane deſierit? Ceterum male objiciuntur Apoſtolicæ Conſtitutiones, quæ Lib. 3. cap. 11. infra Lectores recenſent Miniſtros, Cantores & Oſtiarios, ſupra n. 63.

76 At, inquiunt, Ordo quicumque proprie dictus ab Epiſcopo conferri debet per actionem ſacram cum habitudine ad Euchariſtiam. Atqui inter Ordines, quos in nonnullis, immo pluribus Græcorum Eccleſiis viguiſſe ſuſpicamur, multi erant ſine ulla ad Euchariſtiam habitudine.

77 Reſp. 1. Hinc ſolum impeti Laborantium Ordinem, de quo minus confidenter loquimur. Sane vero Exorciſtæ & Oſtiarii, non modo per actionem vere ſacram conſtituebantur ab Epiſcopo; ſed & cum eadem ad Euchariſtiam habitudine, quam in Eccleſia Occidentali habent.

78 Reſp. 2. Si Oſtiarii noſtri ex mente Angelici Præceptoris ſupra nu. 32. ad Euchariſtiæ myſterium habitudinem habent, quia indignos arcent ab Eccleſia; annon habitudinem ad idem myſterium habuiſſe dicendi ſunt, qui fideles mortuos, quia Chriſti corpore ſaginatos, manibus, ut ita loquar, ad iſtud pietatis officium ſanctificatis, & ſepeliebant, & in terram deferebant, forte etiam ad Viatici receptionem diſponebant?

79 Inſiſtunt: Conſtat ceteras Orientis Eccleſias, ſummam ſemper in ritibus neceſſitudinem habuiſſe cum Græcis. Atqui non minus conſtat eaſdem Eccleſias non alios habuiſſe Ordines quam Lectoratum & gradus ſuperiores. Major per ſe patet. Prob. min. 1. de Jacobitis, ſeu Eutychianis, qui in Ægypto degunt, & Copti, ſeu Coptitæ dicuntur, Prob. inquam, ex Rituali eorum Libro, quem par. 2 pag. mihi 442. aliis 505. exhibet Morinus ut antiquiſſimum; quique ordines a Lectoratu exorditur. 2. de Neſtorianis Syris, ex eorum Rituali apud Morinum ibid. & Martenium, pag. 562. ubi de Ordine quovis infra Lectoratum nulla eſt mentio. 3. de Syris Maronitis, qui licet novem Ordines admittere videantur, Pſaltas ſcilicet, Lectores, Subdiaconos, Diaconos, Archidiaconos, Presbyteros, Archipresbyteros, Chorepiſcopos, atque Epiſcopos; non alio a ceteris Orientalibus Eccleſiis proprie differunt, quam quod Pſaltas ſeu Cantores admittunt. Vide Martenium pag 548. Ergo.

80 Reſp. 1. Magnam illam Orientalium cum Græcis neceſſitudinem facilius ſupponi, quam probari. Certe qui ab alia Communione, quantum ad dogma diviſi ſunt, ab ea facile quantum ad ritus dividuntur Vide quæ de variis apud Orientales Euchariſtiæ formis diximus in Tract. de Euchariſtia.

81 Reſp. 2. Non magis ex Orientalium Ritualibus, quæ vix forte quatuor aut quinque antiquitatis ſæcula habent, colligi poſſe, quot olim

apud

apud eos fuerint Ordines, quam id ex Græcorum Euchologiis, quæ ut plurimum antiquiora ſunt, colligi poſſit. Atqui ex Græcorum Euchologiis inferri non poteſt, quatuor tantum apud eos Ordines ab initio fuiſſe, (ſuppoſito quod nunc quatuor tantum Ordines habeant, ut adverſarii volunt,) Ergo neque etiam ex Orientalium Ritualibus inferri legitime poteſt, quæ vel quot primitus fuerint eorum Ordinationes. Ratio eſt, quia dogma mutari non poſſit abſque ingenti animorum commotione, non ita difficile mutatur quidquid ad Diſciplinam minime neceſſariam pertinet. Ergo neutiquam improbabilis eſt opinio, quæ ita confitetur quatuor tantum in certis Græciæ Eccleſiis Ordines fuiſſe, ut in aliis plures extitiſſe contendat.

Et hæc dicta ſunto cum ſumma & humili, quæ adverſis, iiſque tantis Doctoribus debetur, reverentia. Mihi ſane unum id animo ſedet, ut quæſtio nondum, meo quidem tenui judicio, ſatis eliquata, novo ac uberiori labore diſcutiatur. Quod vero ad noviores Græcos pertinet, nemo eſt, opinor, qui Pontificiam eruditi Benedicti XIV. deciſionem abjiciat.

ARTICULUS SECUNDUS

De qualitate cujuſque Ordinis:

SUppono 1. Ordinem quemlibet poſſe aliquo ſenſu dici ſacrum, quia ſi forte Sacramentum non ſit, ſaltem ad rem inſigniter ſacram refertur, Euchariſtiam videlicet. Hinc citra diſcrimen *ſacri* vocantur Ordines quicumque a Synodo Laodicena, can. 24. a Gregorio Magno in Sacramentario, &c. Quin & Ordines omnes non infrequenter Sacerdotii nomine donantur, puta a S. Gregorio Nazianz. orat. 19. ab Elia Cretenſi in hanc ejuſdem S. Doctoris orationem, &c. 82

Suppono 2. Presbyteratum & Diaconatum, quia Euchariſtiam propius contingant, ſpeciali jure ſacros Ordines nuncupari, ſecundum id Urbani II. in Synodo Beneventana an. 1091. *Sacros Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum*, &c. Et vero præterquam uterque is Ordo ſemper exiſtimatus eſt ſuam Chriſto inſtitutionem debere; uterque id habet proprii, quod & Hierarchicus ſit, certamque in Fideles juriſdictionem exerceat; & Euchariſtiam attingat proxime, conſecrando alter, quod Presbyterorum eſt; alter diſtribuendo, quod eſt Diaconorum. 83

Suppono 3. Subdiaconatum jam a duodecimo circiter ſæculo inter Ordines ſacros cenſeri; nec immerito, quia *habet actum circa vaſa conſecrata, & ideo Subdiaconis continentia indicitur, ut ſancti & mundi ſint qui ſancta tractant*: ita S. Thomas, Supplem. q. 37. art. 3. Qua autem de cauſſa prædicti Ordines vocantur ſacri, eadem de cauſſa vocantur *majores*. Sane & nobiliora munia exercent, & ad plura obligant. Hujus quidem diſtinctionis Ordinum in Sacros ſeu Majores, & Minores ſeu non Sacros, nomina ignorare videntur Græci; ſed ſenſum non ignorant: cum & jura longe plura ipſis etiam Subdiaconis tribuant quam Lectoribus; & his, non illis poſt Ordinationem indulgeant facultatem nuptias contrahendi. De quo infra. 84

85 Suppono demum ex dictis cap. 2. inter Ordines ad minus aliquem eſſe, cui Sacramenti ratio competat: jam ergo tota lis eſt an Ordines omnes totidem ſint Sacramenta. Negant de omnibus non pauci ex heterodoxis cum Luthero; affirmant de omnibus Catholici plures cum S. Thoma. Fatentur alii de quibuſdam, ſed negant de ceteris. Hæc omnia ut diſtincte magis enucleentur, articulum hunc in plures Paragraphos diſtribuere juvat.

§. I. *An Epiſcopatus ſit Sacramentum & quale.*

86 Epiſcopus Græce idem eſt ac inſpector, ſpeculator, ſuperintendens. Hinc apud profanos Scriptores inditum Epiſcopis nomen, tum Diis ab Homero, quia humano generi; tum ſummo Romanorum Pontifici a Plutarcho, quia Veſtalibus; tum ab Ariſtophane iis Margiſtratibus, qui jubente Athenienſium Senatu Provincias peragrabant, quia civium bono invigilarent.

87 Eodem ſenſu uſurpatum eſt in ſacris Codicibus nomen Epiſcopi. Sic Iſaiæ 60. v. 17. ubi Vulgata noſtra legit: *Et ponam Viſitationem tuam pacem, & Præpoſitos tuos juſtitiam;* olim apud LXX. erat: *Conſtituam Epiſcopos eorum in juſtitia, & Diaconos eorum in fide;* & etiamnum eſt: *Dabo principes tuos in pace*, id eſt pacifice adminiſtrantes, *& Epiſcopos tuos in juſtitia*. Sic etiam I. Petri 2. v. 25. Chriſtus vocatur *Epiſcopus animarum noſtrarum*. Sic demum Eccleſiæ Rectores Act. 20. 28. Philipp. 1. v. 1. & alibi paſſim, Epiſcopi dicuntur. Utramque nominis hujus ſignificationem; ſacram videlicet & civilem, his verbis complexus eſt Conſtantinus, teſte in ipſius vita Euſebio, Lib. 4. cap. 24. *Vos in his quæ intra Eccleſiam ſunt, Epiſcopi eſtis. Ego vero in his quæ extra geruntur, Epiſcopus a Deo ſum conſtitutus*; nimirum ut Eccleſiæ opem feram, atque *ut quos Sacerdotalis monitio non flectit ad juſtitiam, Regalis poteſtas ab improbitate coerceat*: Verba ſunt Concilii Arelatenſis VI. (Tom. 7. Concil. pag. 1238.)

88 His obiter præmiſſis duo quæruntur, 1. an Epiſcopatus ſit veri nominis Sacramentum; 2. an Sacramentum ſit a Presbyteratu diſtinctum. His quæſtionibus, & jure quidem, præmitti ſolet alia, num ſcilicet Epiſcopi nomen Presbyteris, & ex æquo nomen Presbyteri Epiſcopis olim commune fuerit.

89 Quod ſpectat ad Presbyteri nomen, quod græce idem eſt ac ſenior, *non pro ætate vel decrepita ſenectute*, ait Iſidorus Lib. 7. Origin. cap. 12. pag. 100. *ſed propter honorem & dignitatem quam acceperunt*; communiter fatentur Theologi, illud Epiſcopis, ut & ſecundi gradus Presbyteris, accomodatum fuiſſe. Probant id Tournelyus pag. 172. Witaſſius Tom. 2. pag. 9. & alii, ex variis Scripturæ textibus. I. Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi.... cum impoſitione manuum Presbyterii*, id eſt cœtus Epiſcoporum: Neque enim, ait Chryſoſtomus Hom. 1. in Epiſt. ad Philipp. *Presbyteri Epiſcopum ordinaſſent*. I. Petri 5. v. 1. *Seniores*, Græce *Presbyteros*, *obſecro Conſenior*, Græce *Compresbyter*: ubi ſe Presbyterum vocat Petrus, qui non modo Epiſcopus, ſed & Apoſtolus, quin & Apoſtolorum princeps erat. Eodem ſenſu Joannes

ſe-

ſeniorem, græce Presbyterum ſe vocat, Epiſt. II. v. I. *Senior Electæ dominæ*, & Epiſt. 3. v. itidem I. *Senior Gajo cariſſimo*.

Accedit priorum temporum uſus, qui non equidem diu, ſed ſaltem per aliquod temporis ſpatium poſt Apoſtolos perſeveravit. Hoc enim ſenſu vocem Presbyteri uſurparunt Clemens Romanus Epiſt. I. ad Corinth. num. 44. 47. &c. Polycarpus, Papias, Irenæus, Clemens Alexandrinus, ac demum Tertullianus Apolog. cap. 39. circa an. 190. Ita idem witaſſ. pag. 19. 90

Haud tamen ſatis ſcio an firmæ admodum ſint hujuſmodi probationes. Neque enim ideo nomen aliquod Superiori & inferiori commune dicendum videtur, quia illud identidem præ modeſtia uſurpat Superior; ſed quia paſſim, & ex communi omnium uſu citra cujuſquam offenſionem de Superiore dicitur non ſecus ac de inferiore. Porro mox citati textus probant quidem Epiſcopos, quin & aliquando Apoſtolos, Presbyterorum nomen ſibi aſſumpſiſſe; non autem eos ſimplici hoc nomine a ceteris fidelibus appellatos fuiſſe. Sane objecti textus, ſi unum Tertullianum demas, qui profecto uſum communem ſolus non facit, ex Epiſcopis deſumuntur. Ergo non magis ex iis colligi poteſt vocabulum Presbyteri Epiſcopis & Presbyteris commune olim fuiſſe; quam nunc commune utrique ordini dici poſſit, eo quia vel Romanus Pontifex ceteros Epiſcopos interdum *Conſacerdotes* appellat: vel in colloquio, aut palam e ſuggeſtu de ſe dicit Epiſcopus, uti frequenter contingit, non decere ut Presbyter id vel illud faciat, inferri poſſit, Presbyteri ſeu Sacerdotis appellationem Epiſcopis & ſimplicibus Presbyteris ex æquo affingi. 91

Eſtius in I. Petri, cap. 5.

Et vero eodem witaſſio fatente (pag. 21.) poſt tertium etiam ſæculum Epiſcopi, in ſocietatis argumentum, ſecundi ordinis Sacerdotes *Compresbyteros*, & tertii ordinis Miniſtros *Condiaconos* frequenter vocitabant. Atqui tamen ex eodem Theologo ibid. pag. 20. Patres, qui tribus primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, cum gradus Eccleſiaſticos numerant, nominum diſcrimen caſte adeo & conſtanter obſervant, ut *Epiſcopi* nomen primo Ordini, *Presbyteri* ſecundo, *Diaconi* tertio ſemper adſcribant, nec umquam aliter loquantur. Ergo ex eo quod Petrus, Paulus, & Joannes ſeſe alioſve Epiſcopos identidem vocavere Presbyteros, certo colligi non poteſt Presbyterorum nomen iis cum Sacerdotibus commune fuiſſe. 92

Rectius, meo quidem judicio, poſſet id probari ex Act. 20. v. 17. ubi non ipſe Paulus, ſed Lucas hæc ſcribit: *A Mileto mittens Epheſum vocavit majores natu Eccleſiæ*, Græce Præsbyteros. Supponit quidem Harduinus textum Græcum eo loci corruptum eſſe. At id unus omnium ſuſpicatus eſt. Melius forte dixeris, S. Lucam iiſdem uti verbis, quæ ipſemet Paulus adhibuit, cum ſeu verbis, ſeu per Epiſtolam præcepit ut convocarentur *majores natu Eccleſiæ*. Ut ut eſt, cum citato ſupra Magiſtro ſponte fatebimur Presbyterii nomen Eccleſiaſtico Senatui ex univerſis ordinibus conſtanti poſt tertium ſæculum, ut antea pluries, inditum fuiſſe. 93

Circa Epiſcopi nomen, an nimirum ipſis etiam Presbyteris aliquando datum ſit, triplex eſt veterum ac recentiorum opinio. Prima Theodo- 94

reti, qui Epiſcopi nomen iis Apoſtolico ævo proprium fuiſſe credit, quos nunc ſimplici Sacerdotum vocabulo deſignamus; eos autem quos nunc Epiſcopos dicimus, tunc temporis non Epiſcopos, ſed Apoſtolos nuncupatos fuiſſe. Sic ille in cap. 3. Epiſtolæ 1. ad Timoth. (Tom. 3. p. 473.) *Eoſdem olim vocabant Presbyteros & Epiſcopos: eos autem qui nunc vocantur Epiſcopi, Apoſtolos nominabant. Procedente autem tempore, Apoſtolatus nomen reliquerunt iis qui veri erant Apoſtoli: Epiſcopatus autem appellationem iis qui olim dicebantur Apoſtoli, impoſuerunt. Ita Philippenſium Apoſtolus erat Epaphroditus: .... Ita Cretenſium Titus, & Aſianorum Timotheus Apoſtoli.*

95 Secunda opinio eſt D. Chryſoſtomi, qui Hom. 1. in Epiſt. ad Philipp. exiſtimat ambo hæc Epiſcopi & Presbyteri nomina fuiſſe utrique Sacerdotum primi & ſecundi gradus Ordini communia; ita ut quemadmodum primarii Antiſtites promiſcue appellabantur Epiſcopi aut Presbyteri, ſic etiam utroque eo nomine vocarentur meri Sacerdotes.

96 Tertia demum eſt S. Epiphanii, qui hær. 75. ex adverſo credit Epiſcopi nomen horum ſemper proprium fuiſſe, quos jam Epiſcopos nuncupamus; ita ut ſecundi gradus Miniſtri numquam Epiſcopi, ſed ſemper Presbyteri dicti fuerint. Epiphanium ſecuti ſunt Petavius in Diſſert. Eccleſ. Lib. 1. c. 2. Pearſon in vindiciis Ignatianis Lib. 2. c. 13. &c.

97 Quod ad utramque aliam quæſtionem pertinet, quadruplex de ea volvitur Theologorum opinio, media duplex, duplex extrema. Harum notiones repetam a Morino, qui part. 3. de ſacris Ordination. Exercit. 3. cap. 2. num. 5. & ſeq. rem totam fuſo calamo pertractavit.

98 Prima, quæ judice eodem Morino, *antiquis Scholaſticis, eorumque Principibus communiſſima eſt*, docet Epiſcopatum, nec caracterem imprimere, nec eſſe Ordinem ſeu Sacramentum a Sacerdotio diſtinctum; ſed ſolum aliquid ſacramentale ſuperadditum Presbyteratui per conſecrationem Epiſcopalem. Unde Epiſcopatus quidquid caracteris & Sacramenti habet, illud haurit a Presbyteratu quem neceſſario præſupponit: Per ſe vero nihil aliud importat, quam officium, dignitatem, & poteſtatem, quæ ex divino jure multo amplior eſt & anguſtior, quam quæ caracteri pure Sacerdotali annexa eſt. Pro hac opinione citantur ibid. Hugo a S. Victore Lib. 2. de Sacramentis, part. 3. c. 12. Magiſter Sentent. Lib. 4. diſt. 24. Alexander Halenſis part. 4. Summæ qu. 20. membro 8. art. 1. in fine reſolutionis, S. Bonaventura in 4. diſt. 24. part. 2. art. 2. qu. 3. qui opinionem hanc communem vocat, S. Thomas in eumd. locum qu. 3. art. 2. quæſtiunc. 2. & in Supplem. qu. 40. art. 5. O.

99 Secunda ſententia, primæ iſti e diametro adverſa, contendit, Epiſcopatum peculiarem eſſe Ordinem a Presbyteratu ſpecie & numero diſtinctum, quique licet caracterem Sacerdotalem prærequirat, diverſum tamen & novum imprimit. Ita Guillelmus Altiſiodorenſis, Major, Almainus & alii quos ſecuti fuere Navarrus in Manual. cap. 22. nu. 18. & cap. 27. nu. 163. Bellarminus hic Lib. 1. cap. 5. Eſtius in 4. diſt. 24. §. 28. Sylvius in 3. p. q. 40. art. 5. Concl. 2. Valentia quæſt. 1. punct. 4. ubi hanc ſententiam cum Petro Soto de fide tenendam æſtimat. Eamdem rigide defendit Iſambertus, celebris quondam Sorbonæ Doctor & Profeſſor, diſp. 2.

Ter-

Tertia inter has extremas media, & quaſi conciliatrix, nec profitetur 100
cum prima Epiſcopatum eumdem prorſus eſſe Ordinem cum Presbyteratu, & ab eo ſolum penes officium & ſuperadditam dignitatem ſecerni; nec agnoſcit cum ſecunda Epiſcopatum eſſe novum Ordinem a Presbyteratu plane diverſum, quique ſpecialem caracterem imprimat: ſed ita priorem ſententiam cum poſteriore temperat, ut neque unum abſolute caracterem, neque duos, ſed unius caracteris in Sacerdotio impreſſi extenſionem & diffuſionem aſſerat: Et pari modo non unum prorſus, & undequaque eumdem Ordinem, nec duos tamen; ſed unum imperfecte & inchoate in Presbyteratu, perfecte vero & complete in Epiſcopatu agnoſcat; ita ut Epiſcopus jam ſit Presbyter perfectus, cui nihil per novam Ordinationem ſuperaddi poſſit. Unde quia res inchoata & imperfecta a ſemetipſa jam perfecta & conſummata numero non differt; uti videre eſt in puero, qui licet ex inepto ad generationem, creſcente ætate generationi idoneus evaſerit, non tamen alter a ſe ipſo juvene factus eſt: ſic nec Presbyter, cum in Epiſcopum conſecratus eſt, alter a ſe Presbytero evaſit, ſed tantum ad generandos Eccleſiæ Miniſtros habilis effectus eſt.

Hanc porro caracteris extenſionem non concipiunt defenſores ejus 101
ad modum quantitatis, ſed qualitatis, quæ per vires de novo acquiſitas, non ad eadem ſolum, ad quæ prius, ſed ad nova objecta ſe diffundit. Rem ſic explicat Paludanus diſt. 24. q. 7. art. 4. ad 1. *Sicut habitus ſcientiæ aliquando augetur, non intenſive reſpectu ejuſdem concluſionis, ſed extenſive reſpectu alterius: ut puta, quia de eodem objecto ſub eadem ratione formali per exercitium novum acquirit homo notitiam novæ concluſionis, tunc intenditur habitus ſcientiæ, non ſic quod poſſit limpidius ſpeculari iſtud quod prius* ſpeculabatur *obſcurius; vel* etiam *promptius: quia ponitur quod non plus frequentavit concluſionem prius notam; ſed quia per illum habitum, per quem prius non poterat conſiderare prompte niſi unam concluſionem quam ſolum frequentaverat, nunc poteſt æqualiter conſiderare ſecundam, quam prius non poterat: Ita caracter ſacerdotalis, qui prius non poterat Ordinare vel Confirmare, ſed tantum inungere, conficere & abſolvere; adhibita Epiſcopali Conſecratione poteſt, non* quidem *plus conficere, ungere vel abſolvere quam prius, ſed Ordinare & Confirmare, quod non prius.* Opinionem iſtam apud Morinum ibid. n. 10. ſecuti ſunt Dom. Soto, Henriquez, Hallerius part. 2. cap. 1. art. 1. §. 4. n. 21. & Coninch hic diſp. 20. in fine dubiorum 2. 6. & 8.

Quarta ſententia, ait idem Marinus num. 11. inter primam & ſe- 102
cundam alia ratione media, docet neque alium in Epiſcopali Conſecratione caracterem imprimi, neque Sacerdotalem jam ſuſceptum proprie extendi, ſed eo, qualis erat, permanente novam ac diſtinctam a præcedente poteſtatem conferri. Ita Vaſquez in 3. part. diſp. 240. cap. 5. num. 54. Si autem ab eo quæſieris quid ea ſit poteſtas, reponet diſp. 239. cap. 6. num. 57. eam *nihil aliud eſſe niſi relationem deſtinationis divinæ ad hoc aut illud miniſterium, quæ eſt extrinſeca denominatio.* Nempe vero in ejus ſententia philoſophandum eſt de caractere Sacerdotali quatenus ſpectat Epiſcopalem poteſtatem, quomodo de eodem philoſophandum quatenus ſpectat Sacerdotalem abſolvendi

poteſtatem. Sicut ergo inquit, caracter Sacerdotalis perfecte imprimitur per hæc verba: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium*, &c. & tamen nondum conceſſa eſt Sacerdoti poteſtas abſolvendi, ſed tunc dumtaxat, cum verba iſta protulit Epiſcopus: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris*, &c. quibus equidem verbis caracteri jam ſuſcepto nihil intrinſeci additur, ſed nova quædam ei divinitus advenit deputatio, ex qua recipit poteſtatem abſolvendi a peccatis, quam ex verbis prioribus nondum acquiſierat: ſic & Epiſcopalis Ordinatio caracteri Sacerdotali nihil addit præter relationem extrinſecam deputationis divinæ ad quædam miniſteria, quibus peragendis non erat idoneus Presbyter. Unde Ordinatio illa nullam formam, nullam qualemcumque entitatem abſolutam novam ponit in Sacerdote, ſed puram tantum rationis relationem, quæ in ipſo ex deputatione divina conſurgit. Opinionem hanc explicat Gamachæus hic c. 9. duobus exemplis. *Quando*, inquit, *Rex unum eumdemque ſubditum ſuum paullatim ad varias dignitates variaque officia aſſumit, fit id per ſolam deputationem & relationem rationis, quæ nihil reale ponit in ſubdito: & tamen actiones iſtius hominis nullius eſſent momenti & autoritatis niſi Rex prius eum eligere, hiſque officiis præficere voluiſſet.* Sic quoque, *Si Rex augeat pretium pecuniæ, id fit per ſolam relationem rationis, & ſolam Principis voluntatem, quamvis pecunia non mutetur ſubſtantialiter phyſice, nec plus quam ante habeat ponderis.*

103 Opinionem hanc, quam *proxime ad multorum antiquorum Patrum mentem accedere* credit Morinus ibid. nu. 14. confirmat ille ex S. Thoma Suppl. q. 4. art. 5. ad 2. ubi: *Licet*, inquit, *detur aliqua poteſtas ſpiritualis Epiſcopo in ſua promotione reſpectu aliquorum Sacramentorum, non tamen illa poteſtas habet rationem Caracteris, & propterea Epiſcopatus non eſt Ordo, ſecundum quod Ordo eſt Sacramentum.* Quamvis ex S. Doctore ibid. O, ſit Ordo *ſecundum quod Ordo eſt Officium quoddam reſpectu quarumdam actionum ſacrarum.* Ut de his omnibus mentem aperiam, ſit

104 Conclusio I. Minus recta videtur opinio Theodoreti exiſtimantis nomen Epiſcopi ſolis olim Presbyteris inditum eſſe. Longe probabilior ſententia Chryſoſtomi, nomen illud utrique olim Ordini affictum eſſe opinantis. Potior tamen Epiphanii doctrina.

105 Prob. 1. pars, 1. quia omnes mundi Eccleſiæ ſtatim ab Apoſtolicis temporibus nomen Epiſcopi ſolis Antiſtitibus dedere, numquam autem Presbyteris; ut ſolide probat Beveregius Lib. 2. Cap. 2. ex Clemente Alexandrino, Origine Clementis æquali, Tertulliano, Irenæo, & ceteris qui Aerium anteceſſere Patribus. Atqui vix ac ne vix quidem fieri potuit, ut Eccleſiæ omnes, velut unanimi conſpiratione, iis ſolis nomen Epiſcoporum tribuerint, quibus ſub Apoſtolis conceſſum non fuerat; contra vero illud iis omnino abſtulerint, quibus ſolis ab ipſis etiam Apoſtolis conſtanter attributum erat. Ergo.

106 Prob. 2. Quia Theodoreti opinio nec a quoquam ante ipſum, nec poſt ipſum, ab ullo e Veteribus propugnata eſt. Ergo & nova, & male nova judicata fuit.

107 Prob. 3. Quia ſtante hac Theodoreti ſententia dicendum eſt, vel hæc Apoſtoli verba: *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterii*, de vera Ordinatione non eſſe intelligenda;

vel

vel Timotheum a ſimplicibus Presbyteris ordinatum fuiſſe: cum nulla ibi fiat mentio de Apoſtolis, qui ſoli tunc erant veri Antiſtites. Atqui neutrum dici poteſt. Non primum, quod tamen premente neceſſitate admiſit Theodoretus; quia toti Traditioni, & ipſis Apoſtoli verbis repugnat. Non ſecundum, quia ex eadem Traditione conſtat Epiſcopum numquam a ſimplicibus Presbyteris conſecratum fuiſſe: Ergo.

Prob. 4. Quia Theodoreti opinio nulla veriſimili probatione innititur, uti ex objectionum ſolutione liqueſcet. 108

Prob. 2. pars, 1. Quia opinio S. Chryſoſtomi multis ſemper Patribus Græcis ut & Latinis probata eſt. Cui porro improbabilis videatur opinio, tot & tam gravibus ſuffragiis munita? 109

2. Non magis mirum videri debet, quod Epiſcopi nomen Presbyteris commune fuerit cum primariis Antiſtibus, quam quod nomen Diaconi Diaconis commune fuerit cum Apoſtolis, & Apoſtoli nomen iis commune qui de facto Apoſtoli non erant: Utique enim plus diſtat Apoſtolus a Diacono, quam Presbyter ab Epiſcopo. Atqui tamen Diaconi vocabulum ipſis etiam Apoſtolis tributum eſt, ſicut & Apoſtoli nomen iis qui Apoſtoli non erant. 110

1. Vox Diaconi ipſis etiam Apoſtolis non raro applicata eſt. Paulus de ſe & Apollo I. Corinth. 3. 5. *Miniſtri*, Græce *Diaconi*, *ſumus ejus cui credidiſtis*. II. Corinth. 3. 6. *Idoneos nos fecit Miniſtros*, Græce *Diaconos*, *novi Teſtamenti*. Coloſſ. 4. 17. *Dicite Archippo: Vide miniſterium quod accepiſti in Domino*, Græce *Vide diaconiam*. Archippus porro inter Epiſcopos cenſeri ſolet; nec immerito: cum tunc Coloſſis locum teneret Epaphræ abſentis; ſecundum Epiſt. ad Philemon. v. 2. Idem videris I. Theſſal. 3. 2. I. ad Timot. 4. 6. &c. ubi vox Miniſtri per Diaconum, Miniſterii vero per Diaconiam ſemper redditur. Unde Chriſoſtomus cit. Hom. 1. ad Philip. *Olim*, inquit, *Epiſcopi appellabantur & Presbyteri & Diaconi*. Neque id mirum, cum Chriſtus ipſe Diaconus, ſeu Miniſter nominetur Rom. 15. 8. 111

2. Nomen Apoſtoli aliis præter ſacri Collegii Antiſtites inditum fuit. Sic Rom. 16. 7. Andronicus & Junias dicuntur nobiles in Apoſtolis. Sic 1. Corinth. 15. præter undecim Apoſtolos alii recenſentur plures, quibus poſt reſurrectionem apparuerit Chriſtus. Sic Epaphroditus Philippenſium Antiſtes, vocatur a Paulo ipſorum Apoſtolus, c. 2. v. 25. Quia tamen momenta hæc non ægre dilui poſſunt, ideo 112

Prob. 3. pars, 1. quia uti dictum eſt num. 105. nomen Epiſcopi, ut minimum ſtatim ab Apoſtolorum morte ab univerſis gentibus inditum eſt iis ſolis qui vere Epiſcopi eſſent. Atqui nemo eſt qui facile concipiat, id tam unanimiter & tam ſubito factum eſſe, niſi quia jam ante uſu communi firmatum erat. Quid enim naturale magis, quam ut diu, niſi perpetuo, vigerent voces ab Apoſtolis ipſis conſecratæ? Certe cum Aerius quarto ſæculo promiſcua habere voluit Epiſcopi & Presbyteri nomina, adverſus ipſum continuo reclamatum eſt. Neque ſi quis forſan e Catholicis ejus loquendi rationem ex tunc amplexus eſt, ideo minus certum erit, hunc ab Antiquiorum locutione receſſiſſe. Quis porro neget antiquioribus præ ceteris inhærendum eſſe? 113

Confirm. Quia Veteres, quæ ab Apoſtolo de Epiſcopis dicta ſunt, 114

primo Ordini, quæ autem de Preſbyteris, Ordini ſecundo attribuerunt. Sic S. Irenæus Lib. 3. cap. 14. de Preſbyteris & Epiſcopis ſeparatim exponit quæ leguntur Act. 20. v. 17. & 28. Sic & Clemens Alexand. Lib. 3. pœdagogi cap. 12. Epiſcopis ſeorſim applicat, quæ de Epiſcopis dicuntur in Epiſtola ad Timoth. Preſbyteris vero quæ dicuntur de Preſbyteris in Epiſt. ad Titum: quod etiam faciunt Origenes & alii, ut videre eſt apud Beveregium cit. loco. Ergo.

115. Et vero cum primarii Antiſtites ſpeciali præfulgerent auctoritate, par erat, & ideo conſequens fuiſſe videtur, ut ſpeciali nomine inſignirentur. Nihil quidem abſurdi, ſed e contra, ſi ſe ipſos inferiori nomine quandoque præ modeſtia indigitaverint: erat tamen cavendum ne ex nominum confuſione modeſtia cederet in malum. An quia ſe ipſum Diaconi nomine expreſſerit Paulus, æquum fuiſſet ut quis Paulo Diacono Epiſtolam inſcriberet? Ergo ut ſua cuique jura forent a populo, ſua cuique vocabula eſſe debuerunt.

116 Obj. 1. in gratiam Theodoreti: Simplices erant Preſbyteri ii de quibus ſermo eſt Act. 20. & Philippenſium I. Atqui tamen iidem vocantur Epiſcopi. Minor patet. Siquidem Act. 20. 28. dicitur: *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos*, & Philipp. 1. *Paulus.... omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus.*

117 Prob. itaque major. Et quidem quod de ſolis Preſbyteris ſermo ſit Act. 20. liquet, tum ex eo quod v. 17. vocantur *Majores natu*, Græce Preſbyteri, tum quia non poterant in una civitate plures ſimul Epiſcopi eſſe: vox autem pluralis *Majores natu*, plures ſimul indicat; quod & ſeries capitis certo evincit. Quod autem de ſolis Preſbyteris agatur Philipp. 1. conſtat, 1. quia ibidem immediate conjunguntur Diaconibus; 2. quia alioquin plures in eadem urbe fuiſſent Epiſcopi; 3. quia in eadem Epiſtola primarius Philippenſium Antiſtes, Epaphroditus non Epiſcopus, ſed Apoſtolus vocatur cap. 2. v. 25. Ergo Epiſcopi illi de quibus cap. & v. 1. ſubjacebant Epaphrodito, prohincque ſimplices erant Preſbyteri. Ergo Preſbyteris Epiſcoporum nomen, Epiſcopis vero nomen Apoſtolorum ex illius temporis uſu tribuebatur.

118 R. ad 1. neg. maj. cum S. Irenæo, cujus, ut qui antiquior ſit, & ſemper homo Eccleſiæ fuerit, major eſt quam Theodoreti auctoritas; præſertim cum is & viam hactenus ignotam ſectatus ſit, & ſine ullo gravi fundamento receſſerit ab aliis Patribus: Quod ut ex probationum ejus ſolutione innoteſcat,

119 R. ad primam, quæ deſumitur ex Act. 20. ibi de Epiſcopis ſermonem eſſe. Nec obeſt quod Preſbyteri dicantur v. 17. 1. quia ſi Diaconi nomen aliquando datum eſt Epiſcopis, nec tamen uſquam aſſumptum eſt a Diaconis nomen Epiſcoporum; potuit nomen Preſbyteri Epiſcopis tribui, abſque eo quod uſpiam Preſbyteri nomen Epiſcoporum arriperent. 2. quia per Preſbyteros v. 17. non immerito intelligitur Preſbyterium totum, prout ex Preſbyteris & Epiſcopis coaleſcit, ſecundum id Irenæi loco jam citato: *In Mileto convocatis Epiſcopis & Preſbyteris, qui erant ab Epheſo, & a reliquis proximis civitatibus*, &c. quid porro mirum,

rum, ſi Paulus in decurſu orationis quædam ad Epiſcopos, quorum major ſollicitudo eſſe debet, verba direxerit? id ſane faceret Archiepiſcopus quiſque in numeroſo Præſulum & Sacerdotum conſeſſu?

Nec obeſt 2. Quod plures non eſſent unius civitatis Epiſcopi, 1. enim 120
quamvis Epheſina civitas unum haberet Antiſtitem, Timotheum videlicet, poterant in ea plures Epiſcopi eſſe, qui ſub eodem Timotheo ſervientes ad tempus, & illuc præſto mitterentur pro locorum neceſſitate. Unde aliquando Clerus ex Epiſcopis ſolis una cum Diaconis, aliquando, & rarius tunc temporis, ex Presbyteris ſolis cum Diaconis coaleſcebat, uti contra Aerium obſervat S. Epiph. Hær. 75. 2. vocavit quidem Paulus *Majores natu Eccleſiæ*: at non Epheſinæ ſolum, ſed & Aſianæ, cujus Metropolis erat Epheſus. Patet id tum ex iis quæ præcedunt: *Ne qua mora illi fieret in Aſia*: neque enim moram hanc impediiſſet ſolius Epheſini Cleri convocatio; tum ex iis quæ ſequuntur: *Vos ſcitis a prima die qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim ... Et nunc ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſivi prædicans regnum Dei ... Attendite vobis & univerſo Gregi ... memoria retinentes, quoniam per triennium die ac nocte non ceſſavi cum lacrymis monens unumquemque veſtrum*. Eos itaque ſpectat Pauli exhortatio, per quos tranſierat prædicans verbum Dei, quibus cum converſatus erat a prima die, qua ingreſſus erat in Aſiam, quos ſolido triennio non ceſſaverat admonere. Atqui toto illo temporis intervallo non in una civitate Epheſo converſatus erat, ſed per totam pene Aſiam tranſierat prædicans regnum Dei, ut conſtat ex c. præc. v. 1. 10. 22. 26. Ergo verba hæc: *Mittens Epheſum, vocavit majores natu*, &c. ſic intelligi debent, ut Paulus Epheſum miſerit aliquem, qui hinc vocaret majores natu, tum Epheſi forte, tum & vicinarum civitatum. Porro non ita rarum erat his temporibus ut ſuus unicuique civitati præeſſet Epiſcopus. 3. Quia dato quod ſolos Epheſi Presbyteros convocaſſet Paulus, poterat tamen ad Epiſcopos ſermonem convertere, quia cum Epheſum miſit, jam ex v. 4. aſſidebant ei Timotheus, Epheſiorum Antiſtes; Trophimus & Ariſtarchus, quorum prior jam tum Arelatenſi Eccleſiæ, poſterior Theſſalonicenſi deſtinatus eſſe poterat. Ecquis dubitet quin viciniores Epiſcopi Miletum inviſendi Pauli cauſſa cucurrerint, antequam Aſiaticum Clerum convocaret?

R. ad ſecundam probationem quæ petitur ex c. 1. Epiſtolæ ad Phi- 121
lippenſes 1. verba hæc *cum Epiſcopis & Diaconibus* ad ſalutantes retrahi poſse, ita ut ſenſus ſit: *Paulus & Timotheus una cum Epiſcopis & Diaconis qui Romæ ſunt*, (qui nempe ad Paulum vinctum officii gratia confluxerant) *ſcribunt omnibus ſanctis qui ſunt Philippis*: ita Ambroſiaſter. Affingit quidem expoſitio hæc quoddam hyperbaton Paulino textui, at in Scripturis non infrequens.

R. 2. Nihil mirum eſse, quod Epiſcopis continuo jungantur Dia- 122
coni; quia fieri potuit, ut nulli tunc Philippis eſsent Sacerdotes. Quandoque enim ob Miniſtrorum penuriam Clerus civitatis cujuſdam ex ſolis Presbyteris, cum Diaconis, quandoque ex ſolis Epiſcopis cum iiſdem Diaconis coaleſcebat, quia *ſine Diacono Epiſcopus eſſe non poteſt*. Ita contra Aerium S. Epiphan.

R. 3.

123 R. 3. fieri etiam potuiſſe ut cum Philippos ſcripſit Apoſtolus, plures tunc in ea civitate forent Epiſcopi, ſeu huc negotiorum Eccleſiaſticorum cauſſa conveniſſent: ſeu quia e propriis Eccleſiis fugiſſent ad tempus; ſeu quia expectarent opportunitatem ad deſtinatas ſibi Sedes commigrandi.

124 R. 4. Epiſtolam hanc ſic ad Philippenſes miſſam fuiſſe, ut per eos vicinis etiam civitatibus, quæ ſuos habebant Epiſcopos, communicari debuerit; quemadmodum eam quæ eſt ad Coloſſenſes Laodicenſibus communicari voluit Apoſtolus: Ita Eſtius hic.

125 Quod addit Theodoretus, Epaphroditum a Paulo vocari Apoſtolum, probat Apoſtoli nomen non ſemper rigoroſe ſumi in novo Teſtamento; cum ibidem, non tam forte tradatur Epaphrodito, quia poſt Paulum & Silam collaboraſſet erudiendis Philippenſibus: quam quia ab eorum Eccleſia legatus ſeu miſſus fuerat ad Paulum, pecuniam ſubſidii nomine delaturus; quod non inepte ſubindicant connexa hæc: *Apoſtolum*, id eſt legatum *veſtrum, & miniſtrum neceſſitatis meæ.* Sed an quia multis diverſi ordinis commune fuerit Apoſtoli nomen, idcirco ſummis atque ſecundariis Sacerdotibus commune fuit nomen Epiſcopi?

126 Inſt. Paulus I. ad Timoth. 2. cum ex profeſſo doceat, quales eſſe debeant Eccleſiæ Miniſtri, de Presbyteris ſilere non potuit. Atqui de iis omnino ſiluiſſet, ſi Presbyteri ſub Epiſcoporum nomine non venirent; cum de ſolis Epiſcopis & Diaconis loquatur, & Presbyteros nequidem nominet. Ergo neceſſum eſt ut per Epiſcopos ipſi etiam Presbyteri intelligantur.

127 R. neg. maj. potuit enim Paulus ab Epiſcopis, omiſſo Presbyterali gradu tranſire ad Diaconos, vel quia, ut ait hic Chryſoſtomus, *inter Epiſcopum atque Presbyterum intereſt fere nihil; & quæ de Epiſcopis dixit Apoſtolus, ea etiam Presbyteris congruunt: cum illi ſola Ordinatione ſuperiores ſint*, &c. Vel quia ut docet Epiphanius cit. hær. 75. moris tunc erat, ut propter Miniſtrorum ſimulque fidelium paucitatem, unicuique Eccleſiæ præficeretur Epiſcopus cum Diaconis: quia quidquid Presbyter poteſt, id poteſt Epiſcopus, licet non e contra. Sic v. g. Neocæſareæ, cum urbis hujuſce Epiſcopatum ſuſcepit S. Gregorius, ſeptemdecim tantum erant Fideles, quos dubio procul abſque Presbytero regere poterat facillime; vel demum quia proſequitur eo loco Apoſtolus ea quæ ad perſonam & Miniſtros Epiſcopi pertinent. Porro Diaconi, non autem Presbyteri, ſunt per ſe Epiſcoporum Miniſtri ad Altare, ut & Presbyterorum. Cum enim Epiſcopo miniſtrat Presbyter, id non ex officio facit, ſed ex ſumma, quæ debetur Epiſcopali Ordini, reverentia. Ita pro utraque prima parte Eſtius, & pro tertia Harduinus. Jam vero ex his ſolutionibus, quæ nihil a ratione alienum habent, nulla eſt quæ exigat ut Epiſcopi nomen Preſbyteris commune fuiſse dicatur.

128 Obj. 2. in gratiam opinionis S Chryſ. 1. hanc a Patribus non paucis probatam fuiſſe; 2. non minus Epiſcopi nomen Presbyteris dari potuiſſe, quam Apoſtolis & ipſi Chriſto nomen Diaconi, ut ſupra n. 112. 3. S. Paulum diſertim Presbyteris tribuere nomen Epiſcopi c. 1. Ep. ad Titum. Poſtquam enim dixit v. 5. ſe Cretæ reliquiſſe Titum ut conſtitueret *per ci-*

vitates Presbyteros, ſic deſcribit quales illi eſſe debeant: *Si quis ſine crimine eſt . . . Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe* &c. Hic Porro qui Presbyteri dicuntur, v. 5. ii ipſi ſunt qui Epiſcopi vocantur v. 7. ſiquidem particula *enim* quæ cauſsalis eſt, arguit de uno eodemque ſermonem haberi: præſertim quia alioquin inepta foret Apoſtoli ratio: cum ex eo quod talis eſſe debeat Epiſcopus, inferri non poſſit quod talis eſſe debeat Presbyter. Ergo. 129

R. ad 1. Hinc ſequi, Chryſoſtomi opinionem non immerito probabilem judicari; contrariam tamen ut & S. Epiphanio, ſic & gravibus multis videri probabiliorem, ideoque anteponendam. Id autem eo magis æquum eſt, quod Tridentina Synodus non abſimilem textum ex Act. 20. 28. de veris Epiſcopis interpretatur.

R. ad 2. Hinc etiam ſequi Epiſcoporum nomen Presbyteris dari potuiſſe, non autem datum de facto. Ceterum non erat vereri, ne Apoſtoli vel ipſe Chriſtus pro ſimplicibus Diaconis haberentur; unde potuit miniſterium eorum exponi per vocem Diaconiæ, qua vix ullam deſignandæ generatim ſacræ functioni magis idoneam habent Græci. At metuere erat, ne, quod Aerio contigit, ex communi Epiſcopi vocabulo inferretur omnimoda Presbyterorum cum Epiſcopis æqualitas. Ergo e re erat, ut malo huic occurreret divina ſapientia. 130

R. Ad 3. cum Eſtio Apoſtolum v. 7. loqui de Epiſcopis proprie dictis, ex omnium Patrum & Interpretum ſententia: hinc proinde ad ſummum ſequi Epiſcopis aliquando inditum eſſe nomen Presbyterorum, non autem Presbyteris nomen Epiſcoporum. Dixi *ad ſummum*, quia verſus quintus de Presbyteris intelligi poteſt: ſeptimus vero de Epiſcopis: ne Apoſtolus, qui v. 5. dixit: *Si quis ſine crimine eſt*, id ipſum v. 7. de eodem ordine repetat his verbis: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe*. 131

Nec obeſt particula *enim*, tum quia hæc non ubique cauſſalis eſt in Scriptura, ut fatentur omnes; tum quia & in hoc loco cauſſalis eſſe poteſt. Cum enim his temporibus ſtatim quis e Presbyteratu ad Epiſcopatum aſſumeretur; fluebat ſponte hæc Apoſtoli conſecutio: Presbyter ſit expers criminis, quia *oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*. Quaſi diceret: Ad quid hodie Presbyter, qui quo tempore Epiſcopis potiſſimum indiget Eccleſia, Epiſcopus conſtitui non poſſit; Adde, quod cum Epiſcopus eo præſertim criminis purus eſse debeat, quia Euchariſtiam conficit; Presbyter qui idem jus habet, & forte exercet frequentius, pari jure ad munditiam teneatur. 132

CONCLUSIO II. Ordinatio Epiſcopalis verum eſt Sacramentum, a Sacerdotio, natura & caractere diſtinctum. Duæ ſunt partes. 133

Prob. 1. Pars: Sacramentum ex toties dictis eſt ritus exterior a Chriſto permanenter inſtitutus, & gratiam pariens in ſubjecto rite diſpoſito. Atqui ne una quidem ex hiſce conditionibus Epiſcopali Ordinationi deeſt. 134

1. Enim eſt ritus exterior. Namque ubi eſt impoſitio manuum, eique annexa benedictio, ſeu oratio, ibi eſt ritus exterior. Atqui in Epiſcopali Ordinatione reperitur, tum manuum impoſitio, ut conſtat ex his 1. ad Timoth. 4. verbis: *Noli negligere gratiam ... quæ data eſt tibi ... cum impoſitione manuum Presbyterii*, id eſt, interpretibus Chryſoſtomo, Oecumenio 135

nio & aliis, *Collegii Epiſcoporum;* tum & benedictio, quam ſuper Ordinatum *fundit* ejus conſecrator, ut docet Concilium Carthag. IV. Can. 2. Tom. 2. Concil. Lab. pag. 1199. & a fortiori hinc conſtat, quod ne ipſi quidem Diaconi ſine oratione inſtituti ſint, uti liquet ex Act. 6. verſ. 6.

136 2. Eſt ritus a Chriſto inſtitutus, non ab homine. Unde illud Act. 20. 28. *Attendite.... univerſo gregi in quo* VOS SPIRITUS SANCTUS POSUIT *Epiſcopos*, &c.

137 3. Inſtitutus eſt permanenter: cum & permanenter ſubſtiterit in Eccleſia, & unoquoque ſeculo ſemper apud univerſos Eccleſiæ Doctores inſonuerit hæc Apoſtoli tuba: *Attendite vobis*, &c.

138 4. Gratiam efficaciter parit, ex citato ad Timoth. textu: modo tamen nihil obicis apponat Ordinandus; unde illud Pauli præceptum ib. c. 5. v. 2. *Manus cito nemini impoſueris*, &c.

139 Prob. 2. Ex Traditione in hunc modum: Ea ceremonia verus eſt Ordo, verumque Sacramentum, quam ex Patribus alii Sacramentum pure & ſimpliciter nuncupaverunt; alii his deſignarunt caracteribus, qui ſoli Sacramento competunt. Atqui ...

140 1. Enim Epiſcopatum nomine Sacramenti appellarunt Tertullianus Lib. de præſcr. c. 40. ubi ſummum Pontificatum inter *Sacramenta Chriſti* recenſet. Africani Præſules in Epiſt. ad Marcellinum, ſupra c. 2. n. 68. S. Leo tum Epiſt. 11. ubi Ordinationem SS. Pauli & Barnabæ vocat *benedictionis Sacramentum*, tum Serm. 1. in die anniverſario aſſumptionis ſuæ ad Epiſcopatum, ubi Pontificalem gradum *divini Sacerdotii Sacramentum* appellat. S. Gregorius M. in Lib. 4. in 1. Reg. c. 5. ubi Epiſcoporum unctionem ſemel & iterum donat nomine Sacramenti. Vide ſupra c. 2. n. 74.

141 2. Iidem vel alii Patres Epiſcopatum iis Caracteribus expreſſere, qui ſoli ac vero Ordinis Sacramento competunt. Ii enim ſunt Sacramenti Ordinis Caracteres, quod in Eccleſiaſtica Hierarchia gradum tribuat, quod certo ritu conferatur, quod gratiam donet, quod certum animæ ſignum imprimat, ex quo fit ut rite collatum numquam iterari poſſit. Atqui hos Caracteres in Epiſcopatu tota agnovit antiquitas.

142 Et quidem 1. quod Epiſcopatus certum & præſtantem in Eccleſiaſtica Hierarchia gradum tribuat, docent S. Dionyſius, aut quiſquis eſt Scriptor Operis de Eccl. Hierarch., cap. 5. ubi ſacros Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum Ordines, ita per proprios Hierarchiæ actus diſtinguit, ut Diaconos *purgare*, Presbyteros *illuminare*, Epiſcopos autem, quod longe dignius eſt, *perficere* oſtendat.

143 Idipſum docet Clemens Alexand. Lib. 6. Stromat. (pag. 48. A.) ubi *progreſſiones*, ſeu varios gradus *Epiſcoporum*, *Presbyterorum*, *Diaconorum*, comparat cum varii gradibus Angelorum, e quibus alii aliis ſunt ſuperiores.

S. Epiphanius hær. 75. ubi doctrinam Aerii, Presbyterium Epiſcopatui adæquantis, appellat dogma *ſupra hominis captum furioſum & immane*. Atque illud inde refellit n. 4. quod *Epiſcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet*; Ordo autem *Presbyterorum*, *cum Patres non poſſit*, *filios Eccleſiæ regenerationis lotione producit*.

S. Leo

S. Leo Ep. 12. alias 82. ad Anaſtaſium, Epiſcopum Theſſalonicen- 144
cenſem, probat c. 4. cœlibatus legem ab Epiſcopis ſedulo eſſe cuſtodiendam, quia ſi eam *in Ordine, qui quartus a capite eſt*, Subdiaconatu videlicet, *dignum eſt cuſtodiri; quanto magis in primo, aut ſecundo, vel tertio* id *ſervandum eſt, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus æſtimetur, qui ſe a voluptate uxoria necdum frænaſſe dignoſcitur*? ubi Epiſcopatus non tantum Ordo eſt, ſed Ordinum primus.

Idem docent Gelaſius in Ep. ad Epiſcopos per Lucaniam conſtitu- 145
tos, ubi de Epiſcopatu & de Presbyteratu loquitur, tamquam de *primis Ordinibus*; Iſidorus Hiſpalenſis, qui Lib. 7. Orig. c. 12. utrumque uti duos Ordines commemorat; Rabanus Maurus, qui Lib. I. de inſtit. Clericorum C. 4. octo recenſet Ordines, quorum ſuperiores duo ſunt *Presbyter & Epiſcopus*. Gabriel Philadelph. qui in Lib. de Sacramento Ordinis ſeptem Ordines numerat, & in his ſeptimo loco Epiſcopatum.

3. Juxta SS. Patres Epiſcopatus certo ritu & quidem Sacramentali 146
confertur. Patet id ex citato ſupra Concilio Carthaginenſi IV. can. 2. ubi hæc: *Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput ... ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant*. Ubi ritus qui in Epiſcopi Ordinatione præſcribitur, ejuſdem eſt generis cum ritu, qui can. 3. & ſeq. præſcribitur in Ordinatione Presbyteri, &c. Sed de his ubi de materia & forma Epiſcopatus.

4. Ex iiſdem SS Patribus Epiſcopalis Ordo gratiam confert. Unde 147
communem Eccleſiæ ſententiam proponens Gregorius Mag. ſic loquitur citato jam Libro 1. in 1. Reg. c. 5. *Qui in culmine* Sacerdotii *ponitur, Sacramenta ſuſcipit unctionis. Quia vero ipſa unctio Sacramentum eſt, is qui promovetur, bene foris ungitur, ſi intus virtute Sacramenti roboratur.* Ubi exteriori unctioni adjungitur unctio interior, in iis ſcilicet qui *bene* unguntur, ſeu qui ad Sacramentum rite diſpoſiti accedunt. Atque is tam conſtans erat Eccleſiæ ſenſus, ut referentibus Theodoreto Lib. 4. hiſt. c. 20. (Tom. *3*. p. *695*.) & Nicephoro Lib. 1. c. 46. (Tom. 2. p. 205.) *Sanctus quidam vir nomine Moſes, nequaquam induci potuerit, ut a Lucio, Ariano Epiſcopo, in Epiſcopum conſecraretur, quod certius eſſet Spiritum Sanctum ad illius invocationem*, propter iniquæ communionis contagium, *numquam deſcenſurum* eſſe. Hinc illa hæc Martyrii cujuſdam ad Nectarium Epiſcopum verba, apud Sozomenum Lib. 10. c. 4. *Novimus ex ſacris Conſtitutionibus, utrumque, & ſacrum Lavacrum, & munus Epiſcopale, delictorum eſſe remedium & expiationem*. Ubi pars Epiſcopali conſecrationi tribuitur efficacia, quæ Baptiſmo. Et vero præſcribit Romanum Pontificale ut Epiſcopus conſecrator, & qui eidem aſſiſtunt alii duo, dum ſupra ordinandum Epiſcopum manus imponunt, dicant, *Accipe Spiritum Sanctum*. Quis vero formam hanc otioſam eſſe ſuſpicetur? A pluribus tempero, ne dicta jam aut ſubinde dicenda gratis repetam.

4. Denique in Ordinati anima imprimit ſignum, ſeu caracterem, 148
ex quo habet ut numquam iterari poſſit. Hinc nuſpiam repetitæ Ordinationes Epiſcoporum, qui ſemel rite conſecrati fuiſſent: de quo infe-

inferius fuſe dicendum. Ergo Epiſcopatus e Sacramentorum albo expungi nulla ratione poteſt.

149 Prob. 3. ex Synodo Tridentina, cujus quantum ad Catholicos, qui præſentem quæſtionem verſant, auctoritas ſumma eſſe debet. Quatuor autem in primis docet ſancta Synodus. Seſſ. 23. 10. c. 1. Ordinationem eſſe Sacramentum gratiam producens; quod ut oſtendat, hæc affert Apoſtoli ad Timotheum, utique Epiſcopum, verba: *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*; 2. ibid. c. 4. in Ordinatione ut & in Baptiſmo ac Confirmatione imprimi caracterem, vi cujus *ſemel rite ordinati*, *iterum laici effici* non poſſunt; 3. ex ſacra variorum Miniſtrorum Ordinatione naſci Eccleſiaſticam Hierarchiam, cujus *ad Ordinem præcipue* pertinent Epiſcopi, *qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt*, & poſiti ſunt *a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei*; 4. eoſdem Epiſcopos *Presbyteris Superiores eſſe*, ac Sacramenta Confirmationis & Ordinationis conferre, quod non valent *reliqui Ordinis inferioris*. Tum ſic concludit can. 6. *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris; anathema ſit*. Jam vero ex his omnibus quaſi demonſtratur, Pontificum Ordinationem in mente ſacri Concilii verum eſſe Ordinem, verumque Sacramentum. Hinc enim colligere eſt, 1. Epiſcopatum & a Presbyteratu, & a ceteris Ordinibus diſtinctum eſſe, & qua talem a Chriſto inſtitutum; 2. Eumdem ſub ea ſacra Ordinatione contineri, quam ſancta Synodus generatim definiit eſſe Sacramentum; 3. rationem Sacramenti potiori jure Epiſcopali huic Ordinationi, qua ceteris convenire; cum Trid. Patres ut oſtendant gratiam in Ordinatione conferri, eamque prohinc eſſe Sacramentum, utantur eo D. Pauli textu, qui Epiſcopalem Ordinationem ſpectat: porro omnia hæc ſi Sacramentum non probant, ne ipſe quidem Presbyteratus Sacramenti rationem habere probabitur. Jam

150 Prob. 2. Pars, vel potius ex dictis probata manet. Nempe vero ille ritus & Ordo, eſt & Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum, cui nihil eorum deeſt, quæ ad conſtituendum Ordinem ſpecialem ac ſpeciale Sacramentum neceſſaria ſunt: Atqui Epiſcopatui nihil horum deeſt. Non inſtitutio divina, non Symbolum exterius, ſeu nova manuum impoſitio; non gratia ſingularis ad regendam ſublimiori modo Eccleſiam Dei; non demum caracter, ex quo non magis iterari poteſt, quam Presbyteratus: cum tamen deputatio mera iterari poſſit; & de facto iteretur in iis qui vel ad aliam Sedem tranſeunt, vel a ſua dejecti canonice, eidem poſtmodum canonice reſtituuntur.

151 Confirm. 1. Ideo Presbyteratus non dicitur eſſe extenſio caracteris Diaconalis, quia diverſi ſunt utrumque Ordinem conferendi ritus, diverſæ utriuſque gratiæ, diverſæ poteſtates, licet non in omnibus; cum Diaconus quædam ex iis poſſit quæ poteſt Presbyter, ut Evangelium legere, & Euchariſtiam impertiri. Atqui pariter diverſi ſunt Epiſcopatum & Presbyteratum conferendi ritus, diverſæ utriuſque gratiæ, cum quæ uni ſufficiunt, non ſufficiant alteri; diverſæ poteſtates, licet non in omnibus, &c. Ergo nihil eſt cur Epiſcopatus mera dicatur Presbyteratus extenſio. Quin & longe melius diceretur Presbyteratum par-

participationem & quaſi effluvium eſſe Epiſcopatus: quia inferius multo potiori jure a ſuperiori, quam ſuperius per extenſionem ab inferiori profluere concipitur. Epiſcopatum porro ſuperiorem eſſe Preſbyteratu, ſuo loco demonſtrabimus.

Confirm. 2. quia ut ſolide arguit hic Bellarminus cap. 5. illa caracteris Sacerdotalis extenſio, vel eſt reale quidpiam, vel dumtaxat relatio rationis. Atqui neutrum dici poteſt. Non 1. quia ſi nova quæpiam in conſecratione Epiſcopali realitas divinitus producatur, nihil eſt cur ea potius dicatur antiqui caracteris extenſio, quam productio novi; immo eſt cur potius dicatur productio novi, quam extenſio prioris: quia extenſio qualitatis diffundit quidem ſe ad plura, ſed intra eamdem lineam, non autem generis diverſi: ut patet in allato ſupra num. 102. exemplo habitus ſcientiæ Philoſophicæ, ex quo naſcitur quidem facilitas de pluribus objectis ratiocinandi, non autem diſparatum quid agendi, puta loquendi Hebraice. Porro Epiſcopalis gradus verſatur circa plura quæ ſunt extra lineam gradus Sacerdotalis, uti ſunt Confirmatio & Ordinatio. Non 2. mera enim relatio rationis, nec ſubjectum intrinſece perficit, nec illud vere & inhærenter aptum efficit ad functiones ſibi aſſignatas, ut conſtat exemplo ſubditi *ad varias dignitates* a Rege *paullatim* aſsumpti, ſupra num. 103. Id autem quis de ſummo Epiſcopatus gradu cogitare auſit? Merito igitur Bellarminus opinionem huic relationi rationis contrariam vocat certiſſimam: quin & noſtram de fide tenendam eſse docet Petrus Soto hic lect. 4. Alii vero cenſuræ parciores non illubenter oppoſitum figmentum rejiciunt uti periculoſum, cum Medina, Lib. de continentia ſacrorum hominum, c. 14. Neque hinc, quantum ad id quod ſpectat rationem Sacramenti diſsentit ipſe Vaſquez diſp. 140. c. 4. initio. 152

Confirm. 3. quia, ut advertit idem Bellarminus, plus diſtat poteſtas Confirmandi & Ordinandi a poteſtate Conſecrandi Euchariſtiam, quam poteſtas legendi Evangelium a poteſtate legendi Epiſtolam in Sacrificio Miſsæ. Atqui propter iſta hæc duos in Diacono & Subdiacono caracteres admittunt ii ſaltem ex Adverſariis, qui Subdiaconatum pro Sacramento habent. Ergo a fortiori duos in Epiſcopo & Presbytero confiteri debent. 153

Confirm. 4. quia duas inter opiniones, niſi quid obſiſtat, ea plus Catholicis ſapere debet, quæ aptior eſt revincendis hæreticis, plenam Epiſcopos inter & Presbyteros æqualitatem finientibus. Atqui talis eſt indubie ſententia, quæ Epiſcopalem Ordinem a Sacerdotali ex ipſa Chriſti conſtitutione diſtinctum eſse contendit. Statim enim ut diſtinctus apparebit, apparebit ut ſuperior. 154

Confirm. 5. quia opinio contraria vix alio quam metaphyſicarum næniarum fundamento innititur; quod ut pateat magis, 155

Obj. 1. ſeptem tantum ſunt Ordines. Atqui ſi Epiſcopatus ſit Ordo, jam Ordines octo, non ſeptem, numerandi erunt. 156

R. 1. non deeſse, præſertim inter Canoniſtas, qui octo vel etiam novem Ordines numerent. Neque hi ſibi videntur Tridentino adverſari, quia ſancta Synodus, dum ſeptem Ordines recenſet, vetat 157

qui-

inferius fuſe dicendum. Ergo Epiſcopatus e Sacramentorum albo expungi nulla ratione poteſt.

149 Prob. 3. ex Synodo Tridentina, cujus quantum ad Catholicos, qui præſentem quæſtionem verſant, auctoritas ſumma eſſe debet. Quatuor autem in primis docet ſancta Synodus. Seſſ. 23. 10. c. 1. Ordinationem eſſe Sacramentum gratiam producens; quod ut oſtendat, hæc affert Apoſtoli ad Timotheum, utique Epiſcopum, verba: *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum;* 2. ibid. c. 4. in Ordinatione ut & in Baptiſmo ac Confirmatione imprimi caracterem, vi cujus *ſemel rite ordinati*, *iterum laici effici* non poſſunt; 3. ex ſacra variorum Miniſtrorum Ordinatione naſci Eccleſiaſticam Hierarchiam, cujus *ad Ordinem præcipue* pertinent Epiſcopi, *qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt*, & poſiti ſunt *a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei;* 4. eoſdem Epiſcopos *Presbyteris Superiores eſſe*, ac Sacramenta Confirmationis & Ordinationis conferre, quod non valent *reliqui Ordinis inferioris*. Tum ſic concludit can. 6. *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris; anathema ſit*. Jam vero ex his omnibus quaſi demonſtratur, Pontificum Ordinationem in mente ſacri Concilii verum eſſe Ordinem, verumque Sacramentum. Hinc enim colligere eſt, 1. Epiſcopatum & a Presbyteratu, & a ceteris Ordinibus diſtinctum eſſe, & qua talem a Chriſto inſtitutum; 2. Eumdem ſub ea ſacra Ordinatione contineri, quam ſancta Synodus generatim definiit eſſe Sacramentum; 3. rationem Sacramenti potiori jure Epiſcopali huic Ordinationi, quam ceteris convenire; cum Trid. Patres ut oſtendant gratiam in Ordinatione conferri, eamque prohinc eſſe Sacramentum, utantur eo D. Pauli textu, qui Epiſcopalem Ordinationem ſpectat: porro omnia hæc ſi Sacramentum non probant, ne ipſe quidem Presbyteratus Sacramenti rationem habere probabitur. Jam

150 Prob. 2. Pars, vel potius ex dictis probata manet. Nempe vero ille ritus & Ordo, eſt & Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum, cui nihil eorum deeſt, quæ ad conſtituendum Ordinem ſpecialem ac ſpeciale Sacramentum neceſſaria ſunt: Atqui Epiſcopatui nihil horum deeſt. Non inſtitutio divina, non Symbolum exterius, ſeu nova manuum impoſitio; non gratia ſingularis ad regendam ſublimiori modo Eccleſiam Dei; non demum caracter, ex quo non magis iterari poteſt, quam Presbyteratus: cum tamen deputatio mera iterari poſſit; & de facto iteretur in iis qui vel ad aliam Sedem tranſeunt, vel a ſua dejecti canonice, eidem poſtmodum canonice reſtituuntur.

151 Confirm. 1. Ideo Presbyteratus non dicitur eſſe extenſio caracteris Diaconalis, quia diverſi ſunt utrumque Ordinem conferendi ritus, diverſæ utriuſque gratiæ, diverſæ poteſtates, licet non in omnibus; cum Diaconus quædam ex iis poſſit quæ poteſt Presbyter, ut Evangelium legere, & Euchariſtiam impertiri. Atqui pariter diverſi ſunt Epiſcopatum & Presbyteratum conferendi ritus, diverſæ utriuſque gratiæ, cum quæ uni ſufficiunt, non ſufficiant alteri; diverſæ poteſtates, licet non in omnibus, &c. Ergo nihil eſt cur Epiſcopatus mera dicatur Presbyteratus extenſio. Quin & longe melius diceretur Presbyteratum

par-

participationem & quaſi effluvium eſſe Epiſcopatus: quia inferius multo potiori jure a ſuperiori, quam ſuperius per extenſionem ab inferiori profluere concipitur. Epiſcopatum porro ſuperiorem eſſe Preſbyteratu, ſuo loco demonſtrabimus.

Confirm. 2. quia ut ſolide arguit hic Bellarminus cap. 5. illa caracteris Sacerdotalis extenſio, vel eſt reale quidpiam, vel dumtaxat relatio rationis. Atqui neutrum dici poteſt. Non 1. quia ſi nova quæpiam in conſecratione Epiſcopali realitas divinitus producatur, nihil eſt cur ea potius dicatur antiqui caracteris extenſio, quam productio novi; immo eſt cur potius dicatur productio novi, quam extenſio prioris: quia extenſio qualitatis diffundit quidem ſe ad plura, ſed intra eamdem lineam, non autem generis diverſi: ut patet in allato ſupra num. 102. exemplo habitus ſcientiæ Philoſophicæ, ex quo naſcitur quidem facilitas de pluribus objectis ratiocinandi, non autem diſparatum quid agendi, puta loquendi Hebraice. Porro Epiſcopalis gradus verſatur circa plura quæ ſunt extra lineam gradus Sacerdotalis, uti ſunt Confirmatio & Ordinatio. Non 2. mera enim relatio rationis, nec ſubjectum intrinſece perficit, nec illud vere & inhærenter aptum efficit ad functiones ſibi aſſignatas, ut conſtat exemplo ſubditi *ad varias dignitates* a Rege *paullatim* aſsumpti, ſupra num. 103. Id autem quis de ſummo Epiſcopatus gradu cogitare auſit? Merito igitur Bellarminus opinionem huic relationi rationis contrariam vocat certiſſimam: quin & noſtram de fide tenendam eſse docet Petrus Soto hic lect. 4. Alii vero cenſuræ parciores non illubenter oppoſitum figmentum rejiciunt uti periculoſum, cum Medina, Lib. de continentia ſacrorum hominum, c. 14. Neque hinc, quantum ad id quod ſpectat rationem Sacramenti diſsentit ipſe Vaſquez diſp. 140. c. 4. initio. 152

Confirm. 3. quia, ut advertit idem Bellarminus, plus diſtat poteſtas Confirmandi & Ordinandi a poteſtate Conſecrandi Euchariſtiam, quam poteſtas legendi Evangelium a poteſtate legendi Epiſtolam in Sacrificio Miſsæ. Atqui propter iſta hæc duos in Diacono & Subdiacono caracteres admittunt ii ſaltem ex Adverſariis, qui Subdiaconatum pro Sacramento habent. Ergo a fortiori duos in Epiſcopo & Preſbytero confiteri debent. 153

Confirm. 4. quia duas inter opiniones, niſi quid obſiſtat, ea plus Catholicis ſapere debet, quæ aptior eſt revincendis hæreticis, plenam Epiſcopos inter & Presbyteros æqualitatem finientibus. Atqui talis eſt indubie ſententia, quæ Epiſcopalem Ordinem a Sacerdotali ex ipſa Chriſti conſtitutione diſtinctum eſse contendit. Statim enim ut diſtinctus apparebit, apparebit ut ſuperior. 154

Confirm. 5. quia opinio contraria vix alio quam metaphyſicarum næniarum fundamento innititur; quod ut pateat magis, 155

Obj. 1. ſeptem tantum ſunt Ordines. Atqui ſi Epiſcopatus ſit Ordo, jam Ordines octo, non ſeptem, numerandi erunt. 156

R. 1. non deeſse, præſertim inter Canoniſtas, qui octo vel etiam novem Ordines numerent. Neque hi ſibi videntur Tridentino adverſari, quia ſancta Synodus, dum ſeptem Ordines recenſet, vetat 157

qui-

quidem ne pauciores admittantur, non autem ne plures. Confer. n. 2. & 15.

158 R. 2. neg. min. quemadmodum enim ſeptem Ordines, licet diſtincti, unum efficiunt Sacramentum, quia ſub eodem genere continentur; ſic Epiſcopatus & Presbyteratus, licet inter ſe diſtincti, unum generice Ordinem faciunt, quia ambo ſub Sacerdotio tamquam genere includuntur, alter tamquam ſpecies nobiliſſima, alter tamquam ſpecies inferior. Et vero, ait hic Bellarminus c. 5. *Ordines ſumuntur ab habitudine quam habent ad Euchariſtiam; & quia ſumma circa Euchariſtiam* poteſtas, *eſt poteſtas ipſam conficiendi, ideo primus Ordo eſt ſacerdotalis, id eſt eorum qui Euchariſtiam conſecrare poſſunt; nec ſupra hunc poteſt fingi alius Ordo major vel ſuperior. Quia tamen poteſtatem hanc vario modo participant Presbyteri & Epiſcopi, inde duæ ſunt ſpecies Sacerdotum. Namque Presbyteri in conſecranda Euchariſtia, ſaltem quoad uſum pendent ab Epiſcopis, qui poſſunt eis interdicere ne conſecrent, vel ſuſpendere ad tempus, vel præcipere ut tali loco, tali modo*, puta juxta ritum Ambroſianum, *tali tempore celebrent. Et præterea Presbyteri non ita habent hanc poteſtatem, ut eam aliis communicare poſſint; Epiſcopi autem & habent, & communicare aliis poſſunt.* Unde Sacerdotium generatim conſtituit ſeptimum Ordinem, qui in Epiſcopatum & Presbyteratum dividitur: ſicque Presbyteri ſunt minores & infimi Sacerdotes, Epiſcopi autem majores & ſummi: *ſeu, quod idem eſt*, ait Witaſſius pag. 31. *Presbyteratus fundamentum eſt & initium Sacerdotii; Epiſcopatus vero ipſius apex & complementum: ſic enim de Epiſcopatu ac Epiſcopis loqui conſueverunt Patres.*

159 Inſt. Ordinum diverſitas repetitur ex diverſo ipſorum ad Euchariſtiam reſpectu. Atqui Epiſcopi non aliter ſe habent ad Euchariſtiam, quam Presbyteri; tum quia hanc non alio modo conficiunt quam Presbyteri; tum quia ex conſecratione ſua non habent ut Euchariſtiam conficiant, ſed ſolum ut Confirment vel Ordinent.

160 R. neg. min. licet enim Epiſcopi non aliter in Miſsa Euchariſtiam conficiant, quam Presbyteri, eam tamen aliunde aliter attingunt, quia ejus conſecratores ordinant. Hæc autem diverſa eſt Euchariſtiam attingendi ratio.

161 Neque obeſt quod Epiſcopus ex Ordinatione ſua non habeat, quod Euchariſtiam conſecret. Hinc enim ſequitur tantum, quod Epiſcopalis Ordo ex propria ſua ratione Sacerdotium prærequirat, proindeque quod *caracter Epiſcopalis integer & perfectus non ſit una ſimplex qualitas, ſed quid compoſitum ex duplici caractere; ac proinde quod duo Sacramenta requirantur ad Epiſcopum conſtituendum*; non autem quod ei deficiat ratio vera Ordinis & Sacramenti. Ita ib. Bellarminus.

162 Obj. 2. cum Soto, ſi Epiſcopatus verus ſit ac ſpecialis Ordo, neceſsum eſt ut caracterem imprimat a Sacerdotali diſtinctum. Atqui non imprimit. Alias qui conſecraretur Epiſcopus, non accepta prius Presbyterali conſecratione, vere foret Epiſcopus, & qua talis Euchariſtiam valide conſecraret: quemadmodum qui prætermiſso Diaconatu Sacerdos inauguratur, vere eſt Sacerdos; tum quia caracterem a Diaconali diverſum recepit; tum quia Ordo inferior continetur in ſuperiori, ſaltem virtute. Unde poſset Presbyter munus obire Diaconi, etiamſi

Dia-

Diaconi ordinem non haberet. Atqui tamen ex communi Theologorum ſuffragio Epiſcopus conſecrari non poteſt, qui prius non fuerit Presbyter; ſicut nec Euchariſtiam valide conficere poteſt. Ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. maj. quemadmodum enim ſtare non poteſt ædificium, niſi præexiſtente jam fundamento, ſic nec ſtare poteſt Epiſcopatus ſine baſi ſua, quæ eſt Presbyteratus: quia, ut dictum eſt, Epiſcopatus juxta divinam conſtitutionem, quæ nobis ex tota Traditione ſatis innoteſcit, binum neceſſario caracterem importat, primum ſacerdotalem; ſecundum huic ſuperadditum, videlicet Epiſcopalem. Ergo, ut verbis utar Bellarmini, *impoſſibile eſt ordinari Epiſcopum, qui vel antea non ſit Presbyter, vel certe non tunc ſimul accipiat utramque Ordinationem; quia utraque eſt de eſſentia Epiſcopatus.* 163

Nec obeſt exemplum Presbyteri, qui ante Diaconus non fuerit; tum quia in his quæ a libera Dei voluntate pendent, non eſt argumentandum a pari; tum quia Presbyteratus non requirit eſſentialiter geminum caracterem, ſicut geminum requirit Epiſcopatus. Unde nec conſecrari poſſet Epiſcopus abſque prævio Sacerdotii gradu, quia tunc non Epiſcopus foret, ſed Epiſcopi figmentum; quomodo nec homo foret, qui prius animal non eſſet. 164

Obj. 3. Si in Ordinatione Epiſcopali imprimatur caracter, vel is major erit Presbyterali, vel minor. Neutrum dici poteſt. Non 1. quia, ex omnium confeſſo, nihil poteſt eſſe majus poteſtate conſecrandi Euchariſtiam, quam vel ipſi cæleſtes Spiritus ambiunt, ut docet Chryſoſtomus. Non 2. Alioqui Epiſcopus, ut Epiſcopus, minor foret Presbytero, quia minor foret ejus caracter. 165

Reſp. ad 1. neg. min. neque enim abſurdum eſt ut Epiſcopalis caracter inadæquate ſumptus, & prout Epiſcopo in ultima ſua conſecratione imprimitur, dicatur partim major, partim minor caractere Presbyterali; major quidem extenſive, quia ad plura ſe extendit; minor vero intenſive, quia nulla major & auguſtior eſt poteſtas, quam conſecrandæ Euchariſtiæ. Ceterum caracter Epiſcopalis adæquate & integre ſumptus ſemper erit major Presbyterali, quia & hunc, & alium inſuper includit. Hoc modo Epiſcopos comparamus cum Presbyteris, quando alios aliis ſuperiores dicimus. Sic Rex ſubditis ſibi hominibus ſuperior dicitur, & merito: & tamen hominis conditio regiam conditionem inadæquate ſumptam longe ſuperat. 166

Inſt. Ordines Majores conferuntur Sabbato, Epiſcopatus autem Dominicis diebus. Ergo Epiſcopatus nullo ſenſu Ordo Major vocari poteſt. 167

Reſp. neg. conſeq. pendet enim ordinationum dies a nutu, vel potius a ſapientia Eccleſiæ, quæ ut paſſim Minores & Majores Ordines eadem die non confert, ſic & provide ſuam, eamque totius hebdomadis ſanctiſſimam diem, ſummi Ordinis cæremoniæ conſecravit. Adde quod cum ritus inaugurandi Epiſcopi plurimum requirat temporis, nec in *quatuor Tempora* ut plurimum differri queat, æquum fuit ut Epiſcopi qualibet anni tempeſtate inaugurari poſſent. 168

Obj. 4. Non magis Epiſcopatus eſt Ordo a Presbyteratu diſtinctus, quam Archiepiſcopatus ab Epiſcopatu. Atqui, &c. 169

R. neg. maj. Ratio eſt quia Epiſcopatus confert poteſtatem alterius 170

ſpeciei & ordinis ab ea quæ in Presbyteratu confertur: Archiepiſcopatus vero dat quidem potentiam ex parte ſubjectorum ampliorem, ſed ejuſdem omnino ſpeciei. Unde nihil quantum ad cenſuras, Leges, Statuta, &c. poteſt Metropolita, quod non poſſit Epiſcopus; licet is pauciores ſubditos ligare valeat, quam Metropolita de jure communi.

171 Obj. 5. admiſſo, qualem profitemur, Ordine Epiſcopali, duo admittenda ſunt, 1. neminem e Presbytero Epiſcopum fieri poſſe citra novam conſecrationem; 2. Epiſcopos ex ipſa Dei conſtitutione gradum habere Presbyterali ſuperiorem. Atqui utrumque repugnat; primum quidem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quæ referente S. Hieronymo in cap. 1. Epiſt. ad Titum, docet quod *Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant*, &c. Secundum eidem Hieronymo ibid. aliiſque permultis Patribus, quos fuſe appellat Morinus lib. 3. exercit. 3. cap. 2.

172 Reſp. difficultatem hanc a nobis, Deo favente, in decurſu Tractatus, ea, qua meretur, cura, diſcuſſum iri.

§. II. *An etiam Sacerdotio competat dignitas Sacramenti.*

173 *Presbyter græce, latine Senior interpretatur*, ait S. Iſidorus Lib. 7. Origin. cap. 12. *non pro ætate vel decrepita ſenectute, ſed propter honorem & dignitatem*. Seu, ut optime loquitur Catechiſmus Rom. hic nu. 43. *non ſolum propter ætatis maturitatem, quæ huic Ordini maxime neceſſaria eſt: ſed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam & prudentiam: Ut enim ſcriptum eſt* Sap. 4. v. 8. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.*

174 Presbyteri nomen in veteri Teſtamento, Senioris autem in novo, ut plurimum accipitur pro Magiſtratu plebis, quod ea præfectura viris ætate provectis tribui ſoleret. In uſu autem Eccleſiaſtico proprie ſignificat ſacram præfecturam, qua ſelectis hominibus traditur ſpiritualis poteſtas Euchariſtiam conſecrandi, & dimittendi peccata.

175 Qui Presbyteri, *interdum Sacerdotes* vocantur; *tum quia Deo conſecrati ſunt: tum quia ad eos pertinet Sacramenta adminiſtrare, ſacraſque res & divinas tractare*: Ita idem Catechiſmus nu. 44. His, quæ quantum ad præſens ſufficiant, poſitis, quæritur an Presbyteratus inter Sacramenta cenſeri debeat, ſit

176 Conclusio: Presbyteratus verum eſt Sacramentum.

177 Prob. 1. conſtat ex ſupra demonſtratis Ordinem eſſe veri nominis Sacramentum. Atqui eo ipſo conſtat Presbyteratum omnimodam Sacramenti rationem habere. Nimirum Sacramenti ratio potiſſimum Ordini competit propter ipſius habitudinem ad Euchariſtiam. Atqui Ordines inter nullus eſt qui plus ad Euchariſtiam tribuat habitudinis, quam Presbyteratus; cum & ejus conſecrandæ facultatem tribuat, & Epiſcopali caracteri potiſſimam ſuam dignitatem largiatur, uti paulo ante diximus cum Bellarmino. Ergo.

178 Prob. 2. argumento in hac materia importune quidem, ſed neceſſario recur-

recurrente. Ritus a Chriſto inſtitutus in perpetuum, & gratiam pariens, totam Sacramenti rationem habet. Atqui Presbyteratus,

1. Ritus eſt ſenſibilis; cum & hodie, & ſemper ab ipſis Apoſtolorum temporibus, in omnibus mundi Chriſtiani Eccleſiis per exteriora ſymbola collatus fuerit; prout agendo de materia ejus & forma oſtendemus. 179

2. Eſt ritus a Chriſto inſtitutus. Duplex enim in Presbyteratu confertur poteſtas, alia conficiendi Corpus Chriſti, alia vero dimittendi peccata. Atqui utramque Chriſtus, & ſolus concedere potuit, & de facto Presbyteris conceſſit: primam, cum Apoſtolicis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, dixit Luc. 22. 28 *Hoc facite in meam commemorationem*. Secundam, cum a morte redivivus, eiſdem dixit Joan. 20. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Neutram porro aliis quam Sacerdotibus traditam fuiſſe liquet ex iis quæ ſuo loco dicta ſunt de Miniſtro Euchariſtiæ & Pœnitentiæ. 180

3. Idem ritus in perpetuum, non ad horam, dies, vel annos inſtitutus eſt; cum, conſequenter ad mox citata Chriſti verba, ſemper id factum ſit quod ipſe *in* ſui *commemorationem* fieri præceperat, & ſemper remiſſa fuerint peccata; uti fuſe a nobis probatum eſt in Tractatibus de Euchariſtia & Pœnitentia. 181

4. Demum idem ritus gratiam ſanctificantem parit; 1. quia ſi gratia hæc annexa ſit potentiæ remittendi peccata, uti probat citatum iſtud: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis, &c.* debet hæc a fortiori annexa eſſe conſecrationi corporis Chriſti. 2. quia id conſtanter docent Patres, ex quibus ſupra probatum eſt, Ordinem verum eſſe novæ legis Sacramentum. Allati enim ibid. cap. 2. textus, puta Gregorii Nyſſeni, n. 62. Chryſoſtomi n. 65. Leonis n. 71. & aliorum plurium teſtimonia de Presbyteratu intelliguntur. Neque minus ex iiſdem aut aliis Patribus probantur ceteræ argumenti hujus ſecundi partes, ut eamdem Concluſionem a n. 60. relegenti conſtabit. 182

Prob. 3. datur in nova lege ſacrificium, & quidem veteribus ſacrificiis infinite præſtantius. Atqui, ut ſolide diſcurrit Trid. ſeſſ. 23. c. 1. ubicumque eſt ſacrificium, ibi & Sacerdotium, ejuſdem dignitati pro modo ſuo correſpondens, exiſtere neceſſum eſt. Ergo neceſſum eſt ut in Eccleſia ſit ſacerdotium veteri quocumque ſacerdotio infinite præſtantius. Subſumo: Atqui in veteri Lege Sacerdotium erat Sacramentum ſui generis, quantum nempe ferebat Lex egena & infirma. Ergo ut veritas figuram implendo ſuperaret, e re fuit ut novæ Legis Sacerdotium plenam haberet Sacramenti rationem. Atque hinc Lutherani & Calviniſtæ ſublato Sacerdotio ſacrificium ipſum, una cum vera ligandi & abſolvendi facultate ſuſtulerunt. 183

Prob. 4. ex Tridentina Synodo, quæ ſeſſ. 23. definit can. 1. *eſſe in novo Teſtamento Sacerdotium viſibile*; can. 2. Sacerdotium illud eſſe Ordinem; can. 3. *Ordinem, ſive ſacram Ordinationem eſſe vere & proprie Sacramentum:* ac demum can. 4. *per ſacram Ordinationem dari Spiritum Sanctum*, nec *proinde fruſtra Epiſcopos dicere; Accipe Spiritum Sanctum*: item *per eam imprimi caracterem*, &c. unde ſic: Ex citatis Canonibus aliquis ſaltem Ordo eſt vere & proprie Sacramentum. Atqui ratio hæc Sacramenti ad minus competit Sacerdotio; cum ex can. 2. ſacerdotium primam inter 184

Ordines ſedem teneat, & ex Can.4. det Spiritum Sanctum, neque fruſtra dicatur, quod in eo utique dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum*. Ergo.

185 Obj. ſi Presbyteratus ſit Sacramentum, vel quoad utramque ſui partem, id eſt tum quoad actionem qua confertur poteſtas in corpus Chriſti verum, ſeu conſecrandi; tum quoad actionem qua confertur poteſtas in corpus Chriſti myſticum, ſeu abſolvendi; vel quoad alterutram tantum. Atqui neutrum dici poteſt. Non 1. Alioqui vere & plene Sacerdos non eſſet, qui ſolam Euchariſtiæ conficiendæ poteſtatem recepiſſet; quod male congruit Tridentino definienti ſeſſ.22. cap. 1. Chriſtum Apoſtolos ſuos in ultima cœna Sacerdotes inſtituiſſe. Non 2. quidni enim verba hæc: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris*, &c. pari ad imprimendum caracterem efficacia polleant, ac præcedentia iſthæc: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo*, &c.

186 Reſpondent aliqui cum Henno pag. 383. Presbyteratum eſſe Sacramentum quoad utramque partem; quia præterquam utraque conſtat materia & forma, utraque confert poteſtatem ſpecialem, utraque diſtinctum caracterem imprimit; in ſecunda expreſſim dicitur ex inſtitutione divina, *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. ubi ſigno viſibili inviſibilis gratiæ promiſſio annectitur. Porro, ait idem Theologus, ſi ſecunda ſit Sacramentum, quidni & prima; cum hæc nobilior ſit, & poteſtatem nobiliorem conferat: immo nec poſſit ſecunda ſubſiſtere ſine prima, licet prima poſſit ſubſiſtere ſine ſecunda? Unde ſi cui conferretur poteſtas abſolvendi, antequam eidem conferretur poteſtas conſecrandi, irrita foret Ordinatio. Valeret autem Ordinatio & poteſtas conſecrandi, licet non ſequeretur Ordinatio & poteſtas abſolvendi. Hæc ille.

187 Contra vero exiſtimant alii, idque communiter juxta Valentiam hic diſp. 9. q. 1. puncto 5. pag. mihi 2078. Presbyterum, ſtatim ut accepit poteſtatem Offerendi ſacrificii, recepiſſe, quantum eſt ex parte Ordinis, poteſtatem remittendi peccata, qua, modo ſubinde accedat juriſdictio, uti poſſit, etiamſi Epiſcopus ex repentina morte, nec manus imponere potuiſſet, nec pronuntiare hæc verba: *Accipe Spiritum Sanctum*. De his plura non dicam in præſens; quia pendet alterutrius ſententiæ veritas ex dicendis ubi de materia & forma Presbyteratus.

Ceteræ Objectiones dilutæ ſunt cap. 2. ubi Ordinationi ſacræ ſua aſſerta eſt dignitas Sacramenti.

§. III. *An Diaconatus Sacramenta inter cenſeri debeat.*

188 Diaconus, juxta vim Græci nominis, idem eſt ac Miniſter: paſſim nunc ſtrictiori ſenſu accipitur, non ſolum pro Miniſtro rei ſacræ, quæcumque ea ſit; ſed pro Miniſtro ad certas in Eccleſia functiones virtute officii ſui deputato.

189 Diaconatus definiri ſolet, Ordo ſacer per quem datur poteſtas inſerviendi Epiſcopo vel Sacerdoti ſacra ſolemniter perficientibus. Unde quod in veteri Teſtamento præſtabant Levitæ, quantum ad Aaronicos Sacerdotes, id in nova Lege quantum ad Chriſtianos Sacerdotes præſtant Diaconi, qui & non raro Levitæ nuncupantur.

Jam

Jam quæſtio eſt an Diaconatus ſit Ordo, non ſolum latiori ſenſu, 190
juxta quem deputatio omnis ad religioſa quæcumque munia Ordo dici poteſt; ſed ſtrictiori ſenſu, quo nempe id ſolum Ordo dicitur, quod a Chriſto definite, ſeu ad certos fines inſtitutum eſt.

Negant 1. Calviniani cum ſuo duce, Lib. 4. Inſtit. cap. 5. §. 15. ubi 191
Diaconatum vult meram eſſe deputationem ad functiones mere humanas, videlicet ad diſtributionem eleemoſynarum, ad curam viduarum, &c. unde iidem hæretici Diaconos non in perpetuum conſtituunt, ſed ad certum tempus.

2. Spalatenſis Lib. 2. de Republ. Eccleſ. cap. 4. num. 55. ubi Diaco- 192
nos non alio fine primitus ſecundum divinam Ordinationem inſtitutos eſſe vult, quam ut *ſolas menſas communes curarent*: licet exinde factum ſit, ut iis aliquam Sacramentorum adminiſtrationem commiſerint Epiſcopi. Unde quidquid in Diaconis humanas functiones ſpectat, in Apoſtolicam; quidquid vero ad munia ſacra refertur, in Epiſcopalem inſtitutionem referri debet.

3. Durandus in 4. diſt. 24. q. 2. ubi ſolum Sacerdotium pro vero Sa- 193
cramento habet, ceteros autem Ordines pro meris Sacramentalibus, quę ad Sacerdotium diſponant. *Qui hanc opinionem Durandi vellet ſuſtinere*, ait Domin. Soto in eamd. diſt. q. 1. a. 4. *non foret magna reprehenſione dignus; temeritate nihilominus notandus, cum non ſit tam facile a communi Antiquorum opinione deflectendum*. Quæ verba expendens Eſtius hic §. 8. ait non videri *de ea* quæſtione *quidquam eſſe definitum ab Eccleſia*: Unde conſequens eſt Sacramenti dignitatem, citra fidei diſpendium, Diaconatui abnegari poſſe. Idem eſt judicium Bellarmini hic cap. 6. ubi: *Non eſt certum de fide* Diaconatum eſſe Sacramentum; *quia non poteſt id evidenter deduci ex verbo Dei ſcripto, vel tradito: neque extat ulla Eccleſiæ de hac re expreſſa determinatio*.

Nec eſt quod cum Vaſque diſp. 238. cap. 2. objicias Canonem Octa- 194
vum ſeſſionis 23. Concilii Trid. ubi definitur *in Eccleſia Catholica eſſe Hierarchiam, divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris*. Facile enim reponetur cum Tournelyo pag. 248. 1. hinc ſecuturum quod Ordines ceteri inter Sacramenta, & quidem de fide, recenſendi eſſent: quandoquidem generatim de Miniſtris loquitur ſancta Synodus; 2. dici equidem in objecto Canone, Miniſtros ad Hierarchiam divinitus inſtitutam pertinere; non autem Miniſtros omnes, qui ad hanc Hierarchiam pertinent, vero Sacramento initiari: quæ duo valde diverſa ſunt. Sed de his rurſum infra. Sit jam cum longe communiori Theologorum ſententia.

Conclusio: Diaconatus eſt veri nominis Sacramentum. 195

Prob. 1. Ubi eſt ritus ſenſibilis, a Chriſto inſtitutus permanenter, & gratiam producens, ibi eſt veri nominis Sacramentum. Atqui in Diaconatu hæc omnia concurrunt. Minor quoad ſingulas partes ex Scriptura vel conſtanti Traditione probabitur.

Et quidem primo quod in Diaconatus collatione occurrat ritus ſen- 196
ſibilis liquet ex Act. 6. v. 6. ubi de prioribus ſeptem, qui Diaconatu initiati ſunt, legitur: *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*.

197 Secundo ritus idem a Chriſto inſtitutus eſt. Siquidem ex citato mox Tridentini Concilii Canone, *Hierarchia Eccleſiaſtica conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris*, quo poſtremo nomine ut minimum Diaconos intelligi neceſſum eſt. Atqui ex eodem Canone, Hierarchia Eccleſiaſtica divina ordinatione inſtituta eſt. Ergo imprimis apud Catholicos certo conſtare debet Diaconatum a Chriſto inſtitutum eſſe.

198 Quod autem id temere aut gratis a Sacra Synodo definitum non fuerit, uti blaſphemant Novatores, non minus conſtat, 1. quia juxta receptam Tertulliani ſententiam, quod nos ab Apoſtolis accepimus, id ipſi a Chriſto acceperunt, ſicut & Chriſtus a Deo. Porro normam Diaconos inſtituendi ab Apoſtolis recepit Eccleſia; nec dubium quin hæc ab omnibus, ubique & ſemper obſervata fuerit, 2. quia ex mox dicendis ſacer Diaconatus Ordo gratiam parit. Nemo autem alius a Chriſto gratiam exteriori ſigno annectere poteſt. 3. quia divinam illam inſtitutionem tradidere nobis primævi Patres, qui cum Apoſtolicis temporibus vixerint, Apoſtolorum doctrinam longe magis compertam habere debuerunt, quam poſtremæ ætatis Novatores, in gravioribus punctis miſere lapſi, prout ingemendo fatebatur Grotius. Ita S. Clemens Romanus, Petri & Pauli ſocius, in Epiſt. 1. ad Corinth. *Apoſtoli*, inquit, *nobis Evangelizaverunt a Domino Jeſu Chriſto; Jeſus Chriſtus a Deo. Miſſus eſt ergo Chriſtus a Deo, & Apoſtoli a Chriſto, Itaque .... acceptis mandatis .... egreſſi ſunt annuntiantes adventurum eſſe regnum Dei .... Prædicantes ergo per regiones & urbes .... Epiſcopos & Diaconos conſtituerunt*. Ecce hic Apoſtoli Diaconos ut & Epiſcopos conſtituunt; utroſque autem conſtituunt, ſecundum eadem mandata ex quibus per regiones & urbes prædicant. Atqui non prædicarunt niſi *acceptis* Chriſti *mandatis*. Ergo ex iiſdem mandatis Epiſcopos & Diaconos conſtituerunt. *Neque hoc nove*, pergit S. Clemens, *a multis enim temporibus ſcriptum fuerat* Iſaiæ 60. 17. *Conſtituam Epiſcopos eorum in juſtitia, & Diaconos eorum in fide;* ubi Divina Diaconorum ſicut & Epiſcoporum inſtitutio diu ante per Prophetas a Spiritu ſancto prædicta fuiſſe affirmatur. Conſonat id Martyris Ignatii Epiſt. ad Trallianos: *Cuncti revereantur Diaconos ut mandatum Jeſu Chriſti*, ſeu, ut legunt alii, *velut mandatum Dei exequentes miniſterio ſuo, & Epiſcopum, ut eum qui eſt figura Patris; Presbyteros autem ut conſeſſum Dei: ſine his Eccleſia Dei non vocatur*. Jam vero in Deum refundi debet id quod ex ipſo Chriſti mandato conſtitutum eſt, & ſine quo Eccleſia Chriſti non ſubſiſtit. Ecquis enim dixerit, ſublato eo quod humanum eſt, futurum ut jam non ſubſiſtat Eccleſia Dei? Neque alia mens eſt S. Polycarpi, cum in Epiſt. ad Philipp. ſcribit: *Subjecti eſtote Presbyteris & Diaconis, ſicut Deo & Chriſto*. Sane non ita loqueretur S. Martyr, neque cum Presbyteris conferret Diaconos, ſi horum inſtitutionem mere humanam eſſe crediſſet. Quæ autem docebat Polycarpus, hæc utique acceperat & ab Evangeliſta Joanne, cujus fuerat auditor, & ab aliis Chriſti diſcipulis: *quippe qui nonnullos Apoſtolorum, & eorum qui viderant Dominum, Magiſtros habuerit & viderit*, uti narrat Hieronymus in Lib. de Scriptoribus Eccleſ. capit. 27. Ergo.

199 Tertio ritus idem a Chriſto in perpetuum inſtitutus eſt: cum ſemper & ubique obſervatus fuerit, nec ſuam hanc ſtabilitatem, quam huma-

humanæ res neſciunt, aliunde ſortiri potuerit, quam quia verbum Dei manet in æternum.

Quarto eidem ritui annexa eſt gratia. Ei ſiquidem ritui annexa eſt 102
gratia, qui prævias ad gratiam diſpoſitiones requirit, qui conſtat ſignis gratiam parere conſuetis, quem largus gratiæ imber proxime ſubſequitur, quo demum recepto tenetur quis ad eam vitæ formam, cui non ſubjacent ceteri fideles, ſed ii ſolum qui verum Ordinem ſuſceperunt. Atqui Diaconatus, 1. requirit prævias ad uberiorem gratiam diſpoſitiones; cum ad eum non aſſumpſerint Apoſtoli, niſi *viros boni teſtimonii, plenos Spiritu Sancto & ſapientia*, Act.6. 3. quod & ſemper in Diaconorum promotione obſervavit Eccleſia; 2. conſtat ſignis gratiam parere conſuetis: *Orantes impoſuerunt eis manus* Apoſtoli, ibid. v.6. Atqui oratio, quæ de ſe gratiam invocat, eamdem juncta manuum impoſitioni producit; cum non alia via gratiam receperint priores Epiſcopi, uti antea dictum eſt. Unde Tertullianus Lib. de reſurrect. carnis cap. 8. (p.330. D.) *Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur*. 3. ritum hunc fœcundus gratiarum imber proxime conſequitur. Statim namque ut inauguratus eſt Stephanus, plenum ſe *gratia & fortitudine* exhibuit, ibid. v.8. & hæc Spiritus dona in dignis ejuſdem ſucceſſoribus enituerunt, ut videre fuit in Levita Laurentio. 4. demum id fere a Diaconis exigit Apoſtolus I. ad Timoth.3. quod ab Epiſcopis. Non enim ſolum præcipit ut utrique ſint pudici, a vini cupidine immunes, ſed ut ſint *unius uxoris* viri; quæ profecto non a ſimplicibus menſarum miniſtris, ſed ab iis ſolum, qui ſingularem potioris continentiæ gratiam receperunt, exigi poſſe videntur. Et hęc dubio procul fuit primæva Eccleſiæ fides: Unde Concilium Calcedonenſe Can.2. (Tom. 4. Concil. pag 756.) vult ut *Si quis Epiſcopus, non venalem gratiam* vendendo, *propter pecunias ordinaverit Epiſcopum, vel Chorepiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in Clero annumerantur .... de proprio gradu in periculum veniat*. Ubi gratia, qualis Presbyteratui & Epiſcopatui annexa eſt, proinde ſanctificans, non miraculorum, quæ tunc non ſubſiſtebant, Diaconatui etiam adjuncta dicitur. Vere igitur & ad totius Traditionis ſenſum definiit Trid. ſynodus cit. jam can. 4. non fruſtra ab Epiſcopis dici: *Accipe Spiritum Sanctum;* quæ verba in ordinatione Diaconi proferuntur.

Prob. 2. convellendo præcipuum contrariæ novitatis argumentum. Ideo negant adverſarii Diaconatum Sacramenti rationem habere, quia hunc primitus inſtitutum eſſe volunt ad menſarum adminiſtrationem, & viduarum curam; quæ pia quidem ſunt, ſed communia laicorum miniſteria. Atqui ratio hæc, præterquam non omnino concludit, ut ſentiunt aliqui cum Vaſque infra referendo, falſum prorſus ſupponit. Ii enim non ad profanum miniſterium inſtituti ſunt, qui jam ab Eccleſiæ incunabulis ſacrum miniſterium exercuerunt. Nemo enim facile concipiet, homines uſibus mere profanis deſtinatos, ad ſacra illico, citra cujuſquam offenſionem, convolaſſe. Utique cum Diaconi, vel alii quipiam, Superiorum jura invaſerunt, ſtatim undecumque reclamatum eſt, ut conſtabit ex dicendis. Atqui vel ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Diaconi ſacras functiones exercuerunt; nec, quod penſandum, alias

 un-

unquam magis exercuiſſe leguntur. Siquidem ex Ordinatione in Pontificali præſcripta, *Diaconum oportet miniſtrare ad Altare, baptizare & prædicare*. Atqui hæc ab initio præſtiterunt Diaconi.

202 De prædicatione res eſt indubia: ſtatim quippe ut impoſitæ ſunt manus Stephano, cœpit is tanta vi Evangelium annuntiare, ut non poſſent Judæorum primores reſiſtere *ſapientiæ & Spiritui, qui per eum loquebatur*, Act.6. 10. Idem fecit Philippus, qui *deſcendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum*, ibid. 8. v. 5. Idipſum conſtat de Baptiſmo, qui tamen numquam ab omnibus paſſim, extra neceſſitatis caſum, ſed ſemper a propriis Miniſtris collatus eſt. Siquidem *cum* Samaritani *credidiſſent Philippo Evangelizanti*, ab eodem *in nomine Chriſti* baptizati ſunt *viri & mulieres*; poſtmodum vero Simon magus, ac demum Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum, de mandato Angeli, ibid. v.12. 13.26. & 38. Hinc Tertullianus Lib. de Bapt. c.13. *Dandi Baptiſmi jus habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus; deinde Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate*; quod & docet Hieronymus Dialog. adv. Luciferianos.

203 Denique moris inviolati fuit ut Sacerdoti Sacris ſolemniter operanti ſubſerviret Diaconus. Præterquam enim id ſatis aperte docet Apoſtolus, non raro Diaconos, ſeu Epiſcopis, ſeu Presbyteris quantum ad dotes conjungens, quæ virtutum ſocietas ſocietatem Miniſterii demonſtrat; probat id invicte unanimis Patrum traditio. Sic, ut antiquioribus immorer, S.Ignatius, qui ævum Apoſtolicum claudit, in Epiſt. ad Trallianos: *Oportet*, inquit, *Diaconos, Myſteriorum Jeſu Chriſti Miniſtros omni modo omnibus placere. Non enim ciborum & potuum miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ Dei Miniſtri*; Idem repetit in Epiſt. ad Magneſianos, ubi de Diaconis ait: *Quibus commiſſum eſt Miniſterium Jeſu Chriſti* Sic S. Juſtinus Apolog. 2. p. 97. *Qui apud nos vocantur Diaconi atque Miniſtri, diſtribuunt unicuique præſentium* Euchariſtiam. Sic S.Laurentius apud Ambroſium Lib.1. de Officiis cap. 41. Sixtum Pontificem in ipſo Martyrii articulo compellans: *Quo*, inquiebat, *Sacerdos ſancte ſine Diacono properas tuo? Numquam ſine Miniſtro ſacrificium offerre conſueveras*. Id ipſum firmant vel ipſa Concilia, quæ ut Arelatenſe, Can.15. & Carthaginenſe IV. Can.38. prohibuerunt ne *Diaconi corpus Chriſti tradere præſumerent, præſente Presbytero, & non jubente*: Hinc enim ſequitur eos ex divino jure Miniſtros fuiſſe hujus Sacramenti, licet cum debita Presbyteris ſubmiſſione. (Vide quæ in hanc rem dicta ſunt Tom. V. p.450. & ſeq. ubi de Euchariſtiæ Miniſtro.) His omnibus accedit praxis Eccleſiæ, qua nemo mentem Chriſti & Apoſtolorum luculentius interpretari poteſt: hæc porro ubique & ſemper Diaconos habuit uti ſacrorum Miniſtros.

204 Prob. 3. eorum inſtitutio ad Chriſtum ipſum referenda eſt, quos antiqui Epiſcopis & Presbyteris, certiſſime a Chriſto inſtitutis, ſemper conjunxerunt. Atqui ex citatis paſſim monumentis conſtat Diaconos ſemper a veteribus conjunctos fuiſſe Epiſcopis & Presbyteris. Quin & ab Optato dicuntur *in tertio Sacerdotio* conſtituti; quodque fortius videri poſſit, docet Martyr Ignatius, *ſine his Eccleſiam* non ſtare. Ergo.

205 Obj 1. qui ſolum inſtituti ſunt ad miniſtrandum menſis, gerendamque viduarum curam, hi certe ad profanum, non ad ſacrum miniſterium inſtituti ſunt. Atqui Diaconi . . . . . Minor patet ex nuda

inſpe-

inſpectione capitis 6. Act. Cum enim *factum* eſset *murmur Græcorum*, id eſt Judæorum, qui extra Paleſtinam nati & græce loquentes, Fidem ſuſceperant, *adverſus Hebræos*, ſeu Judæos Paleſtinæ, *eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum; dixerunt* Apoſtoli; *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, Fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem . . . quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos vero orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coram omni multitudine & elegerunt Stephanum*, &c. Atqui hic luce clarius eſt, ſeptem priores Diaconos, ad quorum normam inſtituti ſunt ceteri, non alio intuitu conſtitutos fuiſse, quam ut communibus menſis miniſtrarent, non autem ut vacarent Sacris, ſeu prædicando, ſeu baptizando, &c. Alioqui miniſterium ipſis aſſignatum, & Apoſtolis conveniſset, & ab eis, Diaconali hoc officio fungentibus, adimpletum fuiſset; contra iſtud: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei & miniſtrare menſis:* Et rurſum: *Nos vero ... miniſterio verbi inſtantes erimus.* Ergo.

Reſpondet Vaſquez diſp. 236. cap. 4. n. 48. ſeptem Diaconos, de quibus Act. 6. ad ſacrum miniſterium nequaquam deſtinatos fuiſse; unde tunc nec ordine ullo, nec Sacramentaria dignitate inſigniti ſunt. Subdit tamen eoſdem deinceps *ad Altaris miniſterium Sacramento Diaconatus ordinatos eſſe, quod tametſi in Scriptura expreſsum non ſit, ex Traditione nobis conſtat*. Ex hac opinione, quam Chryſoſtomo, Oecumenio, ac Bedæ, perperam tamen, tribuit Cornelius a lapide hic v. 3. pag. 129 ſequitur Diaconatum jure quidem cenſeri inter Sacramenta; verum idem ex Traditione ſolum, non autem ex Scriptura evinci poſse. 206

Hæc opinio, licet rei ſubſtantiam admittat, quando quidem in multis Traditio conſtans vices gerit Scripturæ, a ceteris Doctoribus rejici ſolet, nec immerito, 1. quia Catholicis unicum quod e Scriptura habeant divinæ Diaconorum inſtitutionis argumentum eripit, & gratis omnino eripit; 2. quia plerique Patres originem & munia Diaconorum noſtrorum repetunt ex iis ipſis ſeptem, quos Act. 6. conſtituerunt Apoſtoli. Ergo cum doceant iidem Patres, Diaconos noſtros per ordinationem ſuam ad miniſteria ſacra deſtinari, neceſsum eſt ut idem ſentiant de prioribus ſeptem Diaconis, ad quorum formam ceteri poſtmodum inſtituti fuere. Ita porro ſentiunt Cyprianus Epiſt. 60. ad Clerum & Plebem Hiſpaniæ, ubi de forma electionum ſcribens: *Nec hoc*, inquit, *in Epiſcoporum tantum & Sacerdotum, ſed in Diaconorum Ordinationibus obſervaſse Apoſtolos animadvertimus, de quo & ipſo in Actis eorum ſcriptum eſt*: Et convocarunt, *inquit*, illi duodecim totam plebem Diſcipulorum, &c. *quod idcirco tam diligenter & caute convocata tota plebe gerebatur, ne quis ad Altaris miniſterium, vel ad ſacerdotalem locum indignus obreperet*. Quibus in verbis Diaconorum inſtitutio ad Altaris miniſterium refertur, & una cum Epiſcopatu ac Sacerdotio, Ordinationis nomine donatur. Ita & Patres Concilii Neocæſarienſis an. 314. can. 14. (Tom. 1. Concil. p. 1486.) *Diaconi*, inquiunt, *ſeptem eſse debent juxta regulam, licet & valde magna ſit civitas. Idipſum autem & Actuum Apoſtolorum liber inſinuat*. Quid porro inſinuat Actuum liber, ſi, ut Vaſqueſio pla- 207

placet, de inſtitutione mere civlii loquatur. Concinit Prudentius in carmine de S. Laurentio:

Jura miniſterii ſacris Altaribus apti
In ſeptem ſtatuere viris, quos undique lectos
Levitas vocitare placet. Quam ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Miſceat, & latices cum ſanguine porrigat Agni.

Ita demum S. Iſid. l. 2. de officiis Eccle. c. 8. Amalarius, Rabanus Maurus, Stephanus Æduenſis, &c. Hac ergo prætermiſſa ſolutione, quæ tamen Vaſqueſii ſententiam a Durandi commento inſigniter diſtinguit,

208 Reſp. ad 1. diſt. min. Diaconi inſtituti ſunt ad miniſtrandum menſis, quæ etiam ſacræ erant, C. ad miniſtrandum menſis pure profanis & vulgaribus, Subd. inſtituti ſunt tamquam ad munus ſecundarium, C. tamquam ad primarium munus N. Ut ex objecto Actuum textu nihil adverſum nos inferri poſſit, duo ſufficiunt; 1. ut menſæ quibus præfecti ſunt ſeptem Diaconi, non vulgares eſſent, ſed ſacræ propter his adjunctam ſacræ Cœnæ adminiſtrationem; 2. ut ſi gratis ſupponantur communes, palam fit Diaconos, ex earum quidem occaſione, ſed non ob ipſas primario & principaliter inſtitutos fuiſſe. Atqui utrumque, non probabile modo, ſed & certiſſimum videtur.

209 Primum conſtat; 1. quia eo tempore moris erat, ut ad exemplum Chriſti, qui paſchalem cœnam Euchariſticæ cœnæ conjunxit, vulgari menſæ adjungeretur menſa ſacra, ſeu Corporis & Sanguinis Chriſti participatio; ſecundum id Apoſtoli I. Corinth. 11. *Unuſquiſque cœnam ſuam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt;* quæ ad menſam communem pertinent. Poſtea vero: *Quotiſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis;* quæ ſolum de menſa ſacra intelligi poſſunt. Unde id Act. 2. *Erant perſeverantes in fractione panis & orationibus*, a multis, nec inepte, accipitur de ſacris dapibus, ſecundum id Pauli ibid. capit. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* 2. quia idipſum probant dotes ab Apoſtolico Collegio in primis Diaconis requiſitæ. Quid enim plus ad conferendum cuipiam Ordinem ſacrum exigant, quam ut is ſit vir *boni teſtimonii*, *plenus Spiritu Sancto & ſapientia?* An quæſo, ait Baronius, *tantum oportuit* adhiberi ſtu*dium in diligendis, qui prandia cœnaſve pararent Miniſtris*. 3. Quia alioqui ſatis fuiſſet electio a multitudine ex Apoſtolorum imperio facta, nec ullis opus fuiſſet religioſis ritibus. Atqui non ſuffecit electio a multitudine facta, ut indicant verba hæc: *Conſiderate viros ex vobis boni teſtimonii .... quos* CONSTITUAMUS nos *ſuper hoc opus*. Aliunde uſurpati ſunt ritus, ut in ceteris inaugurationibus religioſi, oratio ſcilicet cum manuum impoſitione. Ergo.

210 Secundum non minus liquet: nihil enim vetat quin profani miniſterii neceſſitas inſtitutioni ſacræ occaſionem dederit; neque qui primum narrat S. Lucas, negat ſecundum. Quod autem res ita ſe habeant, conſtat 1. ex ſacris ritibus, qui in Diaconorum inſtitutione adhibiti ſunt; 2. ex ſacris, quas ſtatim adimpleverunt functionibus; 3. ex jugi Patrum traditione, quam indubiam facit expreſſa S. Ignatii auctoritas; 4. quia

Supra n. 203.

Pau-

Paulus ubique Diaconus Epiſcopis aut Presbyteris adjungit, utique in miniſterio, ſicut & in virtute; 5. quia non erant Philippis, Cretæ & Epheſi menſæ communes, adeoque nec earum præfecti: Atqui tamen iis in locis Diaconos inſtituit Apoſtolus, I. Timot. 3. 2. ad Titum 1.6. Philipp. 1. verſ. 1. (de quo tamen ſupra;) 6. quia Diaconi olim ſanguinem Chriſti quaſi ordinarie miniſtrabant, ut videre eſt in Actis S. Laurentii, in S. Cypriano ſerm. 5. de lapſis, in Juſtino Apolog. 2. in Concilio Carthag. IV. can. 38. Ergo Apoſtoli Diaconos quidem inſtituerunt occaſione murmuris inter fideles ſuborti; ſed eos inſtituendo, *executi ſunt præceptum Chriſti de inſtituendis Diaconis, eiſque demandandi omnia officia a Chriſto ſancita, tam ſpiritualia, quam corporalia, e quibus erat menſarum & eleemoſynarum diſtributio*. Ita poſt Innocentium III. Lib. 3. de Myſterio Miſſæ, cap. 5. & 56. Cornelius a lapide in Act. 6. verſ. 3. Hinc

Ad 2. neg. min. qui enim totam ſacri textus ſeriem attente inſpexerit, facile animadvertet, Diaconos occaſione unius miniſterii ad aliud longe ſublimius primario inſtitutos eſſe; uti modo & ſupra probatum eſt. 211

Ad 3. R. nullam Diaconalis miniſterii partem Apoſtolis vel Epiſcopis indignam fuiſſe. Nam eam, quæ ad prædicationem ſpectat, ut per ſe evidens eſt. Non eam quæ ad pauperum & viduarum curam pertinet, ut patet ex Act. 11. v. 29. & 12. v. 25. ubi Barnabas & Saulus eleemoſynas in pauperum levamen colligunt; ex Epiſt. ad Corinthios & aliis, ubi ſuam in egenos ſollicitudinem commemorat Apoſtolus; ex Epiſt. ad Timoth. Epiſcopum, ubi Paulus idem exponit quas viduas honorare, ſeu ex Eccleſiæ ærario alere debeat. Sed quia quotidiana pauperum cura, labor in inſtruendis menſis, iiſdem aſſiſtentia, quę plurimum requirebant temporis, eoſdem ab utiliori miniſterio quotidie retardaſſent, & quos huc & illuc diſcurrere neceſſum erat, uni loco alligaſſent; ideo judicarunt æquum non eſſe, ut officio huic per ſe ipſos incumberent: unde ſervata ſibi rei ſummæ præfectura, minutiorem ejus curam ſubalternis Diaconis commiſerunt. Quapropter in forma Diſt. Miniſterium Diaconis aſſignatum, ipſis etiam Apoſtolis convenisſet, ſic tamen ut penes magnam ſui partem plurimum nocuisſet Evangelicæ prædicationi, C. Secus, N. 212

Inſt. 1. ubi ambigua eſt Scriptura, non aliunde melius intelligi poteſt rerum inſtitutio, quam Traditione. Atqui ex veteri Traditione conſtat, Diaconos, de quibus Act. 6. non ad Altaris miniſterium, ſed ad diſpenſandas pauperibus Eccleſiæ facultates, inſtitutos eſse. Sic enim in hunc locum docent Sanctus Chryſoſtomus, & qui eum ſequi ſolent, Theophylactus & Oecumenius; hiſque conſentit Synodus Quiniſexta ann. 692. 213

Reſp. neg. min. nec enim Traditionis nomen meretur opinio privata quorumdam, qui a deceſſoribus ſuis receſſerunt, ſed moralis Patrum, præcipue vero antiquorum, conſenſus. Atqui Patres antiquiores aliud in præſens ſenſerunt a Chryſoſtomo, uti probavimus. Ergo ſicut ille ab aliis receſſit, ſic & nobis ab eo recedere fas eſt. Unde Chryſoſtomo Ignatium, Epiſcopum perinde, Martyrem inſuper, & Apoſtolis multo viciniorem Trullanæ autem Synodo, cujus ceteroqui magna non eſt auctoritas, cum & Schiſmaticis conſtaret, & bene multos Eccleſiæ 214

Lati-

Latinæ ritus temere impugnaverit, opponimus Patres Neocæſarienſis Concilii can. 14. ſupra num. 207.

215 Quamquam nobis quoad ſubſtantiam conſentit Synodus Trullana. Ea nimirum, prout exinde facit Vaſquez, duo ſecernit Diaconorum genera, quorum alii ad Eccleſiaſtica munia inſtituti forent; & tales, ex Trullanis Patribus, ii erant de quibus loquitur S. Paulus in Epiſtolis ad Timotheum & Titum: Alii ad Altaris miniſterium deſtinati non erant; & tales, ex iiſdem Patribus ii fuere de quibus eſt ſermo Act. 6. Eaque S. Chryſoſtomi & ſequacium ejus opinio fuiſſe perhibetur. Verum hæc ſupra in Vaſquez confutata eſt, nec reliquæ Traditioni conſentit.

216 Inſt. 2. atqui Chriſoſtomi ſententiæ prælufit antiquior Traditio. Prob. Subſumptum ex S. Cypriano hæc ad Rogatianum ſcribente Epiſtol. 65. aliis 64. Pearſonio 3. *Meminiſſe autem debent Diaconi, quoniam Apoſtolos, id eſt Epiſcopos & Præpoſitos Dominus elegit: Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ Miniſtros*. Unde ſic: Qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt, ſecus ac Epiſcopi, qui inſtituti ſunt ab ipſo Chriſto, ii divinæ inſtitutionis non ſunt, Atqui ex Cypriani Diaconi, &c.

217 Reſp. diſt. min. ex Cypriano Diaconi ab Apoſtolis conſtituti ſunt, quantum ad perſonam, C. quantum ad Ordinem ipſum, N. Itaque Epiſcopatum & Diaconatum inſtituit Chriſtus, ſed ita ut Epiſcopos ſub Apoſtolorum vocabulo ordinaverit ipſe, Diaconos vero, quia non ita ex tunc neceſſarii forent, Apoſtolis ordinandos reliquerit. Sicut ergo Baptiſma vere eſſet a Chriſto inſtitutum, licet Chriſtus neminem baptizaviſſet; ita & vere a Chriſto inſtitutus eſt Diaconatus, etſi neminem Chriſtus in Diaconum conſecraverit. Quia tamen longe magis glorioſum eſt a Chriſto inauguratum eſſe, quam ab hominibus, aliunde vero Diaconorum inſtitutioni occaſionem præbuit res de ſe modica, hinc argumentum expreſſe & tacite deſumit Cyprianus, quo ſupercilium deprimat petulantis Diaconi, qui adverſus Rogatianum inſurrexerat.

218 Inſt. 3. Pergit ibidem Cyprianus: *Quod ſi nos aliquid audere contra Deum poſſumus, qui Epiſcopos facit, poſſunt & ii contra nos audere, a quibus Diaconi fiunt*. Unde ſic: Qui fiunt ab Epiſcopis ſicut Epiſcopi fiunt a Deo, humanæ ſunt inſtitutionis, ſicut divinæ ſunt Epiſcopi. Atqui ex S. Cypriano Diaconi fiunt ab Epiſcopis, &c. Ergo.

219 Reſp. diſt. min. fiunt ab Epiſcopi, ſed juxta Dei mandatum & inſtitutionem, C. fiunt ab Epiſcopis tanquam cauſſa inſtituente, N. Reſpicit eo loci Cyprianus ad primam Ordinum inſtitutionem, juxta quam Epiſcopi a Deo, Diaconi autem ab Epiſcopis conſtituti ſunt, atque hinc merito concludit Diaconos omnimodam reverentiam debere Epiſcopis, quia qui inſtituti ſunt cum poteſtate Diaconos inſtituendi, his omnino ſuperiores eſse debent. At non ideo magis Dei mandatum & inſtitutionem excludit a Diaconorum conſecratione, quam excludat miniſterium Epiſcoporum a conſecratione Epiſcopali, cum generatim docet Epiſcopos a Deo fieri. Atqui cum generatim docet, &c. Et vero quidquid hic de Diaconis ait Cyprianus, id pari cauſſa de Presbyteris dicere potuiſset, uti animadvertit Pearſon. Atqui tamen hinc colligere poſ-

ſit Presbyterorum inſtitutionem ſic eſſe ab Epiſcopis, ut non ſit ex inſtitutione divina. Ergo.

Obj. 2. S. Damaſus Papa Epiſt. 5. docet quod *Ordines ſunt duo tantum primi in Eccleſia, id eſt Apoſtolorum & ſeptuaginta Diſcipulorum*. Ergo Diaconatum excludit a ratione Ordinis. 220

Reſp. Diſt. conſ. excludit a ratione Ordinis primi, C. a ratione Ordinis ſimpliciter, N. Agit eo loco Damaſus contra Chorepiſcopos, & ut probet eos Epiſcopalia munia immerito uſurpare, docet quod *eorum Ordo non habet in divinis litteris auctoritatem, quia Ordines ſunt duo tantum primi in Eccleſia*, id eſt, duo tantum Ordines Sacerdotum, majorum ſcilicet, qui Apoſtolis, & minorum, ſeu ſimplicium Presbyterorum, qui LXX. Diſcipulis ſuccedunt. Unde concludit Chorepiſcopos vel nihil eſſe, vel ad alterutrum Ordinem pertinere: cumque Epiſcopi non ſint, ſupereſse, ut vel nihil ſint, vel ſimplices ſint Presbyteri; adeoque ut Epiſcopale officium arrogare ſibi non debeant. 221

Obj. 3 S. Hieronymus Epiſtol. 85. ad Evagrium, ſeu Evangelum, (Tom. 4. part. 2. pag. 802.) *Quis*, inquit, *patiatur, ut menſarum & viduarum Miniſter ſupra eos tumidus ſe efferat, ad quorum preces Corpus Chriſti Sanguiſque conficitur*. Hic Sanctus Doctor Diaconos vocat menſarum Miniſtros: Ergo non credidit ſuperius eis & ſacrum miniſterium competere. 222

Reſp. diſt. ant. Diaconos vocat menſarum Miniſtros denominatione ſumpta ab ignobiliori eorum officio, vel ab eo officio, quod, licet utcumque vile, exercere tenebantur, C. quaſi nobilius eorum exercitium excludat, N. S. Hieronymus eo loci totus eſt in reprimendo Diaconorum faſtu. Porro qui alterius ſuperbiam retundere nititur, inter varia ejus muniorum partes eas ſeligit quæ nonnullam vilitatis ſpeciem præ ſe ferunt: ſed non ideo digniora ejus munera negat aut excludit. Atqui id in præſenti caſu manifeſtum eſt. Qui enim Diaconos habebat ut Cleri partem ſupra laicos a Chriſto erectam; qui eos in tertio Sacerdotii gradu collocat; qui demum probat eoſdem pari cum Epiſcopis & Sacerdotibus continentiæ vinculo adſtringi, eo quod immaculatam cum Presbyteris Hoſtiam offerant, ille profecto nobiliora Diaconis miniſteria non abnegavit. Atqui hæc totidem verbis docet S. Hieronymus; primum quidem Lib. 2. adverſus Jovinianum; ſecundum in Apologia contra eumdem; tertium denique in Epiſtol. ad Heliodorum. Ergo quando S. Doctor Diaconus vocavit menſarum Miniſtros, non excluſit ab eis nobilius miniſterium. 223

Obj. 4. Ordo caracterem imprimens non datur ad tempus. Atqui Diaconatus ad tempus conferri poteſt. Sic enim loquitur Vigilius in Epiſt. ad Ruſticum & Sebaſtianum (Tom. 5. Concil. pag. 552. & 553.) *Abſentibus filiis noſtris Diaconis, Anatolio atque Stephano, a nobis poſtulaſti, ut ad tempus pro implendo officio, abſentium loco Diaconum te interim faceremus: quod tibi conceſſimus*. Ergo. 224

Reſp neg. min. neque enim Sebaſtianus ille ad tempus in Diaconum ordinatus eſt, ſed cum jam antea Diaconatus ordinem ſuſcepiſset, in locum Anatolii & Stephani tunc abſentium ſuffectus eſt *ad tempus pro implendo* eorum *officio*. Unde in objecto textu non agitur de 225

cara-

caractere Diaconali, ſed de officio & cardinalititio honorem, quem ingrato Sebaſtiano contulit Vigilius.

226 Obj. 5. ſi Diaconatus eſſet Sacramentum, imprimeret caracterem, cum proportione ei ſimilem quem imprimunt alii Ordines qui ſunt Sacramenta, Epiſcopatus videlicet & Sacerdotium. Atqui non imprimit... Alii enim Ordines duo caracterem imprimunt, qui neceſſarius eſt, non modo ut res bene fiat, ſed ut fiat ſimpliciter: Sic qui caracterem Epiſcopalem non habet, non ſolum bene non ordinat, verum etiam nullatenus ordinat. Atqui in Diaconatu nullus hujuſmodi datur caracter, ſine quo res ſimpliciter fieri non poſſit. Quæcumque enim facit Diaconus, hæc eodem modo faceret laicus, licet non ſine peccato; puta valide diſtribueret Euchariſtiam, Evangelium cantaret, &c. Ergo.

227 Reſp. Cum Vaſquez ubi ſupra cap. 3. n. 18. neg. maj. Non enim neceſſe eſt ut eadem ſit cujuſque caracteris ratio quantum ad exteriora officia: adeoque verus in Diaconatu caracter imprimi poteſt, licet ad id inſerviat tantum, ut certæ functiones licite fiant, aut cum majori gratia. Sic etſi Confirmatio caracterem imprimit, vi cujus Confirmatus quiſque Fidem coram tyrannis profiteatur, fieri tamen poteſt, ut eamdem Fidem ſtrenue profiteatur non confirmatus. Neque tamen aut nullus, aut inutilis eſt Confirmationis caracter; quia ad id ſemper inſervit, ut ceteris paribus majorem accipiat gratiam, qui Confirmationem recepit, quam qui eadem non eſt conſignatus.

228 Obj 6. poteſtas quæcumque per Ordinationem datur, datur ad conficienda Sacramenta, ſicut poteſtas, quæ per Baptiſmum datur, datur ad ea recipienda, Atqui Diaconus nullam vi Ordinationis ſuæ recipit poteſtatem conficiendi cujuſquam Sacramenti. Ergo. Ita Durandus.

229 Reſp. neg. maj. quæ gratis prorſus aſſeritur. Unde ſicut in Confirmatione datur poteſtas ad intrepidam Fidei confeſſionem, non vero ad Sacramenta conficienda, ſic & in Diaconatu dari poteſt facultas ad hoc vel illud miniſterium, non vero ad ullius Sacramenti confectionem; niſi Deus res aliter conſtituerit, quod ab eo factum quidem ſupponit Durandus, ſed non probat.

230 Addit Tournelyus pag. 254. in Diaconatu dari poteſtatem conficiendi Sacramenta, non equidem immediatam, quæ ſoli Presbitero competit, ſed mediatam, quatenus Diaconus ſacerdoti Euchariſtiam conficienti inſervire debet. Unde illud S. Iſidori Lib. 2. de Officiis Eccl. cap. 8. *Sacerdos ſine Diacono nomen quidem habet, ſed non officium.* Verum huic ſolutioni non immoror, quia difficilis eſt.

231 Inſt. ſaltem Ordinatio vere Sacramentaria debet conferre poteſtatem exercendi circa Euchariſtiam officium aliquod divino jure, prohinc a Chriſto inſtitutum. Atqui Diaconus nullam recipit poteſtatem quæ referatur ad exercitium officii alicujus a Chriſto inſtituti. Præcipua enim Diaconi munia ſunt, ut Evangelium ſollemniter cantet, Euchariſtiam diſtribuat, offerat cum Sacerdote. Atqui omnia hæc ſunt inſtitutionis Eccleſiaſticæ. Hinc (quod præſtantius eſt officium) Euchariſtia olim ad fideles deferebatur a laicis, quandoque etiam a pueris. Ergo.

232 Reſp. 1. neceſſum non eſſe in omni ſyſtemate Catholico, ut Ordinatio vere

vere Sacramenta conferat poteſtatem exercendi officium ab ipſo Chriſto immediate inſtitutum; ſed ſufficere ut ſub ſigno ſenſibili & gratiæ productivo tribuat facultatem exercendi eas etiam functiones, quas Eccleſia a Spiritu Sancto directa inſtituerit. Sic enim ſalvatur ratio tota Sacramenti; abſque eo quod ſingulæ cujuſque Ordinis functiones a Chriſto ipſo inſtitutæ ſint. Utique Miſſa tota vi Ordinationis, &c, ut ita loquar, Sacramentaliter a Presbyteris dicitur, nec tamen tota a Chriſto inſtituta eſt.

Reſp. 2. neg. min. potiſſimæ enim Diaconi functiones eæ ſunt quas ex 233
Scripturis & primæva Traditione collegit Pontificale Romanum, nempe ut miniſter ad Altare, baptizet, & prædicet Verbum Dei. Atqui ex his functionibus nulla eſt quæ a Chriſto non ſit inſtituta; prout fuſe in ſecunda Concluſionis probatione oſtendimus. Ergo licet his functionibus nonnullas adjecerit Eccleſia, ſtat ſemper eas quæ præcipuum in Diaconali munere locum habent, a Chriſto inſtitutas eſſe.

Nec obeſt quod olim a Laicis ad Fideles deferretur Euchariſtia. Quod 234
enim alicui permiſſum eſt propter neceſſitatem; id alius ex officio & ex divina deputatione exequi poteſt. Sic baptizat Presbyter ex vi Ordinis ſui, & tamen baptizat laicus in caſu neceſſitatis.

Obj. 6. Quoties operationes multæ ita ad effectum Sacramentalem Or- 235
dinantur, ut una ſolum ex ipſis effectum hunc attingat, toties eædem operationes non habent rationem Sacramenti, ſed meræ ſunt ad ipſum præparationes, & quædam Sacramentalia. Sic exorciſmi qui Baptiſmo præmittuntur, meræ ſunt ad ipſum præparationes, non autem Sacramenta, quod ſoli convenit Baptiſmo, ut qui ſolus effectum Sacramentalem, regenerationem videlicet, producat. Atqui Diaconatus, aliique infra ipſum Ordines, ita ſe habent ad effectum Sacramenti Ordinis, videlicet Euchariſtiæ conſecrationem, ut hanc ſolam attingat Presbyteratus. Ergo Diaconatus mera eſt ad Sacramentum diſpoſitio, non autem Sacramentum. Ita Durandus, cujus rationes, judice Dom. Soto in 4. diſt. 24. non modo *deſpicabiles non ſunt, imo plurimum energiæ habere videntur*. Unde *qui vellet opinionem* ejus *ſuſtinere*, *non foret magna reprehenſione dignus*, &c. Verum eæ, ſaniori, ut opinor, aliorum judicio, meræ ſunt inanis metaphyſices argutiæ, ex quibus nihil ad Sacramenta pertinens certo poſſit definiri. Unde.

Reſp. 1. Id omne Sacramentum merito dici, quod a Chriſto ſub cer- 236
tis ſignis inſtitutum eſt permanenter ut gratiam pariat, ſive gratia hæc ad ulteriorem effectum referatur, ſive non. Ratio eſt quia Sacramentorum conditio ex ſola Chriſti voluntate pendet. Atqui non implicat quod Chriſtus ſic Sacramentum aliquod inſtituerit, ut ad aliud ſublimius diſponeret; puta Pœnitentiam, ut ad Euchariſtiæ ſuſceptionem præpararet. Ergo dummodo id quod præparatorium eſt, peculiarem effectum producat, non deſinit habere rationem Sacramenti, licet ad aliquid ulterius ordinetur.

Reſp. 2. neg. min. Neque enim Euchariſtiæ conſecratio effectus eſt Ordi- 237
nationis, ut male ſupponit objectio, ſed ejuſdem finis. Quapropter effectus Ordinationis eſt, tum impreſſus in ea Caracter; tum & gratia ſanctificans. Porro non ſolus Presbyteratus, ſed & ipſe etiam Diaconatus carac-

racterem imprimit & gratiam largitur. Ergo non definit eſſe Sacramentum, licet ad ulteriorem finem inſtitutus eſſe dicatur. Quamquam Diaconatus magis eſt conditio ad Presbyteratum requiſita, quam præparatio; ut colligi poteſt ex antiquæ Eccleſiæ Diaconis, quos inter multi ordinati ſunt abſque ullo ad futurum, quod refugiebant, Sacerdotium reſpectu.

238 Hinc patet quam futilis ſit probatio ex exorciſmis petita. Hi enim *removent* quidem *prohibens*, Diabolum nempe, qui infanti necdum regenerato inſidet; at nec caracterem imprimunt, nec gratiam per ſe producunt.

§. IV. *An Subdiaconatus Sacramentis annumerari debeat.*

239 De Subdiaconis, eo ſcilicet genere Clericorum, qui infra Diaconos Presbytero inſerviunt, duo quæruntur; 1. an Ordo eorum ſacer ſit, & ſemper fuerit; 2. an ſit Sacramentum. Neutra quæſtionis pars neceſſariam cum alia parte connexionem habet. Poteſt enim Subdiaconatus Sacramentum eſſe, nec tamen eſſe Ordo ſacer, ut fatentur Thomiſtæ, & hinc liquet quod ii Minores Ordines totidem eſſe Sacramenta velint, nec tamen eos velint eſſe ſacros; quia ſacri Ordinis ratio, non deſumitur a Sacramento, ſed a miniſterio, & annexa eidem cœlibatus lege. Rurſum Subdiaconatus poteſt Ordo eſſe ſacer, nec tamen habere rationem Sacramenti; quia Eccleſia Ordinem ſacrum conſtituere poteſt, nec tamen ex communiori ſententia poteſt Sacramentum inſtituere. Utraque igitur quæſtio nobis ſeorſim evolvenda eſt.

240 De priori nulla lis ſeria inter Theologos: de poſteriori ambigunt. Alii nempe Subdiaconatum Sacramentis accenſent. Ita, ſaltem aliquando S. Thomas, videlicet in 4. diſt. 24. pluresque, non tamen omnes ejus Diſcipuli. Bellarminus, cap. 7. de Ordine, Vaſq. diſp. 238. c. 2. n. 14. Iſambertus diſp. 2. Art. 9. Hallerius de ſacris electionib. Sylvius in Suppl. q. 37. p. 144. qui tamen ut plurimum candide fatentur non eſſe id certum, ſed dumtaxat probabile. Alii Subdiaconatum a Sacramentis omnino excludunt. Ita Iſaac Habertus in notis ad Pontificale Græcorum pag. 18. Goarius itidem in notis ad Eulogium pag. 24. Morinus par. 3. Exercit. 11. cap. 1. n. 3. & paſſim recentiores, Witaſſius Tom. 2. p. 374. Tournely pag. 261. &c. Alii denique Subdiaconatum & Minores Ordines in radice, & divinitus inſtitutos, & Sacramenta eſſe dici poſſe opinantur, quia omnes a Diaconatu, velut rivi a fonte profluunt: At eoſdem diviſim in ſe & formaliter ſpectatos, quatenus nempe diverſis actionibus conferuntur, & ad Diaconatum diſponunt, Sacramenta eſſe omnino inficiantur. Ita Auctor Operis de re Sacram. Lib. 8. c. 3. pag. 240. De his ſit

241 Conclusio I. Subdiaconatus eſt Ordo, & quidem in Eccleſia Latina ſacer, ſed non ab initio. Tres ſunt partes.

242 Prob. 1. Pars, 1. ex citata ſuperius S. Cornelii ad Fabium Antiochenum Epiſtola, quæ poſt Diaconos, recenſet *Subdiaconos*, *Acolytos*, *Exorciſtas & Lectores cum Oſtiariis*, quod & facit Concilium Carthaginenſe IV. ann. 398. a Can. 5. ad 9. ubi cum præſcribantur quæ ad ordinandi ritum pertinent, manifeſtum eſt Subdiaconatum, & alios poſt ipſum gradus inter Ordines cenſeri.

Prob.

Prob. 2. Ut Subdiaconatus vere Ordo dici queat, ſatis eſt ut ſit ritus, per quem traditur poteſtas ſpiritualis & jus ad functiones relative ad ſollemnem Euchariſtiæ conſecrationem: Atqui Subdiaconatus eſt ritus, &c. Ergo. 243

Prob. 2. pars: Ille Ordo nunc apud Latinos ſacer eſt, quem Innocentius III. inter ſacros repoſuit, cujus Miniſtri proprio jure ſacra contrectant, cui annexum eſt, quod nunc ſolis ſacris Ordinibus annectitur, continentiæ vinculum. Atqui 1. Subdiaconatum inter ſacros Ordines retulit Innocentius, ut ſtatim patebit. 2. Subdiaconi ex officio ſacra contrectant, ut demonſtrat jam pridem totius Eccleſiæ praxis. 3. Iiſdem impoſitum eſt continentiæ onus. Licet enim nuptiarum interdictio primitus non extenderetur ultra Diaconos, ut patet tum ex Siricii ad Himerium Epiſtola, tum ex Concilio Carthaginenſi V. nomine, ſed ordine temporis reipſa III., an. eodem quo Carthaginenſi IV. proinde 398. habito, quod ſic ſtatuit cap. 3. (Tom. 2. Concil. pag. 1216.) *Placuit Epiſcopos & Presbyteros & Diaconos .... ab uxoribus continere .... ceteros autem Clericos ad hoc non cogi*, niſi hoc exigat *propriæ Eccleſiæ* conſuetudo: Attamen Concilium Turonenſe II. an. 567. (Labb. Tom. 5. pag. 857.) ſevere vetat ne Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi ad conjuges ſuas accedant. Idem an. 538. prohibuerat Concilium Aurelianenſe III. can. 2. his verbis: *Nullus Clericorum a Subdiacono & ſupra, qui uxores in proproſito ſuo accipere inhibentur, propriæ, ſi forte jam habeat, miſceatur uxori*. Verum regula hæc, quæ diu ante vigebat in Hiſpaniis, ut patet ex can. 33. Concilii Illiberitani an. 305. nec ubique, nec conſtanter iiſdem in locis obſervata eſt, ut in ſpeciali ea de re capitulo dicemus. 244

Dixi *in Eccleſia Latina*; quia apud omnes conſtat Hypodiaconos, ſeu Subdiaconos, inter ſacros Altaris Miniſtros non numerari a Græcis: unde nec Subdiaconatui apud ipſos annexa eſt lex continentiæ. 245

Prob. 3. pars 1. ex longo quod Diaconatum inter & Subdiaconatum veteres conſtituerunt diſcrimine; tanto ſcilicet ut Epiſcopi numquam ex Subdiaconis eligerentur, ut continentia ſacris Ordinibus annexa, non annecteretur Subdiaconatui, ut Diaconi in tertio Sacerdotii gradu numerarentur, numquam vero Clerici ipſis inferiores: Quæ ſane omnia ſtatum longe diſſimilem exhibent. 246

2. Ex Laodicena Synodo ſub Damaſo habita, quæ ſic ſtatuit Can. 21. (Tom. I. Concil. pag. 1511.) *Non Oportet Subdiaconos licentiam habere in Secretarium, quod Græci Diaconicon* (S. Hieronymus Paſtophorium) *appellant, ingredi, & contingere vaſa Dominica*. Atqui ideo neutrum tunc Subdiaconis permiſſum erat, quia ſacrati non eſſent. Sic enim loquitur Concilium Agathenſe an. 506. Can. 66. ubi eadem verba repetuntur: *Non oportet inſacratos*, ſeu *non ſacratos Miniſtros licentiam habere in Secretarium, quod Græci Diaconicon vocant, ingredi, & contingere vaſa Dominica* * Ergo. 247

 3. Idem

* Locum hunc de vaſis ſanguinem Chriſti actu continentibus interpretantur poſt Balſamonem Caballutius in Notitia pag. mihi 154. & Tournelyus pag. 262. prior quia Concilium Carthag. IV. can. 5. vult ut qui ordinatur, Calicem vacuum cum patena ſumat de mani-

248 3. Idem ex eo colligitur, quod licet Antiqui non raro de Subdiaconis loquantur, uti de Lectoribus & aliis infra Miniſtris, quoties tamen ſacros Ordines commemorant, altum ſilent de Subdiaconis. Sic S. Ignatius in Epiſt. ad Smyrnæos, *Laici, inquit, Diaconis ſubditi ſint, Diaconi Presbytero, Presbyteri Epiſcopo, &c.* Sic Antiochena Synodus adverſus Paulum Samozatenſem habita, apud Euſebium Lib. 7. Hiſt. c. 30. Epiſtolam ſuam inſcribit *Epiſcopis, Presbyteris ac Diaconis*, abſque ulla Subdiaconorum mentione. Sic Hieronymus in Epiſt. ad Evangelium, tres dumtaxat ex Apoſtolica Traditione Ordines enumerat: *Ut ſciamus*, ait, *Traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento, quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri & Diaconi vindicent in Eccleſia*. Quorſum porro Subdiaconos omiſiſſet, ſi eorum Ordo jam ſacer, ſublimem quo nunc fruitur, in Eccleſia gradum tunc temporis obtinuiſſet? Quin Auguſtinus Epiſt. 43. alias 162. (Tom. 2. pag. 91. F.) Subdiaconos cum inferioribus Ordinibus confundit his verbis: *Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris Ordinis Clericis, ſed de Collegis, ſeu Epiſcopis, agebatur*. Ergo Subdiaconi non ad ſacrum, qui ſuperior eſt, ſed ad inferiorem gradum pertinebant. Atque id aperte indicat Sardicenſe Concilium an. 347. can. 13. ubi ſic: *Non eſt conveniens, nec ratio vel diſciplina patitur, ut temere ordinetur, aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus*. His enim adjuncti dubio procul fuiſſent Subdiaconi, ſi ad ſacrum & invariabilem ſtatum jam pertinuiſſent; prout a Tridentino factum eſt Seſſ. 23. cap. 13. ſic ſtatuente: *Subdiaconi & Diaconi ordinentur habentes bonum teſtimonium*, &c. Ergo.

249 4. Ordo ille non ab initio ſacer fuit, quem in ratione Ordinis ſacri conſtituit Innocentius III. anno ſolum 1198. ineunte electus. Atqui Subdiaconatum in ratione ſacri Ordinis conſtituit Innocentius III. *Subdiaconatus*, ait Pontificale Pariſienſe ab annis circiter 300. ſcriptum, *ex inſtitutione Innocentii III. eſt ſacer Ordo*. Ipſe quidem Innocentius cap. *A multis*. 9. *De ætate & qualitate*, &c. inſtitutionis hujus auctorem facit Urbanum II *. Verum præterquam Urbanus II. an ſolum 1088. inauguratus eſt, exiſtimant non pauci decretum ejus vel robore caruiſſe, vel ad uſque Innocentii tempora non fuiſſe ſatis cognitum; unde qui poſt Urbanum ſcripſerunt Auctores multi, Subdiaconatum ſacris Ordinibus non annumeravere. Imo, ait Tournely pag. 263. ſunt inter noſtros, qui exiſti-

---

manibus Epiſcopi: & aliunde Bracarenſis Synodus, apud Gratian. cap. *non liceat*, diſt. 23. Subdiaconis vaſa ſacra contingere permittit; poſterior, immo uterque, quia ſic Laodicenum Canonem interpretatur Theodorus Balſamon. pag. 837. Verum animadvertere debuerat Tournelyus, hinc corruere probationem, quam ex interdicta Subdiaconis vaſorum contrectatione repetit; cum ne hodie quidem Subdiaconis liceat vaſa Chriſti ſanguinem continentia tangere. An ſolide in diſciplinæ materia e Carthag. Concilio ad Laodicenum arguat Cabaſſutius expendent doctiores. Van-Eſpen canonem hunc Laodicenum expendens, remittit ad Morinum, qui, ait, part. 3. exercit. 12. cap. 3. oſtendit ſacrorum vaſorum contrectationem numquam Subdiaconis fuiſſe interdictam. Sed male, cum eo loci ſolum probet Morinus licitum fuiſſe aliquando Euchariſtiæ, non vero Calicis ipſius contactum.

„ * Urbanus *primus* ad ſtatum primitivæ Eccleſiæ ſe referens, in quo Subdiaconatus „ Ordo ſacer minime dicebatur, &c. Verum cum hodie Subdiaconatus inter ſacros Ordines computetur, ſicut Urbanus Papa II. ſub his verbis expreſſit, &c. *Innocent. III. Ubi ſupra, Lib. 1.* extra *Tit.* 14.

exiſtimant Innocentium non ſatis aſſecutum eſſe mentem Urbani II. Et vero, ut notat Thomaſſinus Tom. 2. Diſcipl. Eccleſ. part. 4. lib. 1. cap. 31. n. 2. pag. 113. edit. Gallicæ 1679. hæc erant verba Urbani II. & Synodi Beneventanæ, cui is an. 1091. præfuit: *Nullus in Epiſcopum eligitur, niſi in ſacris Ordinibus religioſe vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia. Subdiaconos vero, quia & ipſi Altaribus miniſtrant, opportunitate exigente concedimus* in Epiſcopos eligi, *ſi tamen ſpectatæ ſint religionis & ſcientiæ. Quod ipſum non ſine Rom. Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri concedimus.* Hic porro Subdiaconatus & directe ab Ordinibus ſacris excluditur, & indirecte, quatenus e Subdiaconis nemo ad Epiſcopatum citra diſpenſationem aſſumi poteſt. Fatendum tamen eſt S. Gregorium & Urbanum II. Subdiaconatus ut Sacri fundamenta jeciſſe; quandoquidem prior cœlibatus legem a Leone jam impoſitam Subdiaconis, obſervari curavit; poſterior eoſdem ad Epiſcopatum, cum diſpenſatione tamen, aſſumi permiſit. Atque hæc, ut ibid. num. 3. indicat Thomaſſinus, fuit mens Innocentii III. qui ut oſtenderet ſe non immerito Subdiaconis Diaconorum privilegia tribuere, ſubtiliter innuit mirum id non debere videri, cum jam pridem & potiori Diaconorum vinculo, nempe cœlibatu, ligentur; & potiori eorumdem fruantur privilegio, videlicet ut in Epiſcopos eligi poſſint.

Tom. 1. Conc.

Objic. lex continentiæ diu ante Urbanum II. annexa erat Subdiaconatui. Atqui tamen non erat tunc Ordo ſacer. Ergo ex lege cœlibatus male probatur Subdiaconatum ad Ordines ſacros referri. 250

Reſp. triplex eſſe primæ noſtræ probationis membrum; quod quidem ſi diviſim non probat, probat conjunctim. Operæ tamen pretium eſt animadvertere, Ordinem, qui uno tempore privilegium aliquod, alio tempore onus quoddam, puta continentiæ, recepit, non niſi gradatim ad ſacri Ordinis dignitatem aſsurrexiſse. 251

CONCLUSIO II. Probabilis eſt eorum ſententia, qui Subdiaconatum, proinde Minores Ordines e Sacramentorum albo expungunt. Non improbabilis quæ contrarium d[illegible]et. Utriuſque partis momenta proponam cum reſponſionibus. Itaque 252

Prob. 1. pars: 1. ex ſilentio tum Scripturæ, tum & Patrum apud quos per priora duo Eccleſiæ ſæcula, nulla fit mentio de Subdiaconis. Unde Gratianus in procemio diſt. 21. *Levitas ab Apoſtolis ordinatos legimus; Subdiaconos & Acolythos procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit.* Idem docet, qui longe majoris eſt auctoritatis, Urbanus II. quo teſte (ſupra n. 245.) *Solos* Diaconatus & Presbyteratus Ordines *primitiva legitur habuiſſe Eccleſia: & ſuper his ſolis præceptum Apoſtolicum habemus.* Concinunt Ivo Carnotenſis, Hugo Victorinus, P. Lombardus, Joannes de Raguſio, &c. Ergo. 253

Confirm. 1. Sacramentum quodcumque a Chriſto inſtitui debuit. Atqui Subdiaconatus, non a Chriſto, ſed ab Eccleſia inſtitutus eſt. Ita nempe docent veteres Theologi, atque in his P. Lombardus lib. 4. diſt. 24. *Subdiaconos vero*, inquit, *& Acolythos procedente tempore ſibi Eccleſia conſtituit.* Neque hinc recedit S. Thomas in cap. 3. Epiſt. 1. ad Timoth. ubi hæc: *In primitiva Eccleſia ſolum erant tres ordines, ſcilicet Epi-* 254

ſcoporum, Presbyterorum & Miniſtrorum, Diaconorum videlicet; *& non dividebantur* hi *per diverſos gradus, ſed omnia erant in uno ordine propter paucitatem Miniſtrorum & propter novitatem Eccleſiæ*. Ergo.

255 Confirm. 2. ſi Subdiaconatus a Chriſto inſtitutus eſſet, vel ut ſacer Ordo, vel ut Ordo ſimpliciter. Atqui neutrum dici poteſt. Non 1. tum propter Urbani II. definitionem, tum quia non ſemper annexa fuit Subdiaconatui lex continentiæ. Non 2. ſiquidem Ordo omnis inferior a Chriſto inſtitutus eſt, ut per eum gradus fieret ad ſuperiores. Atqui Subdiaconatus numquam habitus eſt pro gradu ad ſuperiores Ordines neceſſario. Atque id patet ex pluribus exemplis quæ refert Arcudius Lib. 6. cap. 9. Sic S. Chryſoſtomus, Eutychius, Cæſarius Arelatenſis, ex Lectoribus ſtatim in Diaconos conſecrati ſunt. Sic eadem die S. Epiphanius inauguratus eſt Diaconus, Presbyter, & Epiſcopus Conſtantiæ, ſeu Salaminæ in regno Cypri, licet non eſſet antea Clericus. Et hæc agendi ratio innixa erat Can. 10. Sardicenſis Concilii; ubi tantum requiritur, ut *ſi quis voluerit fieri Epiſcopus, non prius conſtituatur, quam Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri miniſterium peregerit*. Ergo.

256 Reſpondent paſſim Thomiſtæ ad 1. neg. conſeq. Neque enim, ajunt, ideo de Subdiaconis, & inferioribus Ordinibus ſilent Scriptura & Apoſtolici Patres, quia a Chriſto inſtituti non eſſent; ſed quia Miniſteria illorum committebantur Diaconis ob Fidelium & Miniſtrorum paucitatem: quomodo Diaconorum functiones ante horum inſtitutionem committebantur Presbyteris. Verum ſicut *creſcente numero Diſcipulorum* neceſſe fuit Diaconos inſtitui, ſic & ſenſim creſcente in dies Eccleſia, neceſſum fuit ut juxta Chriſti inſtitutionem conſtituerentur Miniſtri inferiores; quod alibi ocius, ſerius alibi factum eſt, prout exigebat copia fidelium. Ita expreſſim docet quiſquis eſt Auctor Cæleſtis Hierarchiæ cap. 3. Atque hoc ſenſu intelligendus eſt Gratianus, qui ſi quid aliud intendat, nullo negotio deſeri poteſt, uti in aliis pluribus deſeritur.

257 Eadem adhiberi poteſt reſponſio ad textum Urbani II. Vere etenim dixit in primitiva Eccleſia, nullos fuiſse Ordines præter Diaconatum, & Presbyteratum; immo addere potuiſset Eccleſiam per ſex & eo forte plus menſes ſine Diaconatu ſubſtitiſse. At ſicut hinc perperam inferretur Diaconatum humani ſolum juris eſse, ſic & idem male infertur de Subdiaconatu.

258 Reſponderi etiam & merito poteſt, Urbanum duos ſolum in primæva Eccleſia Ordines *ſacros* agnoviſse, ſed non ideo ab ea quoſcumque alios Ordines excluſiſse. Solutionis veritas ex ipſo textus objecti intuitu facile percipitur.

259 Quod autem addit, ſi tamen vere addit, Urbanus, *Super his ſolis ſacris Ordinibus haberi Præceptum Apoſtolicum*; indicat neceſsum fuiſse ut Eccleſia Diaconos, & Presbyteros inſtitueret, non autem abſolute ut Miniſtros inferiores adhiberet, quamvis hos etiam pie & ſalubriter, utpote ab ipſo Chriſto penitus inſtitutos, ſtabilire poſset, ſi hoc expedire judicaret; immo & ſtabilire deberet, ſi forte id exigeret rerum conditio. Quamquam neceſse non eſt ut ſingulę Sacramenti Ordinis partes ſub præceptum cadant, ſufficit ut eæ cadant, ſine quibus conſiſtere nequit Eccleſia.

Ad 1.

Ad 1. Confirm. neg. min. namque conſtituit quidem ſibi Eccleſia Ordines Diaconis inferiores, ſed juxta inſtitutionem ipſius Chriſti, ſicut & ſecundum inſtitutionem ejus, ex gravi cauſſa conſtituit Diaconos. Hoc ſenſu intelligi poſſunt objecti Doctores, qui tamen in re controverſa aliud alii ab aliis, citra cujuſquam præjudicium, ſentire potuerunt. Utique S. Thomas ſaltem aliquando Minores Ordines Sacramentis annumeravit. Vide infra n. 287. 260

Ad 1. ſecundæ Confirm. neg. min. Subdiaconatus enim a Chriſto inſtitutus eſt, non quidem in ratione Ordinis ſcholaſtico ſenſu ſacri; quia ei nec primitus annexa erat continentia, nec forte proximior ille, quo nunc gaudet, ad Euchariſtiam acceſſus: quæ duo ad ſacrum Ordinem requirunt hodie Theologi: at in ratione Ordinis, qui ſub ſacramento Ordinis vere contineretur; & dubio procul ad Euchariſtiam magis accederet, quam Ordines inferiores: unde & hoc ſenſu ſemper habuit aliquid maxime ſacri. 261

Ad 2. diſt. min. Subdiaconatus non fuit quoad exercitium ſui gradus ad ſuperiores Ordines neceſſarius C. non fuit neceſſarius quoad caracterem. Subd. non fuit neceſſarius, ob accedentem legitime auctoritatis diſpenſationem, C. non fuit neceſſarius ita ut citra cauſſam omitti potuerit, tum in ſe, tum & in Diaconatu, N. Ut ſua ſolutioni iſti conſtet veritas, tria ſufficiunt, 1. ut textus qui Subdiaconatum ad ſuperiores Ordines non requirere videntur, non de ipſo Subdiaconatus Ordine, ſed de ipſius exercitio intelligi poſſint; 2. ut ſi de ipſamet Subdiaconatus ſubſtantia intelligi debeant, ſolum inde colligi poſſit non ita ad ſuperiores gradus neceſsarium eſse Ordinem hunc, ut non poſſit quis eo omiſso ad ipſos aſsumi ex Eccleſiæ diſpenſatione: 3. ut ex eo quod Sancti quidam prætermiſso Subdiaconatu ad Presbyteratum ſublati leguntur, certe inferri non poſſit eos omni reipſa Subdiaconatu caruiſse. Atqui tria hæc totam, quæ materiæ admodum obſcuræ ineſse poteſt, certitudinem habere videntur. 262

1. Namque de Ordinum exercitio loquitur Synodus Sardicenſis: *Si quis*, ait, *voluerit fieri Epiſcopus, non prius conſtituatur, quam Lectoris, & Diaconi & Presbyteri miniſterium peregerit*. Ubi non de re, ſed de *miniſterio*, ſeu functionibus agitur. Potuit autem ſancta Synodus prævium Lectoris & Diaconi miniſterium exigere, nec tamen exigere miniſterium Subdiaconi; ſeu quia Diaconus ſine Subdiacono miniſtrans, totum hujus officium exequitur; ſeu quia in Eccleſia Sardicenſi uterque Ordo ſimul conferretur, quod apud Græcos hodieque quantum ad nonnullos Ordines fieri ſupra oſtendimus. Vide num. 67. & 68. 263

2. Non magis ex eo quod Sancti quidam e Lectoratu per ſaltum ad Diaconatus Ordinem promoti fuerint, colligi poteſt Subdiaconatum non habere rationem Sacramenti, quam ex eo quod quis e Subdiaconatu ad Presbyteratum omiſso Diaconatu erectus fuerit, colligi queat Diaconatum humanæ inſtitutionis eſse. Atqui hoc non inferent potiſſimi ex adverſariis noſtris, ſed ad diſpenſationem Eccleſiæ recurrent. Ergo & id nos in caſu noſtro poſsumus. Quod autem nonnulli e Lectoribus vel Subdiaconis omiſso medio ad Presbyteratum devenerint, conſtat ex Morino part. 3. Exercit. 11. cap. 2. ubi numer. 11. ex 264

antiquo Scriptore apud Surium 20. Maji probat S. Auſtregeſilum, Bituricenſem Archiepiſcopum, ex Subdiacono in Presbyterum evaſiſſe. Quin & idem Molinus quinque, ibid. n. 6. & ſeq. refert exempla hominum, atque Auguſtini ipſius, qui e laicis ſtatim & immediate in Sacerdotes conſecrati ſunt. Ergo ex eo quod aliquando prætermiſſus ſit in Ordinum ſerie Subdiaconatus, nihil omnino concludi poteſt. Si cum nonnullis dicas, tacitum eſſe de Auſtregeſili Diaconatu, non quia hunc minime receperit, ſed quia ſine interſtitiis una eademque die præter morem receperit cum Sacerdotio; in promptu erit idem reſpondere de Subdiaconatu.

265 3. Demum ex eo quod in Ordinationum aliquot ſerie omiſſus videatur Subdiaconatus, inferri certo non poteſt eum revera prætermiſſum eſſe. Ad id enim ſatis eſt ut Subdiaconatus una cum Diaconatu, aliiſve infra Ordinibus conferretur, utpote nondum Ordo ſacer. Porro rem ita eſſe conjici poteſt, tum ex iis quæ ſupra dicta ſunt de Græcorum Ordinationibus; tum quia, ut ibid. nu. 12. advertit Morinus, nonnumquam *Acolythus pro Subdiacono ponitur*; *quia* quando *Subdiaconatus non erat Ordo ſacer*, Acolythus *eodem munere apud Latinos fungebatur*, *quo Subdiaconus apud Græcos*.

266 Prob. 2. eadem 1. pars: Ritus, qui nec gratiam parit, nec eo modo confertur, quo ipſum Ordinis Sacramentum, inter Sacramenta cenſeri non poteſt. Atqui Subdiaconatus 1. gratiam non parit; cum nihil ſit in Subdiaconi Ordinatione, quod gratiam hanc exprimat. Neque enim ait vel Græcus Antiſtes, *Divina gratia*, *quæ ſemper infirma curat .... promovet hunc in Subdiaconum*, vel Latinus Epiſcopus: *Accipe Spiritum ſanctum*; prout in ipſius etiam Diaconi conſecratione dicunt. Immo Græci qui majores Ordines intra Sanctuarium conferunt, Subdiaconos extra illud inſtituunt. 2. Ordo quicumque Sacramentum eſt, per manus impoſitionem datur, ut conſtat ex Scriptura. Atqui *Subdiaconus*, *cum ordinatur*, *manus impoſitionem non accipit*, prout totidem verbis declarat Concilium Carthag. IV. Can. 5. Unde Sacramentarium S. Gregorii, vetus Ordo Romanus, & hodiernum Pontificale Romanum Subdiaconis manuum impoſitionem denegant. Hanc quidem adhibent Græci, at ut mere cœremonialem, non ut ſacram, prout obſervat Goarius in notis p. 247. Ita Tournely pag. 264.

267 Confirm. ex Tridentino ſeſſ. 23. ubi Can. 3. definitur ſacram Ordinationem verum eſſe Sacramentum; & Can. 4. ſtatuitur per ſacram Ordinationem dari Spiritum S. & ideo Epiſcopos non fruſtra dicere: *Accipe Spiritum ſanctum*. Unde ſic: Ordinatio de qua loquitur Canon quartus, eadem eſt præciſe de qua loquitur Canon tertius: adeoque Ordinatio quæ eſt Sacramentum in Canone tertio, ea eſt in qua dicitur, *Accipe Spiritum S.* in Can. 4. Atqui Ordinatio in qua dicitur, *Accipe Spiritum S.* excludit Subdiaconatum, cujus in collatione verba hæc non proferuntur, Ergo.

268 Reſpondent ad 1. neg. min. ſtatim namque ut Ordo generatim Sacramentum eſt, & Subdiaconatus ac Minores ad Ordinem illum pertinent, neceſſum eſt ut tam Subdiaconatus, quam infimi Ordines gratiam pariant; quia gratia cuicumque Sacramento annexa eſt: Quod autem non

eadem

eadem in Subdiaconatu occurrat materia vel forma, ſub quibus confe-runtur ſuperiores Ordines, nihil ad rem facit; quia gratia nec certis verbis, nec certis ſignis alligata eſt, ſed iis tantum quæ Spiritus, quomodo vult, ſpirans, inſtituere dignatus eſt. Quamquam quis neget gratiam digne exprimi his Conſtitutionum Apoſtolicarum verbis Lib. 8. cap. 21. mihi 27 *Tribue* ei, Subdiacono ordinando, *Spiritum Sanctum, ut vaſa, ad miniſtrandum tibi facta, digne attrectet*. Ubi etiam Subdiaconus, & cap. ſeq. Lector per manuum impoſitionem ordinandi dicuntur.

Equidem cap. 32. ibid. ſtatuitur non ordinari Exorciſtam. At mani- 269
feſtum eſt eo loco non agi de Exorciſtis, quatenus ad Ordines pertinent, ſed de certo hominum genere, qui ex *Spontanea Dei benevolentia* gratiam liberandi energumenos recepere. Utique hos ordinari ſuperfluum eſſet; quia *qui accipit chariſma curationum per revelationem, a Deo declaratur, cum pateat omnibus gratia quæ eſt in ipſo;* ibid. Præterea quid tum, ſi Eccleſiæ quædam nullos ſibi conſtituiſſent Exorciſtas, quo tempore hos ipſemet Deus per gratiam omnibus manifeſtam conſtituere videbatur? Annon ideo, deficiente eadem gratia, potuit eos inſtituere Eccleſia ſecundum ipſius Chriſti conſtitutionem?

Ad confirmationem, quæ merum eſt ſophiſma, neg. maj. Ordina- 270
tio enim de qua loquitur Canon tertius, eſt Ordinatio in genere, Ordinatio ſcilicet quæ non eſt *Figmentum humanum, a viris imperitis excogitatum*. Atqui Concilium generatim & irreſtricte declarat, Ordinationem hanc veri nominis ſacramentum eſſe. Ergo quando Concilium ſubdit Can. 4. Epiſcopos ordinando non fruſtra dicere: *Accipe Spiritum Sanctum*, non reſtringit ea quæ dixit Can. 3. ſed pro more ſuo omnes erroris ſinus, & errantium blaſphemias condemnat. Et vero ſi verba Canonis quarti reſtringant verba tertii Canonis; a fortiori poſtrema Canonis quarti verba reſtringent priora ejuſdem Canonis verba; adeoque cum poſtrema verba de ſolo Sacerdote loquantur, priora de eo ſolum intelligenda venient. Atqui tamen poſtrema hæc verba non reſtringunt priora; cum ex eis probent adverſarii Diaconatum, in quo dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum*, veram habere rationem Sacramenti. Ergo perperam & contradictorie fingunt Canonem quartum eſſe reſtrictivum tertii. Ut noſtra hæc ratiocinatio facilius capiatur, Canonem hunc quartum ſubjicere juvat: *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum; aut per eum non imprimi caracterem, vel eum qui Sacerdos ſemel fuit, laicum rurſus fieri poſſe; anathema ſit*. Hinc adverſariorum morem ſecutus ſic diſcurram: Ordinatio quæ in prima parte Canonis dat Spiritum Sanctum, & caracterem imprimit, ea ipſa eſt de qua loquitur idem Canon in ſecunda parte. Atqui Ordinatio de qua loquitur Canon quartus in ſecunda parte non alia eſt quam Sacerdotalis; ea nimirum vi cujus *qui ſemel Sacerdos fuit, laicus rurſum fieri non poteſt*. Ergo Ordinatio quæ in prima Canonis parte dat Spiritum S. non alia eſt quam Sacerdotalis. Ergo male ex prima ejuſdem Canonis parte probatur Diaconatus Ordinem eſſe Sacramentum.

Prob. 3. Sacramenta Miniſtrum habent proprium, a Chriſto ipſis ad- 271

dictum, quem, utpote divinitus inſtitutum, Eccleſia mutare non poteſt. Unde ſi Subdiaconatus Sacramentum eſt, perinde ac majores alii Ordines, non ab alio quam ipſorum Miniſtro, Epiſcopo videlicet, conferri poteſt. Atqui tamen Subdiaconatus Miniſter pendet a beneplacito Eccleſiæ; quæ ipſius collationem Chorepiſcopis olim, & Presbyteris permiſit. Ergo.

Reſp. neg. min. & partem ſecundam majoris. Ut enim Subdiaconatus Miniſter a ſolo Eccleſiæ nutu non dependeat, licet ejus conferendi facultatem alii quam Epiſcopo largiri poſſit, ſatis eſt ut duplex ſit hujus Ordinis Miniſter, quemadmodum & Baptiſmi, atque Confirmationis, Ordinarius videlicet, iſque Epiſcopus, & extraordinarius, nimirum Presbyter quidam inſignis ad id officii deputatus, Atqui rem ita eſſe oſtendetur, ubi de Miniſtro hujus Ordinis: Ergo.

272 Prob. 4. variis rationibus, quas indicaſſe ſufficiat. Et 1. quæcumque fiunt a *Minoriſtis*, a laicis fieri valent. Ergo neceſſe non fuit ut ad eas functiones inſtitueretur Sacramentum. 2. Ex Socrate lib. 9. hiſt. c. 38. Alexandriæ Lectores indifferenter fiebant ex Chriſtianis & Cathecumenis: Cathecumeni autem capaces non ſunt Ordinis Sacramentarii; 3. Minores ad Euchariſtiam ſe habent, ut ad Baptiſmum Exorciſmi, qui certe non ſunt Sacramenta; 4 Vaſquez & Iſambertus fatentur ingenue ſuam de Sacramentaria Subdiaconatus & Minorum dignitate opinionem, nulli quod firmum ſit, momento inniti. Verum neque hæc momenta admodum firma ſunt. Unde

273 Reſp. ad 1. ea quæ a Minoriſtis fiunt, a laicis fieri poſſe, ſed non ex officio, neque cum eadem gratia. Sic baptizare poteſt laicus, & tamen ſolus Presbyter vel Diaconus ex officio baptizant. Sic potuiſſet Sacrum in domo non conſecrata celebrari, nec tamen inaniter conſecrantur Eccleſiæ ut in iis ſacra celebrentur.

274 Reſp. ad 2. Lectores de quibus agitur apud Socratem, non fuiſſe ordinatos, ſicut nec hodie ut plurimum in villis ordinati ſunt, qui Acolythorum munia exercent.

275 Reſp. ad 3. nullam ab exorciſmis, quos nemo umquam Sacramentis annumeravit, ad Ordines eſſe illationem.

Jam proponenda contrariæ opinionis fundamenta. Itaque

276 Prob. 2. pars, 1. quia in materia controverſa, ei adhærendum eſt opinioni, quæ gravius in Conciliis fundamentum habet. Atqui talis eſt opinio, quæ Subdiaconatum & Minores Sacramentis accenſet. Siquidem Florentinum in Decreto unionis ſic ſtatuit: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis;* & infra, poſtquam Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, in ſpecie: ceteros vero Ordines generatim commemoravit: *Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti eſt Epiſcopus, effectus* autem *augmentum gratiæ, ut quis ſit idoneus Miniſter*. Atqui hic tria habemus, 1 Ordinem ut ſic eſſe Sacramentum, quod gratiam adaugeat; 2. ſub Ordine ſic ſumpto non minus Subdiaconatum & inferiores Ordines contineri, quam Diaconatum & Presbyteratum; 3. Adeo non excludi Subdiaconatum & Minores ab illa graduum ſerie, ut non alia de cauſſa quam propter ipſos dictum ſit, *Ordinarium* hujus Sacramenti Miniſtrum eſſe Epiſcopum: Cum Minores Ordines & Subdiaconatus ii ſoli ſint qui communiter exiſtimentur extraordinarios Miniſtros habere.

Idem

Idem colligere eſt ex variis Tridentini Concilii principiis, quæ ad 277
ſe mutuo relata validum argumentum conficiunt. Docet ſiquidem ſacra Synodus Seſſ. 23. cap. 2. ſeptem *ab ipſo Eccleſiæ initio* extitiſſe Ordines. Quod & confirmat tum Can. 2. ubi tamquam de fide definit, *Præter Sacerdotium eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines majores*, Diaconatum nempe & Subdiaconatum; *& minores, per quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur*; tum & Can. 6. ubi rurſum ſtatuit *in Eccleſia Catholica eſse hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris*, iis utique de quibus ſermonem habuit Can. 2. id eſt non majoribus tantum, ſed & minoribus. Docet 2. eadem Synodus Can. 3. *Ordinem, ſive Ordinationem eſse vere & proprie Sacramentum*. Ex iis ſic: Quæ docet Ordinem ut genus, eſſe Sacramentum, docet ſingulas ejus ſpecies eſſe Sacramentum. Atqui Trid. Synodus docet Can. 3. Ordinem ut genus eſſe Sacramentum. Docet enim indefinite Ordinem eſſe Sacramentum. Atqui propoſitio indefinita in materia dogmatica æquivalet generali. Ergo cum docet Ordinem ut ſic eſſe Sacramentum, docet & ſingulas ejus ſpecies eſſe Sacramenta. Jam vero Subdiaconatus & Minores ſunt ſpecies Ordinis ut ſic ex eadem Sancta Synodo, tum cap. 2. tum Canone 2. Ergo.

Confirm. ideo Subdiaconatus & Minores Ordines ægre a multis in- 278
ter Sacramenta cenſentur, quia non videntur a Chriſto fuiſſe inſtituti. Atqui hos a Chriſto reipſa inſtitutos eſſe non obſcure docet Synodus Trid. Siquidem juxta ipſam fide conſtat eſſe in Eccleſia Minores Ordines, quemadmodum juxta ipſam fide conſtat eſſe in eadem Eccleſia majores Ordines: utrumque enim perinde ſtatuitur Can. 2. Atqui nec minorum, ut & majorum Ordinum exiſtentia ad finem pertinere poteſt, niſi utrique a Chriſto inſtituti ſint. Quod enim hodie de fide eſt, ipſius etiam Chriſti tempore fuit de fide. Non potuit autem tempore Chriſti eſſe de fide, minores Ordines exiſtere, niſi hi a Chriſto fuerint inſtituti. Et vero Eccleſia numquam propria ſua facta velut fidei articulos proponit. Ergo.

Reſpondent ad 1. neg. min. Ad 2. conceſsa auctoritate, negant 279
min. ſumptam collective. Nam ibi quidem docet Eugenius IV. Ordinem eſse Sacramentum. Verum, inquiunt, ut ſtet doctrina iſta, ſatis eſt ut vel una ex Ordinationibus, quas poſtea recenſet, habeat Sacramenti rationem. Equidem poſtquam curſim exhibuit Presbyteratus & Diaconatus materiam, ipſius etiam Subdiaconatus materiam exhibet: at neceſse non eſt, ut Ordo cujus poſt alium materia ſubjicitur, ejuſdem cum Ordine præcedenti ſit dignitatis. Vere autem adjecit Pontifex effectum Sacramenti hujus eſse augmentum gratiæ; idque nemo non confitetur; ſed non adjecit, gratiam hanc in ſingulis Ordinibus vi ipſorum conferri. Quod vero dixit, ordinarium Ordinis Miniſtrum eſse Epiſcopum, caute & provide dixit, ne litem, quam ſciebat inter Theologos agitari, dirimere, & Scholarum libertatem offendere videretur.

Addit Tournelyus pag. 266. Eugenium IV. numquam Græcis objeciſ- 280
ſe, quod tres Minores Ordines prætermitterent; & id tamen iis dubio pro-
cul

cui objeciſſet, ſi eos habuiſſet pro Sacramentis: quia gravis eſt momenti Sacramenta a Chriſto inſtituta negligere. Verum reſponſio hæc eo peccat, 1. quia ſupponit minores Ordines a Græcis certo prætermitti: quod ex ſupra dictis ad minus dubium eſt; 2. quia cum agitur de ineunda pace, magnum eſt, ſi omiſſis minutioribus, potiora obtineantur.

281 Ad Tridentinum reſpondent, ab eo quidem definitum eſſe quod Ordo a Chriſto, inſtitutus ſit Sacramentum, non autem quod Ordo quilibet a Chriſto inſtitutus ſit. Unde Canon tertius non indefinite, ſed reſtrictim accipi debet de Ordine divinitus inſtituto; de eo ſcilicet in quo per manuum impoſitionem confertur gratia, neque fruſtra dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum*, prout habetur cap. 3. & Can. 4. Atque hæc ſolutio unicuique indubia erit, ſi attendatur ſacram Synodum nihil circa ſcholaſticas diſceptationes definiſſe.

282 Ad. 1. & 2. confirmationis negant minorem. Ut enim rite definiat ſacra Synodus in Eccleſia eſſe minores Ordines, non eſt neceſſum ut hos inſtituerit Chriſtus, ſed ſatis eſt ut Eccleſiæ ſuæ tribuerit poteſtatem hos & ſimiles inſtituendi, cum id expedire judicaret. Sic ut definiat eadem Synodus eſſe in Eccleſia cenſuras & indulgentias, non opus eſt ut Chriſtus has vel illas per ſe inſtituerit, ſed ſatis eſt ut eaſdem inſtituendi poteſtatem Eccleſiæ ſuæ conceſſerit. Jure autem ac merito poteſtatem nonnullos Ordines inſtituendi, quam veluti humanum delirium explodebant Novatores Eccleſiæ, aſſerit ſancta Synodus: cum eam *ab ipſo ſui initio* exercuerit, ut ibidem habetur cap. 2.

283 Prob. 2. eadem ſecunda pars, tum quia non eſt veriſimile Eccleſiam voluiſſe ut Subdiaconi continentiæ vinculo adſtringerentur, & vaſa ſacra contrectarent, niſi horum Ordo Sacramentum foret; tum quia docet Tridentina Synodus cit. cap. 2. Subdiaconatum *ad majores Ordines a Patribus & ſanctis Conciliis referri*. Verum hæc exilia ſunt. Unde

284 Reſp. ad 1. nihil ex lege cœlibatus Ordini indicta, vel non indicta, deduci poſſe, cum Presbyteratus, qui Sacramentum eſt, continentiæ legem apud Græcos non importet; & hanc importet conditio religioſa, quæ Sacramentum non eſt; & hæc demum non ſemper annexa fuerit Subdiaconatui. Idem dicendum de vaſorum ſacrorum contrectatione, quæ nec ſemper Subdiaconis permiſſa eſt, nec quidquam concludit, cum facile permittatur laicis. Quamquam ut eadem vaſa in ſollemni officio decenter contingerentur, decebat inſtitui Ordinem, qui id proprio jure faceret; quod & præſtitit Eccleſia, inſtituto Subdiaconatu, & poſtea in ordines majores relato.

285 Nec adverſariis prodeſt illa hæc Subdiaconatus ad majores Ordines translatio; tum quia neque a Chriſto facta eſt; nec in Concilio Trid. dicitur facta eſſe a Patribus Apoſtolicis, ſeu prioris ævi Conciliis: tum quia etiamſi Subdiaconatus diu ante Urbanum II. vel S. Gregorium fuiſſet Ordo ſacer & major; nequaquam hinc probaretur eſſe Sacramentum, quia Sacramenti conditio ex Chriſti inſtitutione: ſacri vero, ſeu majoris Ordinis natura ex officio ipſius, vel Epiſcopi circa ipſum actione repetenda eſt. Sane conſecrari poteſt perſona eo fere modo quo Calices & Eccleſiæ: neque tamen hic interveniret Sacramentum.

286 Prob. 3. quia non eſt facile recedendum a communi Theologorum

doctri-

doctrina. Atqui longe ſemper, præſertim apud antiquos, communior fuit ſententia, quæ Subdiaconatum & Minores quatuor Ordines Sacramentis annumerat. Hanc a deceſſoribus ſuis acceptam ad diſcipulos ſuos tranſmiſit S. Thomas in 4. diſt. 24. Eidem adhæſerunt Scotiſtæ, &c. Ergo.

Reſpondent, 1. ſententiam quæ Subdiaconatum & Minores in Sa- 287
cramenta tranſvertit, numquam exceſſiſſe opinionis metas; quidquid autem opinio eſt, in examen vocari poſſe; 2. plures magni nominis viros Subdiaconatum habuiſſe pro ritu ab Eccleſia inſtituto, ita ſenſiſſe Urbanum II. Innocentium III. Lombardum, Petrum Bleſenſem, Hugonem Victorinum; quibus apud Amalarium Lib. 2. de Officiis Eccleſ. cap. 6. præiverat Ambroſiaſter in Epiſt. ad Timoth. ubi hæc: *Non convenit demirari, ſi neque Subdiaconorum, neque Lectorum memoriam Apoſtolus feciſſe videatur: illis enim gradibus functionum, qui in Eccleſia neceſſario habentur*, utpote a Chriſto inſtituti, *iſti poſtea ſunt* ab Eccleſia *adjecti propter utilitatem miniſterii, quod propter multitudinem credentium, per alteros poſtea impleri debere neceſſitas flagitavit: Unde nec ordinationem ante Altare aſſequuntur, eo quod nec Myſteriis* ex conſtitutione divina, ſeu *neceſſario*, ut ſupra dixit, *miniſtrare ſtatuuntur*.

Quod ad S. Thomam ſpectat, reſpondet poſt Domin. Soto in 4. 288
diſt. 24. q. 1. art. 4. inſignis alter S. Doctoris aſſecla, nimirum Auctor Operis de re ſacram. pag. mihi 242. his verbis: *Profecto non arbitror, quod ſi S. Thomas ad hunc locum in Summa perveniſſet, in hac perſtitiſſet opinione, quam in 4. Lib. ſent. vulgus ſecutus tenuit.* Hæc autem Soti reſponſio eo dignior eſt ponderari, quod cum is Trid. Concilio interfuiſſet, neceſſario exiſtimavit, nihil quoad præſens caput a ſacra Synodo fuiſſe definitum; neque enim alioqui dixiſſet B. Thomam vulgi opinionem ſecutum eſſe. Quod autem legitima ſit Soti ſuſpicio de futura S. Doctoris retractatione, patet ex hujus verbis in Opuſc. 4. adverſus Guillelmum a Sancto amore, qui ex iniquo in Dominicanos odio contendebat non potuiſſe ab Eccleſia novum erigi Ordinem, cui prædicandi officium ſpecialiter committeretur. Hunc autem exemplo Subdiaconatus & Minorum ſic revincit Angelicus Præceptor: *In primitiva Eccleſia fuerunt ſoli duo Ordines ſacri, ſcilicet Presbyteri & Diaconi: & tamen poſtea Eccleſia ſibi minores Ordines inſtituit, ut Magiſter Sententiarum dicit.* Ergo.

Probant 4. Ordo imprimens caracterem eſt vere & proprie Sacra- 289
mentum. Atqui Subdiaconatus, &c. Prob. min. ratione, quam inſinuat S. Thomas in Suppl. q. 35. art. 2. Quod eſt initerabile ex benedictione perfectiva & conſecratoria, imprimit caracterem. Atqui Subdiaconatus & quilibet ex Minoribus eſt initerabilis; idque non ex benedictione tantum extrinſecus deputante, ſicut prima tonſura, Benedictio Abbatiſſarum, & alia ejuſmodi, ſed etiam perficiente & conſecrante. Unde S. Dionyſius cap. 5. Eccleſ. Hierarchiæ Miniſtros etiam inferiores vocat Miniſtros conſecratione perfectos.

Nec valet quod reponit Vaſquez, nimirum conſecrationem Eccleſiæ, 290
Altaris, Calicis, &c. irreiterabilem eſſe, nec tamen imprimere caracterem. Non valet, inquam, *quia* Calix, Altare & ſimilia *deputantur ſolum ad uſum, non vero ad aliquid reale & intrinſecum recipiendum aut*

agen-

agendum, *quod excedat eorum virtutem*. Ita Gonet diſput. 2. num. 10. & ſeq.

291 Reſp. ad 1. & 2. neg. min. Neque enim initerabilis eſt Subdiaconatus, quia caracterem imprimat, aut quia per veram & ſtricte dictam conſecrationem conferatur; ſed quia vetuit Eccleſia ne repeteretur; & generatim quæ Deo ſemel etiam latiori ſenſu conſecrata ſunt, ſemper manent conſecrata; unde nuſquam repetitur Abbatiſsæ Benedictio, ſicut nec conſecratio Altaris, niſi hæc diſpereat, quod, judice Eccleſia in Subdiacono locum non habet.

292 Quod dicit S. Dionyſius, ſi vere is eſt Dionyſius, de quo alibi, de conſecratione latius ſumpta & minime Sacramentali intelligi poteſt. Siquidem idem Auctor cap. ſeq. & Epiſt. 8. ad Demophilum, *Myſterium Monaſticæ conſecrationis* recenſet. Hæc porro neque ſacramentalis eſt, nec imprimit caracterem, nec in ipſis etiam Apoſtatis iteratur.

293 Poteſt tamen in ipſo etiam Subdiaconatu & Minoribus admitti caracter, Eccleſiaſticus videlicet, quo milites cultui ſuo deſtinatos a ſæcularibus diſcernit Eccleſia. Hoc ſenſu loquitur Pontificale Romanum, cum ait: *Moneat Epiſcopus Ordinandos, ut tangant inſtrumenta quibus caracter imprimitur*. Verum caracter iſte a Sacramentali omnino differt: neque unum cum alio confundere voluit Pontificalis novi editor Clemens VIII. qui non neſciebat præſentem controverſiam ex iis eſse, quas Trid. Synodus intactas reliquit.

294 Inſtant, Si prædicti quinque Ordines non eſsent Sacramenta caracterem imprimentia, ſed officia mera, qualia ſunt Cantorum, &c. nihil eſset, cur per excommunicationem non tollerentur, ita ut quis e Lectore vel Oſtiario fieret laicus, rurſumque poſt pœnitentiam ordinaretur. Atqui tamen prædicti Ordines, nec per cenſuras, nec per ipſam degradationem auferuntur. Ergo neceſse eſt ut caracterem imprimant.

295 Reſp. nihil quidem abſolute vetare ne Lector fiat laicus, ſed noluiſse Eccleſiam, ut qui ſemel Lector inſtitutus eſt, novo ritu uſquam inauguretur. Sane vero tonſura, neque ordo eſt, neque caracterem imprimit; & tamen numquam iteratur: etſi forte exemplum unum in contrarium reperiri poteſt, cujus alias memini. Verum a facto ad jus non ſemper valet conſecutio.

296 Inſtant 2. quod datur per Ordinationem, uti Presbyteratus, caracterem Sacramentalem imprimit. Atqui Subdiaconatus & alii infra ipſum Ordines per *Ordinationem* conferri dicuntur in Concilio Carthag. IV. a Can. 2. uſque ad 9. quodque notandum Can. 10. & 11. ubi de Pſalmiſta & de Monialis conſecratione agitur; Concilium abſtinet a verbo *ordinandi*. Ergo Subdiaconatus & Minores Ordines tam accedunt quoad caracterem ad Presbyteratum, quam penes eumdem caracterem a Pſalmiſtarum aut Monialium conditione differant.

Reſp. reipſa quidem Subdiaconatum & Minores per Ordinationem conferri: unde nihil frequentius eſt in Eccleſia, quam ut Epiſcopi Minores collaturi, ordinare dicantur. Verum non ideo Ordinatio quæ Minores confert, ejuſdem eſt naturæ cum ea quæ Presbyteratum tribuit. Utique Ordo eſt quidquid gradum Eccleſiaſticum importat; & ubi ex una parte eſt Ordo, ex alia eſt Ordinatio. At probari non po-

teſt

teſt id omne quod gradum Eccleſiaſticum importat, ejuſdem eſſe conditionis cum Presbyteratu. Tam enim pene certum eſt Minorum inſtitutionem ad Eccleſiam referri debere, quam certum ſit Presbyteratus inſtitutionem a Chriſto derivari.

En præcipua quæ vel detegere, vel imaginari potis fuit, utriuſque 297
partis momenta. Poſterior id habet quod Eugeniani Decreti, quin & Tridentini litteræ tantiſper conſentanea magis videatur. Prior eo prævalere poteſt, quod juxta ſecundam duplex admitti debeat Subdiaconatus & Minorum ordinum Miniſter, abſque ullo vel Scripturæ, vel Traditionis primævæ monumento.

§. V. *Quid de minoribus Ordinibus ſentiendum.*

Quatuor ſunt Ordines non ſacri, ſeu minores, quorum nomina e 298
propriis eorum officiis deſumpta ſunt: Oſtiariatus ſcilicet, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolythatus.

Oſtiariatus eſt Ordo quo quis jam Clericus, ad Eccleſiæ, & ſacræ 299
ejus ſupellectilis cuſtodiam, & vindicandam quæ domo Dei debita eſt, reverentiam præficitur.

Lectoratus eſt Ordo, quo traditur poteſtas ſacram utriuſque Te- 300
ſtamenti Scripturam & ſanctorum Patrum ſcripta publice in Eccleſia legendi.

Exorciſtatus eſt Ordo quo datur poteſtas expellendi Dæmones a cor- 301
poribus, ſeu baptizatorum, ſeu Cathecumenorum. Exorciſmus enim idem eſt ac latine adjuratio, qua quis alium metu religionis percellit, & ad aliquid faciendum obſtringit.

Acolythatus eſt Ordo, quo datur poteſtas miniſtrandi Subdiacono, & 302
Diacono in ſancto Sacrificio. Acolythum nonnulli idem eſſe volunt ac famulum, ſeu pediſſequum; alii idem ac admiſſum, ſeu non prohibitum. Vox enim ακωλυω idem eſt ac minime prohibeo. Acolythi tamen apud veteres Græcos dicebantur, qui nullis minis ab inſtituto revocari poterant. Unde inditum Stoicis Acolythorum nomen, quia ſententiæ ſuæ mordicus inhærerent. Ita Guillelmus Burius in Onomaſtico ad calcem vitarum Rom. Pontificum, pag. mihi 418.

De his Ordinibus quæritur an ſint Sacramenta. Verum cum difficultas iſta præoccupata fuerit §. præced. nihil eſt cur eidem etiamnum immoremur. Unde incœpta jam methodo, tedioſa quidem, ſed ob perſpicuitatem utili, materiam, formam & Miniſtrum uniuſcujuſque Sacramenti expendemus. Sed antea nobis, & quidem fuſe diſſerendum eſt de Tonſura Clericali.

APPENDIX.

De Tonſura Clericali.

NE ad Tonſuram pluries anxie reverti cogamur, operæ pretium duximus una ſerie complecti quæcumque ad ipſam pertinent, dempto tamen Miniſtro, quem Cap. VI. inveſtigabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De ratione & origine Tonſuræ.

1 TOnſura vulgo definitur, cæremonia ab Eccleſia inſtituta, per quam laicus baptizatus, & Sacramento Confirmationis ſignatus, in Clerum ſacro ritu adſcribitur.

Ut definitio hæc plenius innoteſcat, diſcutiendum 1. an Tonſura ſit Ordo; 2. a quo ſit inſtituta.

2 Circa primam quæſtionem duplex eſt opinio; Prima, inter Canoniſtas longe communior, Tonſuram Ordinibus annumerat. Ita tenent Gloſſa, Hoſtienſis, Joannes Andræas, Præpoſitus, Covarruvias, & alii plures, quos late, & ut moris ejus eſt, docte ſequitur Proſper Fagnan, in c. *Cum contingat*, 11. *de ætate & qualit. præficiend.* n 45. & ſeq. ubi & contendit, 1. litem hanc de re eſſe, non autem de nomine ſolum, uti Bellarmino viſum eſt. 2. Novem eſſe in Eccleſia Ordines, *non ſimpliciter, prout ſunt gradus Eccleſiæ, ſed prout ſunt Sacramentum*, quia nempe Epiſcopatum & Tonſuram habet ut Ordines; 3. Tonſuram idem quid eſſe cum Pſalmiſtatu. Ad hanc ſententiam, eodem teſte, acceſſerunt Major, Echius, Angelus, &c. Secunda opinio Tonſuram nihil aliud eſſe vult quam ritum ad Ordines præparantem, non vero Ordinem proprie dictum, & multo minus Sacramentum. Quamquam poſſit quis Tonſuram, ut & quatuor minores, Ordinibus annumerare; neque illam tamen magis quam iſtos adnectere Sacramentis. Sit

3 CONCLUSIO I. Probabilis eſt opinio, quæ Tonſuram Ordinibus proprie dictis annumerat: probabilior quæ negat annumerandam.

4 Prob. 1. pars; 1. ex citato cap. 11. *de ætate & qualit.* &c. ubi ſic loquitur Innocentius III. *Cum contingat interdum, quod laici ad Monaſteria convolantes, a ſuis Abbatibus tonſurentur: Requiſiſti an Clericatus Ordo in Tonſura hujuſmodi conferatur. Super hoc tibi reſpondemus, quod cum in ſeptima Synodo ſit ſtatutum, ut Lectores per manus impoſitionem licentia ſit unicuique Abbati in proprio Monaſterio ſolum faciendi, dummodo ipſis ab Epiſcopo, ſecundum morem præficiendorum Abbatum, manus impoſitio facta noſcatur, & conſtet eum exiſtere Sacerdotem, per primam Tonſuram, juxta formam Eccleſiæ datam, a talibus Clericalis Ordo confertur.* Unde ſic: Eo loci definit Innocentius Tonſuram eſſe Ordinem. Atqui hæc ejus definitio, nec de Ordine latius ſumpto, nec de Ordine ad Monaſticum ſenſum accepto, intelligi poteſt, quidquid reclament adverſarii. 1. Namque requiſitus Pontifex an vere ab Abbatibus conferretur Clericalis Ordo, reſpondet eum conferri. Sed qui dicit Ordinem conferri, non dicit conferri diſpoſitionem ad Ordines; neque de Ordine latius & improprie ſumpto reſpondet, qui de Ordine ſimpliciter fuerat interrogatus. 2. Arguit Innocentius a Lectoratu ad Tonſuram, ut per hanc Ordinem Clericalem conferri probet. Atqui ſi Tonſura merum eſſet officium, non verus Ordo, inepte argueret e Lectoratu ad eamdem Tonſuram. Neque enim valet ſeu argumentum a majori ad minus, ſeu regula hæc XXXV. juris in 6. *Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus;* niſi quando minus comprehenditur ſub majori. Ergo citati capitis

tis ſenſus eſt, quod ſicut Abbates, modo Presbyteri ſint & benedicti, verum Ordinem conferunt per Lectoratum, ita & multo magis verum Ordinem conferunt per Tonſuram. *Et ſic tollitur reſponſio Paludani aſſerentis, nomen Ordinis hic accipi pro Collegio, ſicut dicitur Ordo Monachorum; vel pro gradu eminenti in populo Chriſtiano, non autem in Eccleſia, ut dicit Vaſquez*. Ita idem n. 48.

Confirm. 1. quia in officii, ſeu puri gradus collatione, nulla certa 5
forma ab Eccleſia reperitur præſcripta; ſed dumtaxat in Sacramentorum collatione. Atqui in collatione Tonſuræ ſervanda eſt Eccleſiæ forma, ex citato textu; eaque omiſſa nihil daretur.

Confirm. 2. quia ſi Clericalis Ordo eſſet inſtitutionis humanæ, for- 6
ma ejus ab Eccleſia data eſſet. Atqui nedum data ſit ab Eccleſia, e contra *data eſt Eccleſiæ*, ut ibidem ait Innocentius.

Confirm. 3. quia præparatio ad formam, non eſt ipſa forma; ſicut 7
diſpoſitio ad ignem non eſt ignis. Atqui in collatione Tonſuræ confertur *Ordo Clericalis*, ex eodem Pontifice. Ergo Tonſura non eſt præparatio ad Ordinem, ſed Ordo.

Prob. 2. ex cap. 3 diſt 44. ubi ſic Laodicœni Patres. *Non oportet Cle-* 8
ricos Deo ſervientes, a Presbyteris uſque ad Subdiaconos, & deinceps omnes Eccleſiaſtici Ordinis uſque ad Miniſtros, aut Lectores, ut Oſtiarios, aut Pſalmiſtas .... tabernas, niſi cauſſa neceſſitatis intrare. Ecce hic Pſalmiſtatus aperte inter Ordines cenſetur. Atqui Pſalmiſtatus iſte nihil aliud eſt a Tonſura. Minorem probat fœcundus Scriptor, 1. quia ſtare non poteſt quod reponunt aliqui, Pſalmiſtatum videlicet eſſe officium Lectoratui annexum; cum in eo textu Lectores a Pſalmiſtis aperte ſecernantur; 2. quia Pſalmiſtatus poſt Oſtiariatum commemoratur; quod & videre eſt in Concilio Carthaginenſi IV. unde initium eſt ac veluti janua Ordinum; quod Tonſuræ proprium eſt; 3. quia Pontificale Romanum inter ritus per quos Clericus a prima Tonſura degradandus eſt, præſcribit ut miſero huic dicatur. *Quod ore cantaſti, corde non credidiſti, nec opere impleviſti, ideo cantandi officium in Eccleſia Dei a te amovemus*: Ubi cum Clerici officium ſit idem cum officio Pſalmiſtæ, palam eſt eumdem prorſus eſſe utriuſque Ordinem.

Prob. 3. Ubicumque eſſe poteſt degradatio, ibi neceſſario præexti- 9
tit Ordo; cum degradatio ſollemnis nihil ſit aliud quam actualis depoſitio ab Ordinibus ſuſceptis, ut conſtat, tum ex cap. *Degradatio*, 2. *de pœnis*, in 6. tum ex Pontificali Romano. Atqui ſimplex Clericus ſollemniter, ſicut & alii degradatur. Ergo neceſſum eſt ut Ordine inſignitus fuerit. Atque id manifeſte indicant hæc Pontificalis verba, tit. de degradatione a prima Tonſura: *Auctoritate Dei omnipotentis .... tibi auferimus habitum Clericalem ..... & exuimus te omni Ordine, beneficio & privilegio Clericali*. Porro vocem Ordinis, toties ſimpliciter repetitam, improprio ſenſu ſemper intelligere; etiam in textibus, qui de Ordinibus proprie dictis loquuntur, abſonum eſt & pene ridiculum.

Prob. 4. ubi eſt materia cum forma, ibi eſt Ordo, ut colligere eſt 10
ex Decreto Eugenii. Atqui in Tonſura occurrit forma, ſeu Epiſcopi verba, ut norunt omnes: occurrit etiam materia, videlicet Clericalis

habi-

habitus traditio. Unde Bonifacius VIII. cit. cap. 3. *de pœnis*, vult degradationem continuari *uſque ad primam veſtem*, *quæ datur in collatione Tonſuræ*. Quapropter, ait Fagnan. n. 70. errant, qui ſuperpellicei traditionem exiſtimant *non eſſe neceſſitatis*, *ſed congruitatis*.

11 Prob. 5. ex Concilio Triburienſi, cap. 2. ubi poſtquam de ipſis etiam primæ Tonſuræ Clericis mentio facta eſt, ſic proſequuntur Patres: *Si quis ullum eorum*, *quocumque Ordine conſecratum ... anguſtiaverit ... contra divinas & humanas leges ... debitam perſolvat compenſationem*: Ubi & Tonſura ſub Ordinis nomine evidenter continetur, & nonniſi contra *divinas leges* violatur: quod grave argumentum eſt eum eſſe ex inſtitutione Chriſti, proinde Sacramentum. Ita idem Canoniſta, ibid. num. 81. & 82.

12 Prob. 6. ubi eſt Ordinis nomen, ſollemnitas, ritus & Miniſter, ibi Ordinem eſſe neceſſum eſt. Atqui hæc omnia in Tonſura occurrunt, 1. nomen, ut liquet ex Romano Pontificali: ibi nempe habetur: *Pro Clericis* ORDINANDIS *parentur forcipes*, &c. Ibid. *Quilibet* ORDINANDORUM *debet habere ſuum ſuperpelliceum*. Rurſus in fine: ORDINATI *redeunt ad loca ſua*, &c. 2. ſollemnitas: ſiquidem in generalibus Ordinatibnibus Tonſura, ſicut & alii Ordines, datur ab Epiſcopo cum mitra inter ſollemnia Miſſarum; ut habet ibid. rubrica. 3. ritus, videlicet materia & forma: Siquidem ex Tit. de Clerico faciendo ibid. *Pontifex ſedet cum mitra*, & accipiens in manibus ſuperpelliceum, dicit ſingulis: *Induat te Deus novum hominem*, &c. 4. Miniſter, qui jure ordinario ſolus eſt Antiſtes ex D. Thoma Suppl. q. 38. art. 1. O. licet ex privilegio eam conferre poſſint nonnulli Abbates, ut dicitur cit. cap. *contingat*, & cap. *Abbates*, *de privileg.* in 6.

13 Prob. 7. nullum Sacramentum ex neceſſitate præcepti caracterem Confirmationis prærequirit, niſi Sacramentum Ordinis, ex D. Thoma in 4. diſt. 24. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 4. Atqui prima Tonſura de neceſſitate præcepti Sacramentum Chriſmatis prærequirit, ex Tridentino ſeſſ. 23. cap. 4. *Unde alias declaravit S. Congregatio Concilii*, *prima Tonſura initiatum non ſuſcepto Chriſmate*, *ac poſtea ad minores Ordines eo ſuſcepto promotum*, *eſſe male promotum*, *Beneficia minus legitime acquiſiviſſe*, *& non poſſe ad ſacros Ordines aſcendere*, *niſi prævia Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione*: *Quidquid contra incaute ſcripſerit Navarrus in Manuali*, *cap.* 22. *tit. de Confirmat.* nu. 9. *Ergo Tonſura eſt Ordinis Sacramentum*: Idem Fagnan. n. 95. & 96.

14 Prob. 8. Prima Tonſura repeti debet, ſi ea prætermiſſa ceteri Ordines ſuſcepti fuerint, uti contra Innocentium docet Hoſtienſis h. t. n. 2. Atqui ſi non eſſet Ordo, ſed mera ad Ordines diſpoſitio, jam non eſſet repetenda. Fruſtra enim diſponitur quis ad id quod jam aſſecutus eſt. Ergo. Idem n. 100. & ſeq.

15 Prob. 9. Pſalmiſta, qui ex dictis idem eſt cum Tonſura initiato, ſpeciale habet nomen, Pſalmiſtæ ſcilicet & Cantoris; habet & ſpeciale miniſterium; cum ex cap. *Perlectis*, diſt. 25. *ad* eum *pertineat officium cantandi*, *dicere benedictiones* *, *laudes*, &c. ſicut *ad Lectorem pertinet lectiones pronuntiare*, *& ea quæ Prophetæ vaticinati ſunt*, *populis prædicare*. Demum ex dictis materiam habet & formam. Ergo. Ibid. n. 106. & ſeq.

16 Prob. 10. Tanti ſunt effectus Tonſuræ, ut verum Ordinem importare

* Id eſt dicere ex officio: *Benedicamus Domino*, ut ex Gloſſa monet Fagnan hic num. 108.

tare debeat. Per eam quippe Chriſtiani a laicali ſtatu transferuntur ad Clericalem; jure divino eximuntur ab omni poteſtate ſęculari; eodem jure a Laicorum oneribus immunes ſunt; gaudent privilegio Canonis, cui renuntiare non poſſunt; idonei ſunt Beneficia Eccleſiaſtica poſſidere, excommunicare, & Beneficia etiam animarum curam habentia conferre; demum capaces ſunt omnis juriſdictionis, ut delegatæ, ſic & ordinariæ, cujus capax non eſt ſimplex, quiſquis ille ſit, laicus. Ergo cum cauſſa per effectus cognoſcatur; & tot, tantique effectus puræ ad Ordines diſpoſitioni ac præambulo tribui non poſſint, Tonſura Ordinibus neceſſario annumeranda venit. Idem n. 112.

Prob. 11. ex Conſtitutione 112. *ſanctum & ſalutare*, in qua Sixtus V. an. 1588. ſic loquitur: *Rem quidem ſacram & divinum munus affectantes, ad ſuſcipiendum Clericalem caracterem, alioſque Ordines, minus recte ... ſe ingerunt*. Infra vero idem Pontifex, tam Clericos, quam ceteros male promotos ad Ordines, ab exercitio ſuſceptorum Ordinum perpetuo ſuſpenſos eſſe decernit. Atqui eo loci Tonſura, & res ſacra, & divinum munus, & caracteris impreſſiva, & Ordo *aliis* Ordinibus ſimilis declaratur. Ergo cum in manifeſtis regula hæc vigere debeat, *non extenuare quæ ſcripta ſunt*, Tonſura Ordines inter proprie dictos annumerari debet. 17

Prob. 12. ex judicio S. Congregationis Epiſcoporum & Regularium, quæ an. 1620. & 1621. Cavenſem Epiſcopum redarguit, eo quia dixiſſet per primam Tonſuram non imprimi caracterem. Idem apertius definiit Congregatio Concilii: Hæc enim conſulta num Abbas juriſdictionem habens quaſi Epiſcopalem, ſi aliis, quam ſibi ſubditis Tonſuram conferret, cenſeretur caracterem impreſſiſſe, adeo ut taliter tonſuratus non iterum tonſurari deberet: *Reſpondit, impreſſum eſſe caracterem; & ita tonſuratum tonſurari iterum non debere*. Ergo. Hæc ille num. 117. & 118. quem ſi multo plura voles, conſule. His tamen non obſtantibus, pars oppoſita Theologis longe acceptior eſt, & probabilior videtur. Unde eam 18

Prob. 1. ex S. Th. qui Supp. q. 40. art. 2. expreſſe docet, Tonſuram nec Ordinem eſſe, nec caracterem imprimere. Atqui tanta ſemper in Eccleſia fuit S. Doctoris exiſtimatio, tam frequens doctrinæ ipſius commendatio, ut licet in ipſius verba non juret, ab ejus tamen ſenſu recedere, & multo minus eum veluti reprobare non conſueverit. Ergo ad ejus mentem reduci poſſunt textus omnes qui poſt ipſum a ſummis Pontificibus prodiere. 19

Prob. 2. Ex Concilio Trid. quod ſeſſ. 23. c. 2. docet, *plures & diverſos eſſe in Eccleſia Miniſtrorum Ordines ita diſtributos, ut qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent*. Paullo poſt vero prædictos Ordines recenſens, a Sacerdotibus ad Lectores deſcendit, ibique ſiſtens de Tonſura nihil loquitur. Atqui ex his liquido apparet, Tonſuram eſſe quidem præviam ad Ordines quoſcumque diſpoſitionem, non autem veri nominis Ordinem; alioqui enim in ipſa Ordinum ſerie fuiſſet enumerata, neque ab ipſis etiam minoribus diſtincta. 20

Eadem ſacra Synodus c. 6. *Nullus*, inquit, *prima Tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus*, &c. Atqui verba hæc Tonſuram a Minoribus evidenter diſtinguunt; 1. quia ſi in his incluſa ſuppo- 21

neretur, ſatis fuerat dixiſſe, *nullus in minoribus Ordinibus* conſtitutus &c. 2. quia particula *aut* non ſolet poni niſi inter diverſa; quod a fortiori valet, ſi eidem addatur particula *etiam*, quæ, ut ibidem loquitur Fagnan. n. 37. & certo conſtat, *ex ſui natura eſt augmentativa, ſeu ampliativa*. Ergo.

22 Ibid. c. 17. de reformat. præcipiunt Tridentini PP. *ut ſanctorum Ordinum a Diaconatu ad Oſtiariatum functiones ... pluribus in locis intermiſſæ, in uſum, juxta ſacros Canones, revocentur*. Atqui dum dicunt *a Diaconatu ad Oſtiariatum*, non inſinuant modo, ſed & indicant, primæ Tonſuræ Clericos nullum in Eccleſia habere miniſterium. Alioqui hujus etiam, ſicut & aliorum Ordinum, functiones reſtitui juſſiſſent. Quod enim reponit Fagnanus n. 132. Synodum non fuiſſe locutam de ſimplicibus Clericis, ſeu, quæ immota eſt ejus opinio, de Pſalmiſtis; quia *forte munus* eorum, *videlicet canendi Pſalmos & divinas laudes, numquam fuit in Eccleſia intermiſſum*; mera puta eſt evaſio: cum nihil ſeu in Italia, ſeu alibi paſſim, rarius ſit, quam ut qui Pſalmos muſico aut plano cantu evolvunt, ad id *ex officio*, ſeu *vi Ordinis* deputati ſint: immo id nullibi ſit in uſu, ſi Tonſura a Pſalmiſtatu diſtinguatur, uti, nec immerito, conjicimus.

23 Nihilo plus valet, quod reponit idem, nempe Concilium ſua ſic verba temperaſſe, ut quæſtionem Canoniſtas inter & Theologos motam non definiret. Ut enim omittam, quod animadvertit ipſe Fagn. ib. *Concilia multoties definiviſſe controverſias inter Catholicos Scholaſticos, quando Catholici cum hæreticis in aliquo articulo errabant*; ut cum definiit Florentina Synodus, poſſe Papam tribuere ſimplici etiam Sacerdoti facultatem conferendi Sacramentum Chriſmatis; Tridentina vero, poſſe Eccleſiam diſpenſare in nonnullis conſanguinitatis & affinitatis gradibus, qui in Levitico habentur; ac demum Epiſcopos jure divino Epiſcopis eſſe ſuperiores *: de quibus olim graves erant inter Scholaſticos controverſiæ. Ut omittam rurſus, ex eodem erudito Canoniſta n. 76. *Univerſalium Conciliorum inſtitutum fuiſse, non ſolum hæreticorum dogmata confutare; ſed etiam Catholicos ſanam & Orthodoxam fidem docere*, &c. ut, inquam, hæc prætercam, quæ Fagnanum multo plus urgerent, quam ipſius adverſarios; R. non inquiri in præſens an alterutram opinionem expreſſim definierit Tridentinum, bene an vero an parti noſtræ impenſius faverit, quam alteri. Atqui nobis unis faviſſe hinc probatur, quod vir doctus ab ejus auctoritate vix ſeſe expediat.

24 Confirm. 1. ex Catechiſmo Romano, qui tit. de ſacramento Ordinis ſic habet n. 27. *Incipiendum eſt a prima Tonſura, quam quidem docere oportet, quamdam præparationem eſse ad Ordines accipiendos; Ut enim homines ad Baptiſmum exorciſmis, ad Matrimonium ſponſalibus præparari ſolent; ita cum tonſo capillo Deo dedicantur, tamquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur*. Et infra n. 32. *poſt primam Tonſuram ad Oſtiarii Ordinem primus gradus fieri conſuevit*, & n. 24. *Docendum igitur erit, hoſce omnes Ordines ſeptenario numero contineri... quorum nomina hæc ſunt: Oſtiarius, Lector*, &c. Porro ſi Ordines omnes ſeptenario numero continentur, quorum

* Ita ſentit Vaſquez ob Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 3. cujus ſolo nomine loquitur Fagnan. n. 76. De gradibus in Levitico prohibitis vide Tridentinum, ſeſſ. 24. can. 3.

rum primus ſit Oſtiariatus, neceſſum eſt ut Tonſura ſit quidem *præparatio ad Ordines*, ſicut ſponſalia ad Matrimonium; ſed non minus ab Ordinibus diſtinguatur, quam ab eodem Matrimonio ſponſalia. Unde extra rem eſt, quod reſpondet adverſarius n. 133. Baptiſmum eſſe Sacramentorum januam, & tamen eſſe Sacramentum. Namque 1. non controvertitur inter Catholicos an Baptiſmus ſit Sacramentum; bene vero an Tonſura ſit Ordo proprie dictus. Ergo ſtrictius de Tonſura loquendum, quam de Baptiſmo; ne minus accurata locutio circa Tonſuram deducat in errorem, qui circa Baptiſmum non impendet. 2. Baptiſmus dicitur janua Sacramentorum, nullibi vero umquam præparatio ad Sacramenta. Porro & janua pertinet ad domum, & præparatio ſecernitur a re ad quam præparat. 3. Nemo uſquam Sacramenta ſeptenario numero includens, de Baptiſmo ſiluit. Atqui contra Romanus Catechiſmus, cum declarat *Ordines omnes* ſeptenario numero includi, de Tonſura omnino ſilet. Atque hinc textum hunc ejus prudenter diſſimulavit Fagnanus, quia eludere non potuit.

Confirm. 2. quia teſte eodem Canoniſta ib. n. 37. & ſeq. ſacra Congregatio Concilii interpres *ſæpius declaravit Patres Concilii ſenſum hunc* 25
noſtrum *habuiſſe*. Et in ſpecie, cum dubitaſſet Epiſcopus Hieracenus, num incurriſſet ſuſpenſionis pœnam, quia cuidam alterius Epiſcopi ſubdito primam Tonſuram contulerat; *ſacra Congregatio cenſuit non incurriſſe; neque caput octavum ſeſſ.* 23. quo ſancitum videtur ut alienum ſubditum ordinans, a collatione Ordinum ſuſpenſus ſit per annum, *locum habere in conferentibus primam Tonſuram; quia hæc non habetur a Concilio pro Ordine, ut patet ex c.4. ſeſſ.23. juncto c. 5. & 6. ejuſdem ſeſſ.* Item cum fuiſſet quæſitum, an cap. 10. ſeſſ. 7. quo cautum eſt ut Ordinati ex Litteris dimiſſoriis Capituli, ante annum a die vacantis Sedis, *nullo privilegio Clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant*, procedat in inſignitis ſolum caractere primæ Tonſuræ; ſacra Congregatio cenſuit non procedere. Cur porro id cenſuit, niſi quia perſuaſum habet, nec Tonſuram Ordinibus ſimpliciter dictis a Tridentino annumerari; nec eum, quem in Tonſuratis admittere videtur caracterem, eſſe vere Sacramentalem? interim rependendæ Fagnano grates, quod hæc nobis adverſum ſe tela ſubminiſtraverit.

Probant 3. plures ex c. *Illud nos*, 1. diſt. 77. quod Cajo Papæ tribuit 26
idem Fagnan. *, & ideo *fortem textum* vocat, ubi ſic: *Illud tamen nos ſtatuentes, vobis & omnibus ſervare mandamus, ut ad Ordines Eccleſiaſticos ſic aſcendant in Eccleſia, quia Ordinari merentur, id eſt, ſi quis Epiſcopus eſſe meretur, ſit primo Oſtiarius, deinde Lector, poſtea Exorciſta, inde ſacretur Acolythus*, &c. Sed qui Ordines omnes, per quos ad Epiſcopatum aſcendi oportet, enumerando profunde ſilet de Tonſura, hanc dubio procul non accenſet Ordinibus. Ergo.

Verum probationi huic non inſiſtam, quia cum adverſario reponi 27
poteſt 1. Oſtiariatum non magis eſſe primum Ordinem, licet primus nominetur c. *Illud nos*, quam Lectoratus primus ſit Ordo, licet primus nominetur c. *Si officia*, diſt. 59. ubi Zozimus Papa (an. 418.) ſic loqui-

* Eamdem Epiſtolam Cajo Papæ affingunt Pithæi Fratres, eamque an. 296. conſignant; ſed male.

tur: *Aſſueſcat... in Lectorum primitus gradu divini rudimenta ſervitii*. Hic porro vox *primitus* dicitur reſpectu gradus ſequentis; & ſic aliquando ſecundus dicitur primus reſpectu tertii, licet alios habeat ante ſe. 2. Vocem *ſi quis* non eſſe de laicis intelligendam, ſed de Clericis; quia repugnat Canonicis inſtitutis, ut quis de laicali ſtatu, præmiſſis etiam ſingulis gradatim Ordinibus inferioribus, ad Epiſcopatum aſſumatur, ut patet ex Ep. 3. Horſmiſdæ, quæ refertur *c. Non negamus*, diſt. 61. 3. Jura in quibus omittitur Pſalmiſtatus, ſeu Tonſura, per alia ſuppleri, in quibus de eadem mentio fit. Sane vero in cap. *Si quis Epiſcopus*, 6. XXVII. q. 1. nulla fit mentio Acolythi & Exorciſtæ; & tamen horum Ordines ſubſiſtebant. Hæc Fagnan. quæ licet confutari poſſint, moram non exigunt longiorem; quia citata Decretalis non eſt Cai Papæ fœtus, ſed proles eidem ab Iſidoro, ſicut & aliis pluribus ſuppoſita, uti ad finem Tomi VIII. probabimus Vide Tom. I. Concil. p. 925.

28 Prob. 4. Ceremonia, quæ prioribus Eccleſiæ ſeculis vel ignota fuit, vel ſaltem nemini injuncta; quæ male confunditur cum Pſalmiſtatu; quæ ſi quid idem ſit cum Pſalmiſtatu, non tamen Ordo foret, merito ab Ordinis gradu, & potiori jure a gradu Sacramenti excluditur. Atqui Tonſura

29 1. Prioribus Eccleſiæ ſeculis ignota fuit. Etſi enim fideles, ſecundum id Apoſtoli 1. Corinth. 11. 14. *Vir ſi comam nutriat, ignominia eſt illi*, capillos utcumque detonderent; quod & omnibus Clero mancipatis, ſedata potiſſimum perſecutione, mandatum eſt *; nullo tamen trium quatuorve priorum Eccleſiæ ſeculorum monumento probari poteſt, extitiſſe tunc temporis Tonſuram, quæ, ut poſtea factum eſt, ritu ſacro ab Epiſcopis conferretur. Unde Siricius Ep. 2. ſtatuit, ut qui Clero nomen dare volet, *ſtatim Lectorum, aut Exorciſtarum numero ſocietur*; alii vero ut ab Oſtiariatu incipiat, prout nempe Ordines illi variis in Eccleſiis vigebant, vel non. Sæpe quidem Tonſuram a Presbyteris recipiebant ipſi pene infantes, qui a teneris unguibus devovebantur Eccleſiæ. Verum tonſura hæc nec ab initio in uſu fuiſſe probari poteſt; nec, utpote quæ a ſimplicibus Presbyteris dari ſoleret, ullius in Eccleſia Miniſterii exercendi facultatem largiebatur; proinde nec vere Clericalis erat. Unde Concilium VII. can. 14. *Quoniam videmus nonnullos a pueris*, ſeu ab infantia, *Cleri Tonſuram accipientes, nondum accepta Epiſcopi manuum impoſitione, & in congregatione in ſuggeſtu legentes, & id non canonice facientes, hoc ne fiat abhinc in poſterum mandamus*, &c. Idem antea præceperat Synodus Trullana, can. 33. ubi vetitum eſt, ne ullus *eorum omnium qui ſunt juxta ordinem Clero allecti*, poſſit *in ambone divinas Scripturas recitare, niſi ſacerdotali*, ſeu, ut interpretatur Balſamon, data per Epiſcopum *Tonſura præditus ſit, & benedictionem a proprio Paſtore*, id eſt Epiſcopo, ſuſceperit.

30 2. Tonſura multo minus legitur prioribus ſeculis injuncta fuiſſe, ſeu ut Ordo, ſeu ut Clericalis ad Ordines præparatio. Etſi enim non nutriebant comam, qui Clero adſcribi nitebantur; non erat tamen hæc tonſionis ſpecies ritus Eccleſiaſticus; ſed, ut boni mores ac vita ſan-

* „ Anicetus conſtituit ut Clericus comam non nutriat, ſecundum præceptum Apo„ ſtolicum. *Pontificale Damaſi* vel potius Damaſo adſcriptum *in vita Anicet.* Clericus „ nec comam nutriat, *Concil. Carthag. IV. Can.* 44. *Clerici qui comam nutriunt*, ab „ Archidiacono, etiamſi noluerint, inviti detondeantur, *Concil. Agath. Can.* 20.

ſancta, publica quædam ſuam in Clericalem ſtatum propenſionem teſtificandi ratio. Atque hinc citata mox Concilia minus de Tonſura hac ſollicita ſunt, quam ne quis ea ſolum a Sacerdote recepta, functiones Lectoris obeat, & e ſuggeſtu in Eccleſia Scripturas recitet.

3. Tonſura gratis ac perperam confunditur cum Pſalmiſtatu: *Gratis* quidem, quia tota Fagnani ratio hinc deducitur, quod Canones aliqui (& ſæpe ſpurii) Ordines recenſendo, a Pſalmiſtatu incipiant. Quaſi ſcilicet, eodem fatente, n. 55. & ſeq. alii Canones non incipiant a Lectoratu, alii etiam, ut cap. *Cleros*, diſt. 21. ab Oſtiariatu? Quaſi rurſum Ordo, qui primus conſtanter recenſeretur, idem neceſſario ſit cum Tonſura, quia hæc hodie ceteris Ordinibus præmittitur? *Perperam* vero 1. quia ſi Tonſura, non dico cum alio quopiam Ordine confundenda, ſed alicui Ordini, tamquam pars ipſius, vel potius veluti diſpoſitio ad ipſum, annectenda foret, maxime Lectoratui, quicum hodieque datur apud Græcos & Syros, & olim, ſi data eſt, dari debuit, ut probat Morinus p. 3. Exercit. 15. c. 4. 2. quia, juxta Adverſarium, Tonſura ubique vigere debuit; nec tamen certum eſt, Pſalmiſtarum ubique in ratione Ordinis viguiſſe; 3. denique quia Pſalmiſta, qui, teſte Fagnano, idem eſt ac Cantor, primario & eſſentialiter ad ſollemnem divini officii cantum ordinatur. Atqui in tota Tonſurandi Ordinatione, ne una quidem vocula eſt, quæ hunc ad officii divini cantum promoveri ſubindicet. Nec enim id deſignant, ſeu verba hæc, quæ Fagnano ſunt inſtar formæ: *Induat te Dominus novum hominem* &c. ſeu ullæ ex orationibus quæ eadem præcedunt aut ſequuntur. 31

4. Demum, neque ſi Tonſura idem certo fuerit cum Pſalmiſtatu, ſtatim certo colligi poſſit eam verum Ordinem eſſe. Ad minus enim incertum eſt an Pſalmiſtatus, ſaltem in Eccleſia Latina veri Ordinis rationem uſquam ſortitus fuerit. 1. quia Pſalmiſtæ a ſolo Presbytero ſine ſcientia Epiſcopi conſtituebantur, ut patet ex Canone 10. Concilii Carthaginenſis IV. ubi: *Pſalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi Presbytero: Vide ut quod ore cantas, corde credas*, quæ verba Iſidorus & Romanus Ordo exſcripſerunt. Atqui tunc temporis veri Ordines numquam ſine Epiſcopi miniſterio, licet forte non per illud ſolum, conferebantur: Ergo. Sed de his jam ſupra, c. 3. art. 1. n. 19. quem conſule. 32

Prob. 4 per Ordinem quemcumque confertur poteſtas aliqua ſpiritualis relative ad Euchariſtiam, proinde poteſtas non juriſdictionis ſolum, ſed & Ordinis, ut patet ex allata Ordinis definitione. Atqui per Tonſuram nulla hujuſmodi poteſtas traditur. Tota enim quæ per Ordinem datur poteſtas, in ejuſdem Ordinis collatione exprimitur. Atqui in collatione Tonſuræ nulla vel obiter indicatur poteſtas, quæ ad Euchariſtiæ miniſterium relativa ſit. Tota ejus vis, eaque dubio procul maxima, in eo eſt, quod laicum a priori ſuo ſtatu transfert ad clericalem, & idoneum facit ut ad Ordines aſſurgere poſſit, ſed nihil dat unde poſſit Clericus Sacris, ſpeciali & proprio jure, remote cooperari. Ergo habet ſe, vel ut Cathecumenatus ad Baptiſmum, vel, ſi mavis, ut Novitiatus ad Profeſſionem Religioſam. Quemadmodum igitur Novitius, licet jam ſegregatus a populo, multiſque fruens 33

privilegiis, necdum tamen Religioſos inter vere, numerari poteſt, ſic nec ſimplex Clericus, &c.

34 Neque invicta ſunt viginti duo Fagnani argumenta, quorum potiora propoſuimus. Unde

35 Ad 1. (ſupra n. 4.) 1. neg. maj. neque enim definit Innocentius, cum in privatis litteris non definiant Romani Pontifices; ſed adhibito Ordinis nomine loquitur, ut paſſim loquuntur, non modo Canoniſtæ, ſed & Theologi, quibus frequentius nihil eſt, quam ut hunc vel illum, qui ſola Tonſura donatus eſt, a tali Epiſcopo ordinatum eſſe dicant: licet Tonſuram Ordinibus non annumerent.

36 R. 2. neg. min. Poteſt enim Innocentius III. intelligi, ſeu de Ordine latius ſumpto, ſeu de Ordine prout novum importat vitæ genus. Quin & utroque vel alterutro ſenſu intelligendus eſt, ne particularis ejus opinio Tridentinæ Synodo non admodum placuiſſe dicatur. Et vero non interrogatus fuerat ſummus ille Pontifex an Tonſura eſſet ſtricte Ordo, ſed an ab Abbate data Monachis ſuis certo valeret. Reſpondet porro valere, quia ſi Abbas Lectoratum, qui & certiſſime Ordo eſt, & Ordo Tonſura ſuperior, valide conferat, a fortiori Tonſuram conferre poteſt. Etſi enim non ſemper valet argumentum a majori ad minus, valet tamen ut plurimum in iis quæ connexa ſunt, & quorum aliud ſe habet ut forma, aliud ut diſpoſitio ad formam. Sic qui baptizare poteſt, poteſt exorciſmos Baptiſmo præmittere, &c. Et ſic corruit tota Fagnani argumentatio.

37 Ad 1. confirm. (n. 5.) neg. maj. Quidni enim Eccleſia, cum certos gradus, certave officia conſtituit, certam inſtituat formam, qua neglecta iidem nec legitime, nec valide conferantur. Id dubio procul in ſpiritualibus poteſt Eccleſia, quod in temporalibus politici Principes. Hi porro & contractus, & officia, & gradus ſuos certis alligant formalitatibus, quæ neceſſario ſunt obſervandæ.

38 Ad 2. Confirm. (n. 6.) data eſt Eccleſiæ præſenti forma conferendæ Tonſuræ, ab iis qui Tonſuram inſtituerunt. Probet Fagnanus formam hanc a Chriſto, vel ab Apoſtolis datam eſſe.

39 Ad 3. Confirm. (n. 7.) præparatio ad formam non eſt quidem ipſa forma, ſed Ordo late ſumptus poteſt eſſe præparatio ad Ordinem ſtrictius ſumptum. Interim adverſarius Catechiſmo Tridentino, ſupra n. 24. directe contradicit.

40 Ad 2. (n. 8.) dato quod Cantoratus apud Græcos aliquando fuerit verus & ſpecialis Ordo, non poteſt probari quod & gradum hunc in Eccleſia Latina paſſim obtinuerit, & multo minus quod idem fuerit cum Tonſura; neque id ſuadet duplex Fagnani cavillatio. Non prima, quia ſi tonſura ſit ipſe Pſalmiſtatus, quia is infimo loco recenſetur in Concilio Laodicæno, uti nunc Tonſura: erit hæc eadem Tonſura quid unum cum Oſtiariatu, quia is etiam pluribus in locis infimo loco, inſtar primi gradus, commemoratur, teſte eodem Fagnano, ſupra n. 27. Non ſecunda, quia, ut jam diximus, ne una quidem occurrit vox in inſtitutione Clerici, quæ innuat eum ad cantum Officii ſpecialiter deputari. Iſtud quidem munus Pſalmiſtis olim in Eccleſia Carthaginenſi demandabatur, ſed a ſolo Presbytero, *abſque ſcientia*, nedum cum

par-

participatione Epiſcopi. Suppreſſo deinde Cantoratu, forte quia ineptum viſum eſt id uni cuipiam Ordini tribuere, quod ab omnibus factitandum erat, ne ipſi quidem Tonſurati ad cantum Ordinati ſunt. Unde non alia de cauſſa hodieque a cantu degradantur, quam quia jam officium illud ſibi eum aliis commune, clericaliter, ſeu ſuperpelliceo induti, exercere non poſſunt.

Ad 3. (ſupra n. 9.) neg. maj. ad degradationem enim ſufficit, ut quis omni privilegio Clericali, & Ordine etiam improprie dicto ſpolietur in perpetuum. Porro Ordinis nomen, cum de Clerico degradando agitur, improprie ſumi, liquet ex ipſo Jure, quod extra Ordines ſeptem communiter receptos, nullum alium proprie dictum agnoſcit, prout demonſtrant probationes noſtræ. 41

Ad 4. (num. 10.) nego iterum maj. neque enim ad Ordinem verum ſufficit ut cum ſigni alicujus traditione pronuntientur verba; ſed requiritur ut verba perinde ac ſignum ſint ex inſtitutione Chriſti. Alioqui tot eſſent Sacramenta, quot ſunt in Eccleſia ritus, qui verbis & ſignis conſtant: quod abſurdum eſt. 42

2. Neg. min. neque enim ſuperpellicei traditio, & quæ ei reſpondent verba, inſtar materiæ & formæ ſacramentalis haberi poſſunt: quia materia ſacramentalis, ſi non in genere rei, at ſaltem in genere ſigni quocumque ævo ſubſiſtere debet. Atqui tamen Pſalmiſtatus, qui Fagnano idem eſt cum Tonſura, ſine materia ulla a Presbytero conferebatur, ſaltem in Eccleſia Africana, ut liquet ex citato Canone 10. Concilii IV. Carthagin. ſupra n. 32. 43

Ad 5. (ſupra n. 11.) continetur Tonſura ſub Ordine, quia ſuo modo ad Ordines ſpectat, non quia ſit ritus ſacer. Nihilominus qui ipſos etiam Clericos anguſtiant, non *humanas* modo, ſed & *divinas* leges infringunt; quia vult Deus, ut quos ſibi Miniſtros accivit Eccleſia, ii ſpecialiter ab omnibus honorentur. Dubio procul ordinationi Dei reſiſtit, qui rebus ab Eccleſia conſtitutis reſiſtit. 44

Ad 6. (n. 12.) neg. maj. requiritur enim inſuper divina inſtitutio, & deputatio quædam ad functiones circa Euchariſtiam, ſaltem remote obeundas. Neutrum autem ſimplicibus Clericis competit. 45

Ad 7. S. Thomas ſub Sacramento Ordinis ipſas etiam ad Ordinem diſpoſitiones complexus fuit, neque aliter intelligi poteſt, cum tonſuram ab Ordinibus diſerte excludat. Ceterum allata Congregationis deciſio, cujus nec dies, nec annus authentice citatur a Fagnano, ſi Beneficii collationem Clerico necdum confirmato factam, non illicitam tantum, ſed & invalidam eſſe decernat, non viget in Gallia, quæ nullas agnoſcit irregularitates, niſi quæ in publicis Eccleſiæ legibus continentur. 46

Ad 8. neg. min. ſicut enim ſupplentur exorciſmi Baptiſmo prævii, licet ſint meræ ad Baptiſmum præparationes; ſicut etiam ſupplentur minores Ordines prætermiſſi, licet eo fine inſtituti ſint, ut ad ſuperiores diſponerent; ſic poteſt, & utcumque ſuppleri debet Tonſura, licet ordo non ſit, ſed præparatio ad Ordinem. 47

Ad 9. patet ex dictis Tonſuram male haberi pro Cantoratu: nec probari certo poſſe Cantoratum veri umquam Ordinis rationem ha- 48

buiſſe. Neque vero Ordinem Sacramentalem probat miniſterium, ſed divina inſtitutio.

49 Ad 10. neg. min. ex eo enim quod multa multi momenti privilegia Tonſuræ paullatim attributa fuerint, ſequitur equidem hanc eſſe quid graviſſimi; at Ordinem eſſe, aut etiam Sacramentum, neutiquam conſequitur. Et vero patroni laici plurimum in Beneficiis poſſunt, vixque dubium eſt quin ſęcularis cenſuras extraordinario jure decernere valeat, prout dixi Tom. 2. p. *16.* quid ergo mirum, ſi plura poſſit qui jam Eccleſiaſtico caractere inſignitus eſt? Interim numquam probabit Fagnanus privilegia quæ Clericis hodie competunt, Pſalmiſtis olim competiiſſe.

50 Ad 11. (Supra n. 17.) non extenuari debent quæ ſcripta ſunt, cum nulla gravis incumbit extenuandi ratio. Eſt porro cur Sixti V. verba tenuiori, ſeu latiori ſenſu interpretemur; ne ſcilicet vel diſſentiat a Tridentina Synodo, ſupra n. 20. & ſeq. vel inſtar Ordinis Sacramentalis admittat cęremoniam, quæ nullo Scripturę aut priorum Patrum teſtimonio adſtrui poteſt, quod rident hæretici. Ceterum vel ipſa Tonſura res ſacra & divinum munus appellari poteſt; quia quidquid inſtituit Eccleſia ad Dei cultum, in aſſidentem ei Spiritum Sanctum refundi debet. Habet & caracterem ſuum Tonſura, quia certos homines in Eccleſiæ miniſterium, Deo intus ad ejuſdem Eccleſiæ preces operante, conſignat: & ideo cum *aliis* Ordinibus nominatur, quia ad eos reductitie pertinet, atque diſponit.

51 Ad 12. (ſupra n. 18.) conſtat ex dictis Tonſuram ab Ordinis veri gradu pluries excluſam fuiſſe per Romanas Congregationes. Ergo cum eædem nihilominus in Tonſurato caracterem admittunt, palam eſt eas de caractere improprio loqui, vi cujus nempe Tonſura ab habente poteſtatem collata, licet illegitime, non debet iterari. Et hæc animadverſio ad ſolvendas pleraſque hujus materiæ difficultates ſufficit. Si enim ex una parte certum ſit, Tonſuram a Congregationibus non haberi pro vero Ordine; ex alia vero eaſdem Congregationes in Tonſura caracterem quemdam lubenter admittere; certum ex conſequenti videtur, voces *rei ſacræ*, *divini muneris*, *Ordinis*, ac demum *caracteris*, largius pro ſubjecta materia interpretandas eſſe.

52 Conclusio II. Tonſura per modum coronæ non modicæ eſt antiquitatis: eſt tamen Apoſtolico ævo poſterior.

53 Prob. 1. pars 1. ex Sidonio Apollinari, qui circa medium ſęculi V. Lib. 4. Ep. 13. de S. Germanico ſcribit: *Veſtis ejus adſtricta... crinis in rotæ ſpeciem accifus:* quæ tamen poſtrema verba non minus decurtatos crines, quam raſam medio in capite partem exhibere poſſunt. Præſertim cum idem Ep. 24. id unum de Claudiano, ſanctiſſimo Sacerdote referat, quod *crinem barbamque non paſceret*.

54 2. Ex Gregorio Turonenſi, apud quem ſæpius recurrunt hæc verba: *Tonſuratus eſt*, *tonſurari ſe fecit*. Sic l. *6.* c. *9.* de Badegeſilo, Majore Regiæ domus, dicit: *Qui tonſuratus, gradus quos Clerici ſortiuntur, aſcendentes* &c. & Lib. 5. c. 5 *Mundericus a Rege ... tonſuratus, Epiſcopus ordinatur*, &c. Hæc porro ſexti ſęculi uſum referunt.

55 3. Ex vita S. Audoeni, ubi c. 8. *Clerici Tonſuram accepit, uno eodemque*

que tempore etiam ipſo Eligio viro Dei comam ponente. Obiit porro Eligius an. 659. & Audoenus an. 683.

4. Idem mos late invaluerat ſæculo VII. ut patet, tum ex S. Iſidoro, qui Lib. 2. de officiis Eccleſ. c. 2. ait: *Quod tonſo capite ſuperius, inferius circuli corona relinquitur, Sacerdotium, regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari*; tum ex Synodo Toletana IV. quæ an. 633. can. 41. *Omnes Clerici*, inquit, *detonſo ſuperius capite, inferius ſolam circuli coronam relinquant*. Idem videſis apud Bedam, Rabanum Maurum, & alios plures, quos adducit Morinus part 3. Exercit. 15. cap. 1. 56

Et vero Gregorius Turonenſis, cujus mortem an. 596. conſignat Bellarminus Lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. Tonſuræ inſtitutionem ad S. Petrum refert Lib. 1. de gloria Martyrum; quod & faciunt Ceolfridus Abbas apud Bedam, Amalarius, Ratramnus, &c. Atqui licet hoc in puncto aberraverint, ut ſtatim videbitur, hinc tamen conſtat Tonſuram jam tunc moris fuiſſe antiqui; cum origo illius viros etiam eruditos lateret. Utique cum exeunte ſæculo V. S. Nicetius, qui poſtea Trevirenſes infulas promeruit, hujuſmodi Tonſura inſignitus prodiiſſet ex utero matris, ſpectatum id fuit tamquam futuri ejuſdem Clericatus indicium, teſte eodem Gregorio Turonenſi, in vita SS. Patrum cap. 17. Ergo idem quod ſupra. 57

Prob. 2. pars, 1. quia qui Tonſuræ originem ad Apoſtolica tempora referunt, nituntur potiſſimum Epiſtola Aniceti Papæ ad Epiſcopos Galliæ inſcripta; quæ a Gratiano refertur diſt. 23. c. 2. & præcipit *ut Clerici, juxta Apoſtolum, comam non nutriant. Sed deſuper caput in modum ſphere radant*. Atqui hæc Epiſtola, neque eſt Aniceti, ut jam fatentur eruditi omnes, nec primævæ antiquitatis; cum & in ea occurrant laciniæ ex S. Leone deprompte, & Archiepiſcopi nomen, quod vix, ſi alicubi tamen, ante Epiphanium reperiri poſſit. Dempta vero iſta hac auctoritate, nihil ante ſæculum quartum detegi poteſt, quod coronam a Clericis in capite geſtatam fuiſſe oſtendat. Sæpe quidem Clericis, ad Apoſtoli normam, præſcriptum eſt, *ne comam nutrirent*, ut a Concilio Carthag. IV. Cap. 44. At ut in ſpheræ modum raderent caput, nec juſſum eſt, nec juberi potuit. Unde 58

Prob. 2. quia non eſt veriſimile, Clericos, in quos potiſſimum deſæviebat perſecutio tribus prioribus ſæculis, externo Tonſuræ ritu, non a gentilibus modo, ſed & a ceteris fidelibus ſeſe diſtinctos voluiſſe: immo neque id velle poterant, quia ſic temere & gratis certæ ſe morti obtuliſſent. 59

Obj. 1. Tritum iſtud Auguſtini contra Donatiſtas: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper cuſtoditum invenitur, nonniſi ab Apoſtolis traditum rectiſſime creditur*. Atqui Clericalis corona, 1. in uſu erat Auguſtini tempore, ut patet ex his ejus verbis Epiſt. 47. ad Proculejanum, Donatiſtam Epiſcopum: *Honorant nos veſtri, honorant vos noſtri: per coronam noſtram nos adjurant veſtri, per coronam noſtram vos adjurant noſtri*. 2. Eadem Corona a nullo Concilio inſtituta legitur. Ergo. 60

R. in minore addendum erat uſum coronæ ſemper & ubique cuſtoditum inveniri. Porro nedum inveniatur uſum hunc ſemper cuſtoditum fuiſſe, evidenter probatur eum, ſæviente perſecutionis æſtu, cuſtodiri non potuiſſe. Ceterum an corona, quam commemorat Auguſtinus, ejuſ- 61

dem

dem cum noſtra rationis foret; an item ſacro quodam ritu conferretur; annon ſolum foret *crinis in rotæ ſpeciem acciſus*, prout ſupra loquebatur Sidonus Apollinaris, ex Auguſtino definiri non poteſt.

62 Obj. 2. Conſtat ex aliquot Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis Sacerdotes quoſdam ex Corona ſua agnitos fuiſſe. Sic Benignus Presbyter, quem ex tonſi capitis corona deprehendit Comes Bonifacius, uti in Actis Divionenſis Eccleſiæ videre eſt apud Martenium. Sic & Sacerdos nomine Theodorus, ab Ethnicis, regnante Juliano Apoſtata, ſupplicio extremo affectus eſt, quia pueros, tondendo, in Clerum cooptaret, uti ex Ammiano Marcellino probat Baronius ad an. 58. nu. 128.

63 R. fieri potuiſſe ut Sacerdotes nonnulli ex ſingulari comæ in ſpheram reciſæ modeſtia cogniti fuerint: at neutiquam hinc colligere eſt eos Clericali Tonſura, noſtræ ſimili, a laicis fuiſſe diſtinctos: alioqui non unus, aut alter, ſed omnes brevi tempore ſub perſecutorum gladio cecidiſſent.

64 Quod ſpectat ad Ammiani textum, ex quo incerta plura commentatur Baronius, ait ille tantum illatam Theodoro necem, quia *Cirros puerorum licentius detondebat*. Id autem de pueris in Clericos cooptatis interpretari, niſi fallor, divinare eſt. Sane vix credi poteſt infidelium filios a Theodoro, Clericorum Ordini adſcriptos fuiſſe. Atqui tamen probabile eſt ipſos etiam Ethnicorum filios a Theodoro illo licentius detonſos fuiſſe. Nec enim ægre adeo tuliſſent Gentiles, ut pueri Chriſtianorum, qui jam ubique locorum vivebant more ſuo, tonderentur. Ut ut eſt, aliud eſt cirros puerorum reſecare, aliud Clericalem Tonſuram largiri, quod tunc ſimplici Presbytero licitum non fuiſſet.

Quæres an eadem ubique fuerit Tonſuræ figura.

65 R. triplicem olim ab Anglis Tonſuræ ſpeciem diſtinctam fuiſſe, uti ex Bedæ Hiſtoria Anglica obſervat Morinus cit. Exercit. 15. c. 2. n. 9. Prima dictitabatur Tonſura S. Petri, eaque in uſu erat apud Occidentales Catholicos; ſecunda S. Pauli, quam gerebant Orientales; tertia Simonis Magi, quæ a Britonibus, Scotis, & Pictis uſurpabatur. Orientalium, ſeu Pauli Tonſura, illius erat ſimilis quam gerunt Monachi noſtri, vel potius quam gererent, niſi glorioſæ ſui ſtatus humilitatis obliti, comam nutrire, ſæcularium inſtar, atque etiam adſcitiis crinibus ementiri amarent. Orientales itaque non novacula, ſed forcipe, totum fere occiput, & magnam ſincipitis partem tondebant; ſic tamen ut cutis non appareret, ne, ut ait Hieronymus in cap. 44 Ezechiel. *Raſis capitibus, ſicut Sacerdotes, cuſtodeſque Iſidis atque Serapidis eſſe* apparerent. *Juxta quod*, inquit, *diſcimus*, nec *calvitium novacula eſſe faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed in tantum capillos eſſe dimittendos, ut operta ſit cutis*. Porro S. Doctor qui ſenex erat, cum in Ezechielem commentarios edidit, licet univerſim, & citra diſtinctionem Orientis ab Occidente, loqui videatur; de Oriente tamen potiſſimum, meo quidem judicio, intelligi debet; tum quia in ea magnam vitæ partem tranſegerat; tum quia cum in his partibus frequentior eſſet Iſidis & Serapidis cultus, majus erat periculum ne Chriſtiani Sacerdotes Ethnicis Miniſtris ſimiles eſſe viderentur.

Occi-

Occidentales, vero, ſi non ubique ſtatim, at multis in locis aliquam 66
capitis partem in ſpheræ modum radebant. Quamquam ſolida eſt Morini conjectura ibid. nu. 1. Clericos olim duplicem geſtaſſe coronam, majorem ſcilicet Orientalium more, & in ejus umbilico minorem, quæ, uti nunc, cum novacula fieret. Neque id hodieque a nonnullorum Religioſorum moribus alienum eſt.

Quod ſpectat ad Tonſuram, quæ dicebatur Simonis Magi, cenſet 67
Morinus eod. c. 2. nu. 9. Chriſtianos Anglos, qui Tonſuræ ſuæ Petrum faciebant auctorem, Tonſuram gentilem, quam gerebant Britones & alii, in ludibrium & execrationem Simoni Mago attribuiſſe. Contra vero Baronius ad eumdem an. 58. nu. 130. Simonem, (forte quia Petri æmulum) quoddam Tonſuræ genus excogitaſſe ſcribit; quod eſſe poteſt, ſed fuiſſe non probatur. Ut ut eſt, illam Simonis ſeu Britonum Tonſuram ſic deſcribit Ceolfredus (qui an. 710. florebat, juxta Tillemontium nota 48. in S. Petrum) apud Bedam, Lib. 5. Hiſt. Anglor. c. 22. pag 248. & ſeq. *Qua aſpectu in frontis quidem ſuperficie coronæ videtur ſpeciem præferre; ſed ubi ad cervicem conſiderando perveneris, decurtatam eam quam te videre putabas, invenies coronam: ut merito talem Simoniacis, & non Chriſtianis, habitum convenire cognoſcas.* Hæc ille quæ Commentario indigere, ut mihi, ſic aliis forte videbuntur.

ARTICULUS SECUNDUS

De Tonſuræ cauſſis & ritibus.

VArias varii inſtituendæ olim Tonſuræ cauſſas referunt; & quidem 68
1. Ceolfredus ille, de quo jam ſupra, in Epiſt. ad Naitanum Pictorum Regem, quam refert Beda cit. Lib. 5. c. 22. *Neque ob id*, ait, *in coronam attondemur, quia Petrus ita attonſus eſt; ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ paſſionis ita attonſus eſt: idcirco & nos qui per eamdem paſſionem ſalvari deſideramus, ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte, geſtamus.* Verum ſi Tonſura in memoriam Dominicæ paſſionis inſtituta eſt, at certe non a Petro, ut liquet ex dictis. Non deſunt antiquæ Petri imagines, quæ ex antiquioribus pingi aut exſculpi potuerunt, uti notat ibid. Tillemontius: eæ vero calvum Petrum, at nullo modo ſpherice attonſum exhibent.

2. Auctor Operis inſcripti, *Gemma animæ*. Lib. 1. c. 195. paullo ali- 69
ter cæremoniæ hujus originem indicat; *Petrus*, inquit, *a gentibus captus, & ad ludibrium Chriſtianorum traditus, barba raſus & capite decalvatus* eſt. *Quod ipſe deinceps in miniſterio fieri juſſit, quod incredulos, quamvis inſcios, tamen Deo permittente, in figuram operatos intellexit. Sicut & crux olim fuit ſubſannatio, nunc eſt Eccleſiæ gloriatio.* Idem erat S. Germani, Epiſcopi CP. ſenſus. Concinit ex parte Gregorius Turonenſis Lib. de gloria Martyrum cap. 8. ubi hæc ſcribit: *Petrus ad humilitatem docendam Caput deſuper tondi inſtituit.*

Verum etſi Latinis ac Græcis Ethnicis tonderi ignominioſum erat; 70
unde Cajus, teſte Suetonio c. 35. *Pulcros & comatos, quoties ſibi occurrerent, occipitio raſo, deturpabat;* quo dedecore & Apollonium Tianæum,

ex

ex Philoſtrato Lib. 7. & Joannem Evangeliſtam ex Prochoro cap. 10. affecit Domitianus: Nulla tamen Veterum certa vel incerta auctoritate compertum eſt, Petrum hanc raſi capitis labem ſuſtinuiſſe. Neque is erat Apoſtolorum princeps, qui gloriam hanc ſuam (ſunt enim Chriſtianis opprobria in gloriam) ſollemni ritu in Eccleſia celebrari vellet: præſertim, cum hinc ſtatim deprehenſi ab Ethnicis fuiſſent quicumque Clero addicti erant. Moram non facit ſeu Germanus CP. octavi ſæculi Scriptor, ut qui an. 730. diem clauſerit, ſeu Auctor *Gemmæ*, vel coævus Germani, vel non multo antiquior, ſeu Gregorius Turonenſis, cui applicari poſſunt hæc Amalarii verba Lib. de divinis Officiis, cap. 15. *Interrogatur ab aliquibus quis primus tonſus ſit more noſtro: Legi in Epiſtola cujuſdam viri, Petrus: ſed quia non tantæ*, quantum ad facta hæc prioris ævi, *auctoritatis eſt, maluimus eam præterire*. Subdit Amalarius, *non tamen abs re eſſe, ſi dixerimus, Petrum, vel aliquem ejus ſucceſſorem primo fuiſſe tonſum more noſtro; quoniam ab illa Eccleſia ſumptus eſt ille uſus, in qua illi ſederunt*. Quæ ſi de proximis Petri Succeſſoribus intelligantur, vera eſſe non poſſunt.

Tillem. p. 565.

71 Melius itaque, remota fictitia Petri inſtitutione, dixeris, ſeu cum Ceolfrido, tonderi Clericos, *ut ſe etiam irriſiones & opprobria pro Chriſto libenter ac prompto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio* doceantur: ſeu cum eodem, *ut coronam vitæ æternæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſemper expectare, proque hujus perceptione & adverſa ſe mundi & proſpera contemnere deſignent*; ſeu cum S. Iſidoro Lib. 2. de Officiis Eccleſiaſt. c. 4. *ut hoc ſigno in religione vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ, quaſi crinibus exuamur*; ſeu ut Clerici ad pœnitentiam informentur, quia olim pœnitentes ſolebant tonderi; ſeu, quod ad utrumque accedit, ut profiteantur, ſe & pompæ ſeculari, & inanibus fluxæ vitæ curis nuntium remittere; ſeu demum, ut intelligant vocari ſe ad regale illud Sacerdotium, cujus dignitas, quæ non *eſt de hoc mundo*, & de propriis paſſionibus, jugi labore, & de alienis, verbo & exemplo triumphat.

72 Jam agendum de Tonſuræ ritibus & eorum ſignificatione.

73 Quod ſpectat ad ritus Tonſuræ, ſunt ii potiſſimum quatuor, 1. enim Ordinandi ſæcularem habitum deponunt, & nigra ſimulque talari veſte induuntur.

74 2. Iiſdem cum ſuperpelliceo ſuper brachium ſiniſtrum, & cereo in manu dextra, coram Pontifice mitra cooperto genuflexis, invitat idem Præſul aſſiſtentes, ut per preces ſuas in hos famulos ſuos, *qui ad deponendum comas capitum ſuorum pro ejus amore feſtinant*, alliciant *Spiritum Sanctum qui habitum religionis in eis in perpetuum conſervet* &c.

75 „ 3. incepto Pſalmo, *Conſerva me*, Pontifex cum forficibus incidit „ unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fron- „ te, in occipitio, & ad utramque aurem, deinde in medio capitis „ aliquot crines capillorum, & in bacile deponit: & quilibet, cum „ tondetur, dicit: *Dominus pars hereditatis meæ*, &c.

76 4. Poſt geminam orationem, & recitatum inter utrumque Pſalmum *Domini eſt terra*, &c. Pontifex ſuo quemque ſuperpelliceo induit cum his verbis: *Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis*: quæ verba a piis quibuſcumque Cleri mem-

membris recitantur, quoties ſuperpelliceum induunt: *indue me, Domine, novum hominem*, &c.

Ex iis porro ritibus ne unus quidem eſt, qui non ſit plenus ſenſu; 77
& ad inſtillandos veræ pietatis affectus habilis.

1. Itaque initiandus exſpoliat ſe omnibus ſæculi ornamentis, quæ 78
Pontificalis Liber *ſæculi ignominiam* merito nuncupat. Scilicet enim Tonſura ſe habet ad Sacerdotium, ſicut ad profeſſionem Religioſam Novitiatus; cum hoc tamen diſcrimine, numquam ſatis penſando, ſed heu! numquam penſato ſatis, quod Monaſtica profeſſio ſit ſtatus acquirendæ perfectionis, quæ prohinc ſolam deinceps benefaciendi cupidinem prærequirit: contra vero Sacerdotium ſtatus eſt perfectionis jam comparatæ. Quemadmodum igitur qui de Profeſſione Regulari amplectenda cogitat, ejuſque tyrocinium ingreditur, ſæcularem habitum, comam, & quidquid mundanum faſtum redolet, jam a limine deponit; ſic & Tonſuræ candidatus, ut mundo vale dicat, mundi inſignia generoſe abjicit, & lugubri Religionis veſtitu induitur, ut nihil jam ei ſit cum mundanis commune. Hinc qui ineunte ſæculo V. clarebat Ennodius, e Diacono Ticinenſis Antiſtes, Lib. 11. Epiſt. 14 ad Camelam: Si filium tuum *ſæculo ſubtraxeris, mundi in eo ſchemata non requiras.* Caveat ergo quiſquis Clericus eſt, ne pacti coram Deo & Altaribus fœderis temere violator, eorum quid reſumat quæ ſollemniter abjecit; & amicis ad ignominioſam hanc defectionem inimice ſollicitantibus, cum Sponſa Cantic. 5. reſpondeat: *Exſpoliavi me tunica mea, quomodo iterum induar ea.*

2. Geſtatio ardentis candelæ initiandos docet ſibi nunc præſertim 79
incumbendum eſſe ut *luceat lux* ipſorum *coram hominibus*, qui hinc cæleſtem *Patrem glorificent.*

3. Superpelliceus, quem in ſiniſtro brachio gerunt, cum ſuas inter 80
arma Clericalis militiæ partes habeat, oſtendit id ab iis enixe optari, ut ſacræ huic militiæ adſcribantur.

4. Capillorum detonſio quatuor ſignificat & monet, 1. Clericum Deo 81
ad inſtar Nazaræorum antiquæ Legis conſecrari. De his enim, qui ut indicat Nazaræi nomen, a laicis ſeparati erant, ſic Lege præſcriptum erat Num. 6. *Radetur Nazaræus ante oſtium Tabernaculi Fœderis.* Et paullo ante: *Omnibus diebus conſecrationis ſuæ ſanctus erit Domino.* Sic & nonnihil e pilis animalis Domino immolandi radebat ſacerdos. 2. eumdem Clericum non ſolum Domino conſecrari, ſed & ejus ſervum ac mancipium effici. Sic enim iis olim capilli abſcindebantur, qui ſervituti mancipabantur. 3. & 4. eum & ſuperfluitatibus hujus vitæ, & ſæculi vanitatibus nuntium remittere. Prolixa enim cæſaries ſuperfluitatem exprimit; ut & nimia comæ cura vanitatem. Unde qui flectendis calamiſtro crinibus deſudant Clerici, adverſus ipſam Tonſuræ inſtitutionem delinquunt.

5. Detonſio hæc in modum crucis facta, Græcos apud & Latinos 82
tacita quædam eſt adhortatio, Clericum armans ad patientiam; ut jam ab initio intelligat, ſe non ad quietem & delicias, ſed ad laborem & tribulationes vocari; *ſibique in Clericali miniſterio cavillos mundi, irriſiones, cachinnos, illuſiones, ſannas negligenda eſſe noverit.*

6. de-

83 6. depoſita ſæculari veſte clericalem induit ſacer Novitius. Hæc duplex eſt, alia communis in uſum quotidianum; ſollemnis alia, quæ a ſæculo duodecimo dicitur ſuperpelliceus, eo quia ſuperponatur vulgaribus veſtimentis, quæ apud delicatiores erant Caſtorina, apud ceteros pellicea, quorum hodieque nonnulla ſuperſunt veſtigia in Canonicorum Almutiis, quas Victorini in ſumma humerorum parte, ceteri communiter in brachio ſiniſtro gerunt; cum eas primitus e capite pendentes deferrent, ut liquet ex Concilio Baſileenſi ſeſs. 21. & Senonenſi an. 1528. cap. 18.

84 Porro quemadmodum depoſitis capillis & ſæculari habitu teſtatur Clericus ſe veterem hominem cum actibus ſuis exuiſſe, ſic & ſuperpellicei receptione novum hominem induere profitetur. Is autem novus homo potiſſimum in carnis munditia per ſuperpellicei candorem expreſſa conſiſtit. At ſicut linum, quod *ex ſe candidum non eſt; ad ſummum candorem multa vexatione & ablutione* perducitur, *ut aptum fiat indumentis Pontificum*; ſic *caro ſacerdotalis*, quæ *hanc munditiam ex ſe non habet*, exigit *ut ſecundum Apoſtolum Sacerdotes carnem ſuam caſtigent, & inſervitutem redigant; & præeunte gratia habeant per induſtriam, quod non potuerunt habere per naturam*. Sic Yvo Carnotenſis.

85 Sollemnem hanc ſuam veſtem geſtare debent Clerici, quoties divinis interſunt Officiis, præcipue vero cum Miſſæ inſerviunt. Utique ſi Aulæ proceres ſuo coram terreſtri Rege officio non defunguntur, niſi ſuis inſignibus, quandoque incommodis, ornati; quanto plus inſignia Chriſti qui *Rex Regum* eſt, *& Dominus Dominantium*, exultanter præferre debent Clerici? Confert ſane ad cultus divini magnificentiam, & ſacrum quemdam adſtantium tremorem ſplendens ille ornatus: ita ut animo perſentiant id quod ſenſit Regina Saba, quæ Reg. III. cap. 10. *videns ſapientiam Salomonis, & ordinem miniſtrantium, veſteſque eorum, non habebat ultra ſpiritum*. Senſit id multo profundius impius ille Valens, qui conſpectis in Cæſarienſi Eccleſia, tum Baſilii, tum univerſi Cleri dignitate ac modeſtia, eo uſque percuſſus eſt, ut caligantibus oculis, & incerto ac vacillante pede, quaſi fulgure ictus cecidiſſet, niſi Clericorum unus adjutricem manum labanti porrigere feſtinaſſet.

86 Quod ſpectat ad communem habitum, quo Clerici a Laicis exterius ſecernuntur, exigit ipſius conditio, ut eum ſummopere revereantur qui ſacræ militiæ nomen dederunt; utpote qui *habitus ſancti nominis* a Salviano, *ſacra veſtis* a Balſamone, *habitus religioſus* a Sidonio, ac demum *habitus Religionis* in Pontificali Romano nuncupetur: Religionis, inquam, non ab homine, ut Monaſticæ Religionis, ſed a Chriſto ipſo inſtitutæ. Ergo & devote ſuſcipiendus eſt, & religioſe deferendus. Quod utique non faciunt,

87 1. Qui ceco furore, ſe ipſos veluti degradantes, ſacra hæc Chriſti inſignia ſibimetipſis detrahunt, & ad ſæcularis habitus ignominiam ſponte revertuntur; quod malum Tridentina Synodus ſeſſ. 23. c. 6. de reform. ut plectat, fictitiis id genus Clericis fori privilegium adimit; & niſi, *ab Epiſcopo ſuo etiam per edictum publicum moniti* reſipiſcant, *ab Ordinibus ac Officio & Beneficio* ſuſpendendos eſſe decernit ſeſſ. 14. cap. 6.

88 2. Qui *pedem in diverſis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus,*

non

non equidem Clericali tunica exuunt ſe, ſed hanc ad formam, elegantiam & morem a ſæcularibus ſuo in veſtitu obſervari conſuetum componunt: adeo ut in eorum ornatu non jam modeſtia, religio, & humilitas, germana Chriſti Schemata, eluceant; ſed mundi luxus, vanitas, oſtentatio, ignominia demum ſæcularis habitus, propria diaboli inſignia conſpiciantur. Unde, ut olim ajebat Apoſtolus II. Corinth. 6. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate.... Quæ conventio Chriſti ad Belial;* ſic & ad iſtos Semiclericos non inepte dixeris: Quis conſenſus odorati pulveris, & comæ in cincinnos docta manu diſtinctæ cum ſigno Crucis Chriſti in Clericorum capitibus expreſſo. Hæc utique ſacræ veſtis depravatio, cum ejus ſanctitatem violet, quamdam præfert ſacrilegii ſpeciem.

Trid. ibid.

89 Nec eſt quod reponat mundana phalanx, de moribus curam eſſe Deo, non de veſtimentis. Iſtud enim ſubterfugium jam pridem Tridentina Synodus omnino præcluſit ſeſſ. 14. c. 6. ubi hæc: *Etſi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos..... per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam* oſtendere. Præiverat diu ante S. Bernardus Lib. 3. de conſiderat. cap. 5. his verbis: *Forma hæc veſtium, deformitatis mentium & morum ſpecimen eſt*. Et Apolog. de moribus Relig. c. 9. *Vanam cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior ſuperfluitas vanitatis indicium eſt: Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus.*

90 3. Qui licet ceteroqui Clericalem habitum cum exteriori quacumque decentia gerant, non tamen eo prorſus modo vivunt, qui ſacræ quam ferunt veſtis ſanctitatem digne exprimat: quod contingit, tum iis qui juniores Clero adſcripti, pueriles ludos, profanas exercitationes, rixas item & pugnas quandoque non refugiunt, tum & iis etiam qui ætate maturiores, facetiis ſcurrilibus, aliiſque quæ gravitatem Eccleſiaſticam non ſapiunt, nimio delectantur. Ponderent utrique nota hæc, ſed vix umquam ſatis ponderata Synodi Trid. verba ſeſſ. 21. cap. 1. de reformat. *Sic decet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos, vitam moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, greſſu, & inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nihil niſi grave, modeſtum, ac religione plenum præ ſe ferant: levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.*

91 Hæc etſi jam prolixa ſunt, nimio pluribus tædium paritura, juvat tamen paulliſper immorari verbis, quæ profert Clericus, dum ei capillorum extrema incidit Pontifex: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei*, &c. Ea profecto vel leviter meditata ſatis indicant Clericum abjecta mundanorum praxi, qui ponunt bracium carneum ſpem ſuam; unum jam Deum uti totum ſuum ſectari velle, ut non in hac quidem vita, quæ ſolum corruptibiles coronas offert, ſed in futura *centuplum* accipiant *cum perſecutionibus*, quæ calicis nomine in ſcripturis ſæpius deſignantur, puta Matth. 20. 22. *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?*

92 Atque hinc ſequitur Tonſuram, ut quæ totum hominem Deo, tamquam uni ipſius hereditati devoveat, vel theatralem comœdiam eſſe, vel ſanctioris diſciplinæ profeſſionem complecti. Idque & ab iis penſandum, qui de Clericali ſtatu ineundo cogitant, & multo plus ab

eo-

eorum directoribus, ne ſacrilegam, quæ nunc ubique ferme de Tonſura, tamquam puerili ritu obtinet, ideam foveant; & Clero, velut ſtrenuos Chriſti milites inſcribi permittant, quos, ſi necdum tincti eſſent, nemo ad Baptiſmum facile admiſerit.

93 Jam vero quod Tonſura nihil aliud ſit quam ſanctioris vitæ profeſſio, liquet 1. quia Tonſura ſe habet ad Ordines, ſicut ad Monaſticam profeſſionem Novitiatus Regularis. Ergo ſicut Novitiatum tuta conſcientia ingredi non poteſt, niſi qui ratus ſe legitime vocatum eſſe, ſeria Regularum omnium obſervantia experiri vult an tanto oneri par ſit vel impar: ſic neque Clericatum, niſi eodem modo affectus ſit, ſuſcipere quis poteſt. Quin & eo major eſſe debet affectus ille in Clerico atque proficiendi ſtudium; quo major eſt & perfectior Monaſtico ſtatu ſtatus Sacerdotalis. Iſtum enim illo digniorem eſſe & ſanctiorem hinc patet, quod Monacho ſatis ſit, ſi ad ſummam virtutem devenire conetur; hanc vero Paſtor jam debeat attigiſſe; quia illius conditio eſt perfectionis acquirendæ, iſtius vero perfectionis jam acquiſitæ, ex conſtanti Theologorum Pariſienſium Doctrina. Hinc juxta S. Auguſtinum Epiſt. 60. alias 76. bonus Monachus bonum vix Clericum & Paſtorem facit; & ideo, ait S. Doctor, *ex iis qui in Monaſterio permanent, nonniſi probatiores atque meliores in Clerum aſſumere ſolemus*. Quod & efficaciter docet S. Bernardus Serm. 12. in Cant. ubi adverſus ipſum redarguentes quod ſibi ſoli, non aliis prodeſſet, oſtendit Monachum, niſi *de muliere*, id eſt de tenui & infirmo, *in virum, & virum perfectum profecerit, in opus perfectionis*, quale eſt paſtorale animarum regimen, *aſſumi* non poſſe. Unde obiter colligit, quem in hac materia ſponte ſequimur, Ludov. Habertus pag. mihi 148. cavendum eſſe Monaſteriorum Præfectis, ne Religioſos ſibi inutiles, nonnumquam etiam moleſtos, utpote diſciplinæ impatientes, data occaſione, ad curam Paſtoralem amandent, exonerandæ Familiæ, ſeu Communitatis gratia: quod, inquit, ſine peccato gravi fieri nequit; cum optimi vix tanto muneri pares ſint. Ubi tamen ponderandum eſt Habertum loqui de viri diſciplinæ impatientibus. Fieri enim poteſt, ut quis Fratribus ſuis, quos incommodos experitur, & ipſe incommodo ſit; (ſeu quia laxiorem horum & otioſam vitam ægre fert; ſeu quia cum fervidi & ardentis ingenii ſit, exercitio plurimo indiget) &, quod aliis contigit, Parochiam regat ſanctiſſime.

94 2. Idem patet ex toto ritus in Tonſura obſervati decurſu. Ecquid enim aliud ſonant prolata hæc a Candidato verba: *Dominus pars hereditatis meæ*, &c. niſi profeſſionem publicam ſæcularibus deſideriis renuntiandi, & abjecta mundo per comæ & veſtimenti ornatum placendi ſollicitudine, in uno Deo ſortem, divitias, & omnia inquirendi. Quid vero aliud indicant orationes quibus Antiſtes Deum precatur, ut *hi famuli, quorum comas pro amore divino* depoſuit, *in* ejus *dilectione perpetuo maneant, & ſine macula in ſempiternum perſeverent.... ut, ſicut ſimilitudinem coronæ Chriſti* geſtant *in capitibus, ſic* ejus *virtute hereditatem ſubſequi mereantur æternam in cordibus* &c.

95 „ Quæ cum ita ſint, ait ſupra laudatus Pariſienſis Doctor, quiſquis „ Eccleſiam diligit, miſeratione commoveri debet ob fœdum & ſacrilegum Tonſuræ Clericalis abuſum. Non eſt ea jam ſanctioris vitæ

„ pro-

„ profeſſio, ſed ſimulatio. Initiandi ſacro Tonſuræ ritu, velut in Thea-
„ tro, Clericorum perſonam ſuſtinent ad tempus, veſtem Clericalem
„ aſſumunt in ſpectaculum, quo exhibito eum ſtatim deponunt. De-
„ lenda hodie communis & ab omnibus recepta Tonſuræ notio: ne-
„ que hæc amplius dici debet præparatio ad Ordines, ſed diſpoſitio
„ ad Beneficia, honores & commoda temporalia. Non jam Benefi-
„ cium propter Officium, ſed Ordine perverſo Officium & ſacratiſſi-
„ mi Ordines propter Beneficium. Si enim paucos excipias, ceteri
„ omnes, nobiles præſertim, quorum res familiaris anguſtior ſit, Ton-
„ ſura initiantur ſine animo promerendi umquam ſacros Ordines, &
„ Eccleſiæ obſequium præſtandi; ſed ſola cupidine pingue Beneficium,
„ ſeu a Principe, ſeu quaſi hereditario jure a conſaguineis obtinen-
„ di, ſaltem ad tempus; donec nimirum ampliora his Mundus offe-
„ rat, quam Chriſtus. Unde obtinuit uſus, ut ſi cum opibus ampliſ-
„ ſimis fato functus ſit frater natu major Beneficiarii, is jam natu
„ major effectus Clericatum abdicet, ſæcularis habitus ſervitutem re-
„ ſumat, & terrena cæleſtibus anteponat ſine cujuſquam offenſione:
„ quia ſola inuſitata peccata homines horreſcunt, uſitata vero aut le-
„ via aut nulla habent.„

Quæ, tametſi ſolida ſunt, & ad mentem Tridentini Concilii caute prohibentis ſeſſ. 23. cap. 4. ne *prima Tonſura initientur . . . de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſæcularis judicii fugiendi fraude*, aut terrena cæleſtibus mercandi, *ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe*: non eſt tamen diſſimulandum, fieri aliquando poſſe ut, juxta bonæ notæ Theologos, æquam a Clericali ſtatu reſiliendi cauſſam ſuppeditet mors fratris natu majoris; cum nempe continuanda eſt illuſtris familia, quæ dum Chriſtianis Imperiis pro antiquo more ſervit, ſervit Eccleſiæ. His de cauſſis ab ipſo etiam Diaconatu, ſimulque, a profeſſione Religioſa, quandoque diſpenſatum eſt a ſummis Pontificibus. In his tamen timide ambulandum, prout animadverti cap. 3. de Beneficiis, Tom. 2. pag. 393. alias 378. 96

Quæres an lethaliter peccet, qui Tonſuram ſuſcipit, ut ipſius ope Beneficium conſequatur; interim vero ſic affectus eſt ut ad majores Ordines numquam promoveri velit. 97

Reſp. cum Bann. 2. 2. q. 12. art 1. Navarro Tr. de Oratione & Horis Canonicis, cap. 7. n. 15. Hallerio ſect. 2. c. 3. *de his quæ in examine quærenda ſunt*, §. 7. & aliis contra Sanchem Lib 7. de Matr. diſp. 31. eum a lethali peccato, niſi forte ob bonam teneræ ætatis fidem, excuſari non poſſe. Suadent id congeſta ibid n. 30. pag. mihi 133. ab eodem Hallerio argumenta. Sic ille: „ Adeo jam paſſim aliquorum inolevit 98
„ temeritas, & Religionis contemptus, ut non ad Tonſuram modo, ve-
„ rum etiam ad omnes Ordines ſolius temporalis Beneficii, vel otii, vel
„ honoris gratia ſe conferant: Tonſuram vero præſertim, eo tantum
„ fine capeſſunt, abutentes ſacra iſta deſignatione in Clerum ad ſua
„ commoda, Epiſcopalem benedictionem ad profanas ambitiones con-
„ vertentes; Eccleſiæ expectationem fruſtrantes, evertentes myſticum
„ ceremoniæ iſtius ſenſum, mendacii Eccleſiaſtica, quæ in Ton-
„ ſuræ collatione funduntur verba preceſque arguentes, profeſſionem

„ Clericatus temere ementiente, ejuſque prærogativam, *potiſſimum jus* „ *ad Beneficia*, injuſte ac fraudulenter uſurpantes. Quos proinde neſcio „ quis a lethali noxa excuſare poſſit, quos injuſtitiæ, ſacrilegii, publi- „ ci mendacii, abuſuſque rei ſacræ non levibus criminibus conſtrictos „ teneri oſtendimus. Nulla vox tot crimina velare poteſt, nulla ratio „ tueri. Quis enim levem materiam cenſeat profanationem rei ſacræ, „ violationem totius Clericatus, promiſſionem coram tota Eccleſia fal- „ lacem, uſurpationem alieni juris, Ordinis Clericatus perturbationem? „ Quis adeo perfrictæ frontis defendere audeat leve crimen eſſe am- „ bitionem illam ac avaritiam, quæ ſacros ritus contra Eccleſiæ in- „ tentione in ſua commoda, honoreſque detorqueat? Quis non illud „ crimen ſacrilegæ temeritatis arguat, per quod publica benedictio, „ eaque myſterio vacua, cauſſa, inanis, infructuoſa redditur; ita ut, „ quod gravius etiam eſt, in pluribus mendacii coargui poſſit? Quis non „ mendacium in Spiritum Sanctum publicam illam Clericalis puritatis „ profeſſionem, quæ fit Deo, ſpectantibus Angelis, audientibus Sanctis, „ ſtipulationem firmante Eccleſia, acceptamque habente Epiſcopo, eſse „ credat, ſi ab ea diſcordet profitentis animus; & tum cum emittitur, „ ſæcularis vitæ inhærente deſiderio revocetur, & contrariis votis reji- „ ciatur? Quis Clericorum privilegia omnia rem levem eſse, aut mi- „ nimi momenti exiſtimet? Quis ea conferri debet, cenſeat, niſi quibus „ Eccleſiæ bono Clericalibus officiis deſervire placet? Quis jus Benefi- „ ciorum obtinendorum, veluti teruncii unius aut alterius, parvi fa- „ ciat, illudque levius æſtimet, quam ut in ejus uſurpatione injuſta pec- „ cati lethalis noxam eſse credat? niſi forte gravis materia eſse credi- „ tur, ſi quis aureum v.g. nummum injuſte ſibi vindicarit, aut jus u- „ nius aſſis quotannis recipiendi injuſte acquiſierit; levis autem mate- „ ria cenſeatur, ſi quis, ſibi non debitum Beneficii obtinendi jus Ton- „ ſuræ ſuſceptione velit injuſte acquirere, & aditum ad omnes Eccle- „ ſiaſticos honores contra Eccleſiæ, ad quam eorum diſtributio ſpe- „ ctat, expreſsam voluntatem, temere ſibi patere cupiat. “

99 „ Quare ex natura rei in quam nulla cadere poteſt diſpenſatio, non „ poteſt quis ad Tonſuram recipi, qui animum a Clericali profeſſione „ pro eo tempore averſum habeat, qui nuptias cogitet, qui ſæcularis „ vitæ ſtatum ſibi amplectendum proponat. Si talis recipitur, ſacrile- „ gium committitur & injuſtitia ... Unde zelo ſecundum prudentiam „ ductus mihi videtur Navarrus, dum tam de iis qui ad Tonſuram „ nullo Clericalis vitæ deſiderio accenſi ſe conferunt, quam de Epiſco- „ pis qui tales ad Tonſuram Clericos promovent, hæc habet: de prio- *ubi ſup.* „ ribus quidem: *Sequitur, compluribus: qui prima Tonſura, aut quatuor* „ *Minoribus initiantur, ſatius fore ipſo Ordinationis die frangere crura, quam* „ *prima Tonſura, aut quatuor Minoribus ordinari ... eo quod non ſe ordi-* „ *nant ad finem debitum, nimirum ut ſerviant Deo in officiis Eccleſiaſticis:* „ *quandoquidem non intendant initiari ſacris, aut munia ſacra ut tales, ſub-* „ *ire*, &c. De poſterioribus vero: *Sequitur magna laude dignos eſſe E-* *piſcopos, qui primam Tonſuram & quatuor Minores non conferunt, niſi ei* *qui per ſe, ſi fuerit adultus, aut per parentes, ſi puer, juraverit ſe velle* *ad majores legitimo tempore aſcendere.*

Etſi vero juramentum iſtud, quod conſulit Navarrus, a Tarentina quadam Synodo præceptum ſit; nuſquam auctor fuero ut vel ab adultis initiandis, vel a parentibus pro pueris exigatur, ne vel priores reſilire vereantur, etiamſi ſe Eccleſiaſtico ſtatui minus idoneos eſſe ſentiant; vel poſteriores, objecto juramenti nexu, filios ad exoſam ſibi conditionem inducant. Utique multo ſatius eſt ut quo tempore jam pene exulant pietas & religio, nemo puer Tonſura donetur, ſecundum id Moguntini Concilii can. 23. *Nullus tondeatur ſine legitima ætate, & ſpontanea voluntate*. 100

Interim non abs re forſitan fuerit cum Hallerio ibid. nu. 36. animadvertere, „ ex pluribus qui abſque cauſſa a clericali ſtatu deſcive„ rint, præſertim ſi antea bonis Eccleſiaſticis ditati fuerint, *paucos* re„ periri, qui non vel male perierint, vel non inter ſæcularium nego„ tiorum vertices graviter periclitati fuerint. Plures ego, pergit Hal„ lerius, numerare poſſem. Sed vetuſtiora magis placent exempla; „ & ut Julianum Apoſtatam ſileam, qui poſtquam ad Lectoris in Ec„ cleſia gradum atque officium fuiſſet ſublimatus, ſtatum ſuum deſe„ rens religionem exuit, ubi imperatoriam purpuram induiſſet, in „ qua & peſſime vixit, & infeliciter periit: hoc memoratu dignum „ exemplum prætermittere non poſſum Aimerici de Monte-Forti, qui „ Clericatui renuntians, & miles effectus paullo poſt mortuus eſt.“ Sed de his exemplis penes alios eſto judicium. Interim perpendat Confeſſarius quam temeraria, quam a vero aliena ſit vulgata hæc apud mundanos ſententia: *Tonſura ad nihil obligat*. Graviter enim obligat quidquid & parentes & filios ſub æternæ damnationis pœna conſtringit. Verum quis e ſæcularibus hæc recogitat, quæ ne ipſi quidem Eccleſiaſtici avunculi plures, cum de nepotibus ſuis agitur, ſerio recogitant Vide quæ de ſimili argumento diximus in Gallico Tractatu de recitatione Officii divini cap. 7. pag. 471. & ſeq. 101

Objiciuntur duo: Primum, quod liceat Clericis a propoſito reſilire, ſicut & Novitiis a Monaſterio. Secundum, non peccare eum qui ſpiritualia appetendo veluti primarium finem, temporalia intendit tamquam finem ſecundarium; prout docuimus in Tract. de Simonia cap. 3. p. 799. 102

Reſp. ad 1. Fateor Clericum, non modo poſſe, ſed aliquando teneri a Clericatu reſilire; cum nempe id graves cauſſæ exigunt, præſertim vero cum tanto muneri imparem, aut alio vocatum ſe ex ſapienti Directoris conſilio intelligit. Verum aliud eſt in his caſibus reſilire, aliud Clericatum ingredi, vel cum fixo hinc reſiliendi propoſito, vel ſine fixa in eodem perſeverandi voluntate, ſi pie & ſancte perſeverari poſſit. Atque id patet ex propoſito Novitii exemplo, qui e Conventu exeundo non peccat, cum advertit regulam viribus ſuis fortiorem eſſe: ſed quem nemo a gravi culpa eximet, ſi habitum induerit, cum animo numquam profitendi, vel quamprimum recedendi, ſi benignior ipſi aſpiraverit fortuna. 103

Reſp. ad 2. Non arguit a nobis communem Doctrinam, quæ in Spiritualibus ipſa etiam temporalia ſecundario intendi permittit. At credimus in lubrica materia ſummopere cavendum ab abuſu. 1. Enim ne- 104

mo niſi impius dixerit per Tonſuram intendi, etiam ſecundario, poſſe delicatum vivendi genus, gradum honoris mundano oculo conſiderati, ſæcularem faſtum, & ſimilia, quæ per ſe mala ſunt, & omnino refugienda. Hæc autem quoti intendunt, præſertim ex iis Magnatibus, qui mentem ab Eccleſiaſtico ſtatu naturaliter averſam gerunt; quique vix alio tandem quam honoris & fortunæ motivo a parentibus flectuntur. 2. Non raro fit, ut temporalia principaliter intendant qui Dei gloriam pluris quam cetera quæque ſibi æſtimare videntur. *Nam ſæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, & fingit ſe de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat*, ut pluries ex S. Gregorio part. 1. Paſtor. cap. 9. obſervavimus. Et vero qui ceteris omnibus gloriam Dei vere præponit, nec alio quam ejus procurandæ intuitu, ſe tandem Clero adſcribi paſſus eſt, totum ſe dat paſcendis ovibus. Unus illi quæſtus, una voluptas, ſi quo modo poſſit in grege ſibi commiſſo parare Domino plebem perfectam: Nihil ſe ipſo indignum judicat, niſi quod ſalutem eorum retardare poſſit. Non quærit quæ ſua ſunt, ſed cum gaudio impendit; nec ſua tantum, ſed, Apoſtoli exemplo, ſe ipſum ſuperimpendit in labore & ærumna: gloriatur in contumeliis & perſecutionibus: ſubditos quoſcumque ſuos, rebelles etiam, protervos, urbanitatis, juſtitiæ, beneficiorum immemores fovet & amplexatur, quaſi *nutrix filios ſuos*: contentus ſi genti, a qua iniquo odio gratis habetur, materna viſcera exhibeat, donec effera corda, non in ſui commodum, ſed in Dei gloriam edomuerit. Contra vero mercenarius, qui honoris propriique commodi cauſſa, magis quam Dei, Sacerdotium ambivit, ante cetera de reditu Parochiæ, de ſitu, de civium fortuna interrogat. Inquirit ſedulo quid debitum ſibi, & illud exigit ſevere. Præcipuum ei ſtudium dignitatem ſuam, non qua ſacra eſt, ſed qua præfulgens, & Sacerdotii ſui jura tueri, quin &, ſi poteſt, amplificare. Nihil ad eum, quod gregis totius animos ſibi infenſos faciat, quod murmuribus & lacrymis quandoque oppleat Parochiam, quod exaſperata plebs, non jam Paſtorem, ſed mali ominis Angelum, ſibi e ſuggeſtu loquentem audire credat, proinde nihil ex multiplici ejus concione capiat utilitatis. Non ſunt hæc quæ mercenarium moveant, cui illud unum eſt in votis, ut rem ſuam multiplicet, colligatque quantum ſatis eſt, ut a Paſtorali deinceps officio liber, reliquam vitæ partem otioſe, commode & honorifice traducat. Tunc porro, quem nuſquam vere amavit, gregem dimittit feſtinus; quin & quodammodo vendit, non utique digniori, qui quod ab ipſo peccatum eſt corrigat; ſed plura offerenti, puta Beneficium ſimplex pinguius, majoremve penſionem: adeo ut hunc non immerito vocet Habertus *pecuarium mercenarium, qui ex arte quæſtum intendens, omni labore & induſtria copioſos greges comparat. Donec dives opum factus arti ſuæ renuntiet, partis bonis in otio fruiturus*. De his utiliter conſuletur, tum idem Pariſienſis Magiſter, tum & qui ei multis præluſit Hallerius, tum & Senonenſis Catechiſmus de Tonſura.

1. Theſſ. 2. 7.

ARTICULUS TERTIUS.

De diſpoſitionibus ad Tonſuram prærequiſitis : ubi & variæ quæſtiones ſolvuntur.

SUppono 1. ex dictis Tomo hujus Operis quinto, pag. 13. ad Clericalem ſtatum prærequiri, ut quis bona fide ſe ad id muneris legitime vocatum exiſtimet: quod quidem intelligere poterit, tum ex aſſignatis ib. vocationis genuinæ indiciis, tum & certius ex pii, ſapientis, nec non & ſatis eruditi Directoris judicio, cui ſe totum nihil boni reticens, nihil diſſimulans mali, candide aperuerit. 105

Soppono 2. ex proxime dictis, impendio cavendum juveni de Tonſura ſuſcipienda cogitanti, ne vitæ commoda, graduum honores, aut impendens ſibi a conſanguineo Beneficium primario intendat; ne ſtatum hunc eligat, quia incertus ſit ubi figat pedem; ne eorum inſtar qui Regiæ militiæ ad unum aut alterum annum inſcribi volunt; ſic & ſacræ ad certum tempus inſcribi velit; quaſi hæc Officium ſit quod arbitrio propriæ auræ ſumi poſſit & poni. 106

Suppono 3. ad legitimam Tonſuræ ſuſceptionem requiri, ut candidatus a quacumque cenſura, atque etiam ab irregularitate ſit immunis; prout dixi Tom. 4. part. 1. de irregularitatibus, cap. 3. quem & conſule part. 3. cap. 3. Concl. V. 107

Suppono demum Tonſuram a nemine niſi jam Confirmato ſuſcipi debere. Ita nempe ſtatuit Tridentinum Seſſ. 23. cap. 4. de reformat. An autem irregularis evadat, qui Tonſuram recipit nondum recepta Confirmatione ſupra, ſaltem quantum ad Gallias, negative reſolvi. Major eſt difficultas an mortaliter peccet. Negant, ſecluſo tamen contemptus caſu, Navarrus, Valentia, Suarez, Coninck, & alii plures quos dabit Barboſa in ſuis ad Tridentinum Collectaneis, & ſequitur Cabaſſutius Lib. 3. Theor. &c. cap. 3. n. 10. Affirmant e contra Fornarius, Nugnez, Toletus in inſtruct. Sacerdot. Lib. 1. cap. 71. n. 6. Bonacina hic diſp. 8. q. unica, punct. 5. nu. 10. Ratio eſt, quia hic occurrit œcumenicæ legis tranſgreſſio in materia quæ pro levi haberi non poteſt. Favet ſuperius allata S. Congregationis deciſio, quæ hujuſmodi Clericos gravi pœna plectit: gravis autem pœna gravem culpam ſupponit. His præmiſſis, 108

Quæres 1. Cujus eſſe debeat ætatis qui Tonſura initiandus eſt. 109

Reſp. 1. Infantes, etiamſi pro his parentes reſpondeant, numquam Tonſura donandos eſſe: id enim vetitum eſt tum a Jure communi, tum & a Synodo Trid. De jure communi patet ex cap. *Nullus*, 4. *De temporib. Ordinat.* in 6. ubi Bonifacius VIII. *Nullus Epiſcopus*, inquit, *vel quivis alius infanti (niſi forte Religionem intraret) ſeu illiterato ... Clericalem præſumat conferre Tonſuram .... Qui vero contrafecerit, ut in eo in quo peccaverit puniatur, per unum annum a collatione Clericalis Tonſuræ dumtaxat ſe noverit ſuſpenſum*. De Tridentino non minus conſtat ex ſeſs. 23. c. 4. De reform. ubi ſic habetur, *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & Fidei rudimenta edocti non*

ſuerint * *quique legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe*. Atqui etiamſi ſupponatur cum Barboſa in hunc Tridentini locum, Azorio, Sanch. &c. ſatis eſſe, ſeu ut juvenis materna lingua ſcribere ſciat & legere; ſeu ut idem ſciat formare caracteres, licet necdum perfecte ſcribere ſciat, quod a Congregatione Epiſcoporum & Regularium die 13. Octob. 1593. definitum eſſe dicunt; nemo tamen dixerit infantem, qui vix loquitur, vel utcumque legere, vel Fidei rudimentis imbutum eſſe, &c. Ergo jam omnino antiquata eſt diſciplina, quæ juvenes *a primis infantiæ annis Clericatus officio* mancipari permittebat, ut videre eſt in Concilio Toletano II. an. 531.

110 Reſp. 2. etſi nulla Tonſuræ & Minoribus ætas, dempta infantia, a Tridentino præſtituta ſit, uti dictum eſt in Tract. de Irreg. par. 2. cap 4. p. 382. adeoque juxta Congregationem Concilii abſolute ſufficiat ſeptennium completum; multo tamen ſatius eſt ut Tonſura ante decimum quartum ætatis annum nemini conferatur; tum quia vix ante illud tempus obligationem a ſe contrahendam ſatis intelligunt adoleſcentes; tum quia impuberum acta, immo & vota, propter imbecillem eorum prudentiam, a parentibus, tutoribuſve, niſi iis conſenſerint, reſcindi poſſunt: Clericatum autem reſcindi non decet; tum denique quia difficile eſt ut ante pubertatem *probabilis* ſuppetat *conjectura*, quempiam, *ut Deo Fidelem cultum præſtet*, Eccleſiaſticæ *vitæ* genus *elegiſſe*. Quin hactenus, verba ſunt Haberti ibid. arbitratus ſum me gratum Deo obſequium præſtiturum, ſi ejuſmodi pubeſcentes, nondum ſatis ſui compotes, nec dura Caſtitatis prælia expertos, ad maturiorem ætatem protrahere poſſem.

111 Quæres 2. an peccet mortaliter qui Tonſuram ſuſcipit ſolo animo declinandi juriſdictionem fori ſæcularis.

Reſp. affirmat. ſi enim ex dictis graviter peccat, qui Tonſuram abſque animo in ea perſeverandi recipit, gravius peccat, qui culpæ huic fraudem adjungit; prout ii faciunt, qui Clericatum mentiuntur, ut legitimo Judici ſeſe ſubducant. Ita contra Navarrum & alios plures reſolvunt Ledeſma, Bannez, Layman, & alii apud Barboſam ibid. num. 6.

112 Conf. multo gravius peccat, qui Clericatum fraudulenter ingreditur, quam qui bona Fide ſuſceptum dimittit ſine cauſſa, vel ad ejus functiones ineptum ſe reddit, puta viduam ducendo. Atqui is ſaltem venialiter peccat peccato inconſtantiæ, ut poſt Sanchem & Valentiam docet Laym. Lib. 5. Tr. 9. c. 7. ſicut & Novitius, qui ſine cauſſa e Monaſterio recedit; uti diximus Tom. 5. pag. 133. Immo non deſunt qui Clericum hunc lethaliter peccare exiſtiment cum Cajetano 2. 2. qu 12. art 1. quod ſaltem dubium admittent, qui ponderabunt inconſtantiam illam cum aliquali ſacræ ceremoniæ contemptu, primæ vocationis deſertione, nonnumquam & multiplici ſalutis periculo eſſe conjunctam. Verum hæc, ut alia bene multa, vix aliter quam ex circumſtantiis definiri poſſunt.

Quæ-

* Tonſurandi, ait Vvigand. Tract. 15. Exam. 1. pag. 75. ſcire debent, quis dicendus ſit Chriſtianus, quod ſit Chriſtiani ſignum, crux videlicet; quæ in eo ſigno lateant Myſteria; quid & quotuplex ſit Symbolum; quid oratio Dominica, & quot ipſius partes; quid Angelica ſalutatio; quot Dei & Eccleſiæ præcepta; quomodo contra ea peccetur; quot Sacramenta; ad quid inſtituta ſint; quæ ſint vivorum, quæ mortuorum; quæ caracterem imprimant.

Quæres 3. an gravioris delicti reus fiat, qui mortalis peccati conſcius Tonſuram recipit. 113

Reſp. affirm. & id liquet 1. ex communi ſenſu Eccleſiæ, quæ Tonſuræ Candidatos Sacramentali confeſſione præparandos eſſe cenſet, quod & præſcribit Carnotenſis Synodus an. 1526. & docet Catechiſmus Senonenſis de Tonſura, §. 6. 2. quia, ut ait idem Catechiſmus, Tonſuram in ſtatu peccati recipiens, ſingulari Dei gratia abutitur; 3. quia ritum ſanctum profanat; palam teſtando ſe in ſortem eligere Deum a quo averſus eſt; ſeque Chriſti obſequio mancipatum velle, cum dæmonis mancipium ſit. Atqui hinc Tonſuram inter & alia Sacrementalia longum eſt diſcrimen. Aqua enim benedicta ad contritionem peccati invitat, & ſic cum ſtatu peccati cohærere poteſt: Tonſura vero eſt favor jam amico præſtitus. Aliunde in uſu aquæ benedictæ nihil eſt fraudis & mendacii: eſt vero in receptione Tonſuræ; cum quis ſe Deo tamquam hæreditati ſuæ adhærere profitetur; & tamen inimico ejus adhæret.

An vero peccatum iſtud mortiferum ſit ambigitur. Affirmant Hallerius ibid. ſect. 4. n. 4. p. 183. 1. quia ſi a peccato reſipiſcere quis debet, tunc profecto cum maxima beneficia in ordine ſpirituali eidem a Deo offeruntur. 2. quia in Deum injurius eſt, qui ab eo ſponte averſus profitetur ſe ejuſdem famulatui conſecratum velle; 3. quia Ordini Clericali contumeliam facit; hujus enim finis eſt ut homines ad Deum adducat: idne vero præſtare poteſt, qui ab alio ad Deum reduci indiget? &c. Idem docet Nat. Alexander Tom. 1. de Ordine, art. 5. Reg. 21. Neque hinc recedit Habertus; etſi, quia res nec ex Scriptura, nec ex Traditione certo definiri poteſt, quæſtionem prudentioribus definiendam relinquere videtur. Huic opinioni moraliter inhærendum credo: Moraliter, inquam, quia forte fallere poteſt in caſu juvenis, qui nullo conſtrictus gravis peccati habitu, ex audacis cujuſdam Theologi lectione crediderit ſatis eſſe ſibi, ut poſt aliquot a Tonſura dies, peccata ſua confiteretur. Durius agendum cum homine vitioſis habitibus irretito: quia ſenſit, aut ſentire debuit, ſe Deo & Eccleſiæ injuriam facere, quam certo venialem eſse judicare non potuit. 114

Quæres 4. An Clericus qui habet animum deſerendi ſtatum Clericalem, poſſit tuta conſcientia in alicujus Beneficii poſseſſionem venire, vel jam poſseſſum retinere. 115

Reſp. 1. cum unanimi Theologorum ſententia peccare eum, qui in tali caſu Beneficium recipit, aut retinet. Ratio eſt, quia ſi peccat qui privatim fallit, peccat a fortiori qui fallit Eccleſiam. Atqui fallit Eccleſiam, qui cum animo Clericus non ſit, neque Altari deſervire intendat, uſarpat ſubſidia, quæ pia Mater iis ſolum deſtinavit, quos ſibi aliquando fideliter ſervituros eſse confidit. Eſt enim Eccleſiam inter & Clericum contractus quidam, *do ut facias*: Do unde commodius ſtudere poſſis, ut aliquando ad ſuperiores gradus aſcendens, pro viribus tuis Altari miniſtres. Ergo.

Reſp. 2. mortalis peccati reum eſse Clericum, qui in hoc caſu Beneficium, ſeu curam animarum habens, ſeu etiam ſimplex acceptat, vel retinet. 116

Quod lethaliter peccet, ſi Beneficium curam animarum habens recipiat, 117

una eſt etiam laxiorum opinio; & hinc patet, 1. quod materia, proinde deceptio & fraus, ſit admodum gravis; 2. quod id definitum ſit cap. 35. *de electione*, &c. in 6. ubi ſic Bonifacius VIII. *Ceterum, ſi promoveri ad Sacerdotium non intendens, Paræcialem receperis Eccleſiam, ut fructus ex ea per annum percipias, ipſam poſtmodum dimiſſurus (niſi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad reſtitutionem fructuum eorumdem; cum eos receperis fraudulenter*. Gravis ſane fraus eſt, quæ gravi pœna plectitur, & gravem injuriam irrogat.

118 Quod vero mortaliter peccet is etiam qui pari intentione Beneficium ſimplex recipit; Prob. 1. quia qui alienum uſurpat contra dantis intentionem, mortaliter peccat, niſi excuſet levitas materiæ; quod in præſenti caſu raro contingit. 2. quia ita docent ſaniores Theologi, & in his Dom. Soto, Lib. 10 de juſtitia & jure, q. 5. art. 5. Toletus Lib. 5. c. 5. n. 5. ubi: *peccaret quidem mortaliter, qui animo ducendi uxorem, retineret Beneficium aliquod*. Sylvius 2. 2. q. 63. art. 2. q. 2. ubi interrogans, *qua intentione recipienda ſint Beneficia Eccleſiaſtica*, Reſpondet: *Qui vel Canonicatus, vel Capellanias, vel alia Beneficia recipiunt aut poſſident, ut eorum fructibus alantur, donec ſtudia abſolverint, aut donec uxorem ſibi convenientem invenerint, poſtea dimiſſuri, peccant mortaliter, & obligati ſunt vel ea ſtatim relinquere, vel propoſitum habere vivendi more Clericorum*. Idem ex hiſce auctoritatibus, quibus alia argumenta jungit, docet Sambovius Tom. 2. Edit. in 4. caſ 1.

119 Et hæc probant, eum qui cum animo ſerviendi Eccleſiæ Tonſuram & Beneficium recepit, poſtea vero converſa voluntate a Clericali ſtatu recedere proponit, abſolvi non poſſe, donec *aut animum mutet*, *aut Beneficium dimittat*, uti docet Toletus ibid. Lib 4. cap. 18. n. 4 Porro dimiſſio hæc fieri debet, quamprimum moraliter fieri poteſt, ut ex principiis S. Thomæ docet ib Sambovius. Utique qui ſic animo affectus Beneficium ſervat, & alienum retinet contra Eccleſiæ intentionem; & Deo, qui apoſtatam interiorem non amat, debitum cultum ſubtrahit; & vero Clerico nocet, qui interim re ſibi generatim debita privatur.

120 Sed annon ſaltem poterit ad tempus Beneficium retineri, ut fructus ejus in Eccleſiæ bonum utiliter impendantur; puta ut reficitur Parochialis Eccleſia, ut inſtaurentur ædes Monaſterii? &c.

121 Reſpondet idem Sambovius ibid pag. 8. fieri id non poſſe ſine expreſſa Papæ licentia, eaque non aliter quam rebus omnibus mature perpenſis conceſſa.

122 Quæres 5. an fraudatores illi fructus ex Beneficio etiam ſimplici male perceptos reſtituere teneantur?

Reſp. affirmat. Ideo enim præcipit cit. c. Bonifacius, ut qui *promoveri ad Sacerdotium non intendens*, *Parochialem recepit Eccleſiam*, fructus ex ea perceptos reſtituat, quia *eos recepit fraudulenter*. Atqui fraudulenter etiam, & multo plus recepit, qui recepit ſine animo ſerviendi Eccleſiæ. Ergo.

123 Sed quid juris, ſi quis in Clericali ſtatu permanere intendens, recipiat Canonicatum in Eccleſia, cui finitis ſtudiis, ſervire nequaquam intendit?

Reſp. & hunc quoque illegitimum poſſeſſorem videri, prout indicat Habertus ibid. ſub finem capitis quinti. Ratio eſt, quia ſe habet hic in individuo Canonicatus ad hanc numero Eccleſiam, ſicut ſe habet

Cano-

Canonicatus in genere ad Eccleſiam ut ſic. Ergo ſicut Eccleſiam in genere decipit, qui Canonicatum quemcumque arripit ſine voluntate eidem ſerviendi; ſic & hanc numero Eccleſiam defraudat, qui ejus impenſis vivit ad tempus, ut non ei, ſed alteri deſerviat.

Quæres 6. an qui Beneficium cum animo dimittendi Clericalem ſtatum recepit, illud reſignare valeat. 124

Reſp. videtur quidem poſſe, quia quamvis illicite poſſideat, valide tamen poſſidet, ut dixi Tom. 2. ubi de Beneficiis, cap. 3. pag. 379. Conſultius tamen credidero, ut illud ſimpliciter dimittat: quia facultas reſignandi quidam eſt Beneficii fructus, quo vir deceptor frui non debet.

Quæres 7. ubi & quando Tonſura conferri poſſit. 125

Reſp. cum Anacleto Reiffenſtuel in Tit. 11. Lib. 1. Decretal. nu. 30. Prima Tonſura quovis die, hora & loco honeſto, etiam extra Miſſarum ſolemnia conferri poteſt. Atque ita habet Pontificale Romanum, tit. de *Clerico faciendo*. Neque aliud quid in Jure de ea conſtitutum habetur: *cum nec ſit Ordo proprie dictus*. Idem poſt alios tradunt Barboſa in cap. 8. ſeſſ. 23. Concilii Trid. num. 11. Solier in Paſtor. lib. 3. Tit. 42. Lit. D. pag. 234. Edit. in fol.

Quæres 8. an Tonſura proprio ab Epiſcopo tam extra Diœceſim, quam intra, conferri poſſit. 126

Affirmat ibid. Solier poſt Rebuffum, cui conſentiunt Bonacina, Tolet. Azor. & alii plures; & non ita pridem D. Gohard, quem ſecutus ſum Tom. 4. cap. 2. de ſuſpenſione. Quia tamen aliter ſentiunt Garcias de Beneficiis, part. 1. cap 5. n. 142. Sanchez Opuſc. moral. Tom 2 Lib. cap. 1. dub. 5 nu 2. & alii quos ſequitur Barboſa in ſeſſ. 6. Conc. Trid. cap. 5. de reformat. num. 9. multo ſatius eſt ut nihil fiat ante petitam & obtentam Diœceſani Præſulis facultatem; niſi hæc locorum uſu conceſſa videatur.

Quæres 9. an valida ſit Tonſura ab alieno Epiſcopo collata. 127

R. varias eſſe eo de puncto Canoniſtarum opiniones. Alii Tonſuram hanc illicite quidem collatam, ſed tamen validam eſſe exiſtimant: unde ſatis eſſe volunt ut ea poſtmodum a proprio Epiſcopo approbetur. Alii eamdem pro irrita habent. Alii neutram partem certo definiri poſſe putant, quia, inquiunt, nullum hactenus ea de re prodiit Decretum, quod vim certæ & invictæ deciſionis habeat, Neque enim reſolutio S. Congregationis de qua n. 18. eſt Concilii deciſio. Unde pridem tutius judicaveram id quod poſt Sambovium docet Collator Andegavenſis, ubi de Ordine, pag. mihi 176. videlicet iterandam eſſe hujuſmodi Tonſuram. Quod ſi renuat Epiſcopus proprius, ſequendum id Rebuffi in praxi, tit. *de litteris dimiſſoriis*, n. 5 *Si quis a non ſuo Epiſcopo Tonſuram ſumpſerit ſine litteris dimiſſoriis cautela eſt ut impetret Litteras perinde valere a Papa, ut illa Tonſura perinde valeat, ac ſi data & conceſſa a ſuo fuiſſet Epiſcopo, & hoc antequam alios ſumat Ordines, & antequam eidem conferatur Beneficium: & hoc a Papa, non a* majoribus Romæ *Pœnitentiariis, qui ſuper hoc diſpenſare non poſſunt*. Idem teneri vult Sambovius, Tom 2 caſ. 18 Concinunt Barboſa in cap. *Eos qui, de temporib ordinat.* in 6. n. 10. & Solier in novis additionibus ad tit. c. 42. Lib. 3. Paſtoris, n. 3. p. 236. quibus etiam ordinatio hæc irrita videtur. Sed dato quod vera ſit, poteſt ad poſſidendi Beneficii

eſſe-

effectum inſufficiens eſſe : Atque ita docueram cap. 3. de Beneficiis pag. 177. Verum jam nullus dubito quin Tonſura ſic collata, quamvis *illicite profecto*, *attamen valide* conferatur, prout in terminis docet Benedictus XIV. lib. 2. Diœceſ. Synodi num. 13. & quidem poſt ſacræ Congregationis deciſionem ab Urbano VIII. expreſſe approbatam. Haud tamen forte deerunt in Gallia, qui ab humano judicio formidantes, ut litibus viam præcludant, primam partem ſequentur. Nec ſatis video qua ratione hos tranquillare poſſim. Nam judicavit quidem die 4. Septemb. 1690. Pariſienſis Curia valere Beneficium ei collatum qui ab alieno Epiſcopo Tonſuram receperit, ſed dimiſſorias Literas exhibere non poteſt. Verum has præceſſiſſe non immerito conjiciebatur, quia literis Tonſuræ inſerta erat clauſula: *Rite dimiſſo*. Vide Inſtrumenta, ſeu Memorialia Cleri Gallicani Tom. XII. pag. 1160. & ſeq. Ceterum ad Beneficii poſſeſſionem non ſufficit Sacerdotii litteras exhibere, niſi & ſimul exhibeantur quæ Tonſuræ receptionem indicent. Sic ex Tourneto docet Combeus in collectione Juriſprudentiæ, v. *Tonſure;* ubi addit nullam ex iterata Tonſura naſci irregularitatem, juxta Senatuſconſultum Majoris Conſilii, 17. Octob. 1673. ſed neque iterata ullius præter Baptiſmum Sacramenti perceptio irregularitatem parit, ut in Tract. de irregul. dixi part. 3. c. 2.

128 Quæres 1. cui pœnæ obnoxii ſint, tum qui ab alieno Epiſcopo ſine dimiſſoriis promovetur ad Tonſuram; tum & Epiſcopus qui eum promovet: atque etiam an hic in allata ſupra nu. 120. Barboſæ ſententia pœnæ alicui ſubjaceat, ſi abſque Diœceſani licentia proprium ſubditum Tonſura initiet in aliena Diœceſi.

Reſp. nec promotum, nec promoventem in hoc caſu ullis ſubjacere pœnis. Sancit quidem Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. ut *nulli Epiſcopo liceat, cujuſvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantum*: ita ut *ſi ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi*. Verum quia Tonſura in mente Concilii, & ex longe Communiori ſententia, non eſt verus Ordo; non debet ea in pœnalibus, quæ quantum ſalva verborum proprietate fieri poteſt, reſtringenda ſunt, ſub Ordinis nomine comprehendi. Atque ita docet tum ſacræ Synodi Congregatio, ſupra num. 25. Tum Gibert Conſult. 4. de Ordine, licet credat Tonſuram in alieno Territorio ſine obtenta Ordinarii loci licentia dari non poſſe. Subdit idem Beneficia ab Epiſcopo a Pontificalibus ſuſpenſo legitime conferri, quia ſuſpenſio a Pontificalibus in ea ſolum cadit quæ ſunt Ordinis, ex Clement. II. *de privilegiis*, & Tridentino ſeſſ. 14. de reformat. cap. 2. Porro Beneficiorum collatio actus eſt non Ordinis, ſed juriſdictionis. Immo qui a Pontificalibus ſuſpenſus foret, non ideo incapax eſſet conferendæ Tonſuræ, uti docent Collator Andegav. & Pontaſius, quorum opinionem non improbavi in Tract. de cenſuris, part. 2. cap. 2.

ARTICULUS QUARTUS.

De ſubjecto Tonſuræ & privilegiis ejus.

Conſtat ex dictis eos ſolum ad Tonſuram admitti poſſe vel debere, 129
qui baptizati ſint, qui jam Chriſmate ſignati, qui Fidei rudimenta ſatis edocti, &c. Verum non ideo quis ad eam ſtatim admitti poteſt, quia hiſce qualitatibus perfruatur. Unde & in Tonſura ſervandum videtur id quod docet Tridentinum cit. Seſſ. 23. c. 7. *Epiſcopus, Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in Eccleſiaſticis functionibus exercitatis, ſibi adſcitis, Ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & Fidem diligenter inveſtiget & examinet.*

Itaque examinari debent (non ab Epiſcopo ſolo, quia plus vident o- 130
culi, quam oculus; ſed cum eo a *viris prudentibus & peritis;* quos inter neceſſe non eſt ut ſit Archidiaconus, prout Romæ deciſum die 21. Januarii, 1617. teſtatur in hunc locum Barboſa n. 3.) 1. Ordinandorum *genus*, an ſcilicet ex Catholicis parentibus ſint, an non ex hæreticis, aut hæreticorum conſanguineis; an ex matre libera, vel ſerva; non tamen an trahant originem a Judæis; quia origo hæc, niſi Neophyti ſint, aut aliud obſtet canonicum impedimentum, ab Ordinibus non arcet, ſecluſo tamen ſpeciali locorum privilegio; uti definitum eſt a S. Congregatione, die 11. Junii, an. 1591. Verum hæc, quantum ad Galliam, metienda ſunt ex iis quæ dicta ſunt in Tract. de irregularitat. part. 3. cap. 5.

2. *Perſona;* an ſcilicet qui Tonſura initiandum ſe ſiſtit, non ex gra- 131
vi metu ſe ſiſtat; an non ſit corpore vitiatus; an corporis aliquale vitium compenſent pietas, ſcientia, &c. Vide eumdem Tract. part 2. cap. 3. Quod ſi Tonſuræ Candidatus calvum omnino caput gerat, erit *taliter qualiter* tondendus, ait Vvigand.

3. *Inſtitutio*, cujus nomine in præſens Titulum ſignificari docet hic 132
Barboſa; qui tamen part. 2. de officio & poteſt. Epiſcopi, allegat. 19. contra Gloſſam & Panormitanum fuſe probat, Titulum neque ad Tonſuram, neque ad Minores requiri; ſed ita requiri ad Sacros, ut ſine eo non poſſit ordinari, ſeu regularis ante profeſſionem, uti definiit Pius V. per Bullam *Romanus Pontifex*, quæ eſt n. 75. ſeu quiſquis vel ſolemnia vota emiſit ſolum ad tempus, vel quatenus ſecularis Sodalitii alumnus, hinc exire poteſt; ſeu qui profeſſionem ſuam irritam eſſe cognoſcit. Hæc idem ibid. ubi & addit nu 7. ab eo Decreto exceptos fuiſſe per Decretum Gregorii XIII. Patres Societatis.

De initiandorum ætate, moribus, &c. nihil eſt quod addam in præ- 133
ſenti. Relegenda ſunt quæ dixi Tom. 4. de irregularitate ex defectu ætatis, & Tom. 5. ubi de Clericorum obligationibus.

Quod ad ipſorum privilegia pertinet, ſunt hæc præcipue quatuor, 134
nimirum habilitas ad Beneficia, immunitas a quibuſdam tributis, fori & Canonis privilegium. Dixi *præcipue;* plura enim alia Clericis a ſacris Canonibus conceſſa fuere privilegia. Sic 1. iis ſolis intra Altaris cancellos ad orandum & communicandum ſtare permiſſum eſt. Unde Ambroſius Theodoſium intra cancellos Altaris communicare volentem, exclu-

excluſit, cauſſatus *purpuram Imperatores*, *non Sacerdotes*, *efficere*, ut refert Nicephorus Lib. 12. Hiſt. Eccleſ. cap. 41. Verum ſapiens hæc diſciplina ubique jam pene obſolevit, quoad Euchariſtiæ perceptionem: utinam quoad cetera ſaltem perſeveret. Sic 2. a tutelis & curatelis & a bello immunes ſunt; atque etiam ab excipiendis tecto militibus, per Edictum anni 1571.

135 Ex habilitate ad Beneficia fit ut qui Tonſura initiatus eſt, Eccleſiaſticum Beneficium aut penſionem recipere valeat. Non ideo tamen cujuſcumque Beneficii capax eſt, licet cujuſcumque penſionis capax ſit. Sunt enim Beneficia quæ certam ætatem, vel unum aliquem e ſacris Ordinibus prærequirunt.

136 Circa immunitatem a certis tributis, qua vel ipſi Pſeudonuminum Sacerdotes fruebantur, ſequendæ ſunt Imperiorum conſuetudines. Unde peccant qui pœdagia, vectigalia, gabellam defraudant, quoties impune poſſunt, uti latius Tomo 1. dictum eſt & probatum. Repete quæ dixi in Tract. de legib. p. 237.

137 Privilegium *Fori* eſt exemptio Clericorum a Judicis laici juriſdictione; quæ quidem immunitas, etſi apud Gallos in cauſis realibus locum non habet, facit ut Clericus delinquens coram Superiore Eccleſiaſtico conveniri debeat, licet in caſibus *privilegiatis* nonniſi a laico Judice pro meritis plecti poſſit. Vide dicta Tom. 5. ubi de obligationibus Judicum, part. 3. cap. 3. pag. 227. & adverte Clericos in Sacris non poſſe ob debita pecuniaria in carcerem detrudi; nec eorum ſupellectilia in ſolutionem æris alieni occupari. Quode ſic habet Sanctio Regia an. 1667. Tit. 33. art. 15. *Les perſonnes conſtituees aux Ordres de Pretriſe, de Diaconat, ou Soudiaconat, ne pourront etre executees en leurs meubles deſtines au ſervice divin, ou ſervant a leur uſage neceſſaire, de quelque valeur qu'ils puiſſent etre, ni meme en leurs Livres, qui leur ſeront laiſſes juſqu' a la ſomme de* 150. *livres*. Addit novus Sanctionis hujus Commentator, non etiam occupari poſſe quotidianas diſtributiones, oblationes, & caſualia Parochorum emolumenta: poſſe vero occupari reditus ex eorum Beneficiis prodeuntes; quod ita fit ut eis a Judice adſcribi ſoleat ad victum pars tertia redituum. Tale quid quoad alios Beneficiarios præſtandum videtur.

138 Privilegium *Canonis* in eo conſiſtit, quod quis, non equidem ſolum Tonſuram & habitum Clericalem gerens, ſed vere Tonſura initiatus, nec injuſte percuti, nec graviter exterius offendi poteſt, quin ipſius percuſſor vel offenſor ſubjaceat excommunicationi ab Innocentio II. latæ cap. *Si quis ſuadente diabolo*, 29. XVII. q. 4. de qua ſat fuſe dictum eſt in Tract. de cenſuris, part. 2. c. 1. art. 4. ſect. 1. fuſius vero a Barboſa Lib. 1. *juris Eccleſiaſtici univerſi*, cap. 39. §. 1. pag. mihi 379.

139 Quia vero æquum non erat ut privilegiis tantis apud Eccleſiam & Imperium fruerentur homines nomine tenus Eccleſiaſtici, cautum eſt Canonico & Civili Jure ut ab iis non raro exciderent laxioris diſciplinæ Clerici. Sic ergo Tridentinum ſeſſ. 23. c. 6. *Nullus prima Tonſura initiatus, aut etiam in minoribus conſtitutus, ante decimum-quartum annum Beneficium poſſit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum & Tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi deſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in ali-*

aliqua Schola, vel Univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur. In Clericis vero conjugatis ſervetur Conſtitutio Bonifacii VIII. quæ incipit: Clerici, qui cum unicis, *modo hi Clerici, alicujus Eccleſiæ ſervitio vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſerviant, vel miniſtrent, & Clericali habitu & Tonſura utantur; nemini quoad hoc privilegio, vel conſuetudine, etiam immemorabili ſuffragante.* Cap. 1. de Clerico conjug. in. 6.

Decreto huic ex parte conſonat Sanctio Moulinenſis an. 1566. art. 40. ubi ſic loquitur Carolus IX. *Ordonnons que nul de nos Sujets ſoi diſant Clerc, ne pourra jouir dudit privilege, ſoit pour le delaiſſement aux Juges d'Egliſe, ou pour autre cauſse, s'il n'eſt conſtitue es Ordres ſacres, & pour le moins Soudiacre, ou Clerc actuellement reſidant, & ſervant aux Offices, Miniſteres & Benefices qu'il tient en l'Egliſe.* Circa quem articulum prodiit eodem anno, die Februarii 10. declaratio ſtatuens, *qu'en l'exception de l'Article ci deſſus ſeront compris les Ecoliers* Tonſures *actuellement Etudians & ſans fraude, & auſſi tous les Clercs Beneficiers.* Quæ omnia ut per partes evoluta plenius intelligantur, 140

Quæres 1. Annon Clericus ante 14. ætatis ſuæ annum capax ſit Beneficii. 141

Reſp. Optandum quidem ut ubique locorum vigeat allata ſuperius Trid. Concilii diſciplina; quæ multis abuſibus viam præcludere nata eſt. Verum in Gallia moris eſt ut Septennibus etiam pueris, modo Tonſura donatis, Beneficia conferri poſſint. Idem, quantum ad Capellanias quaſdam, eas præſertim *quibus ſuccedunt Clerici de parentela, vel quæ a Patronis laicis conferuntur*, in Hiſpaniis ſervari docet Barboſa in hunc Tridentini locum, n.3. An autem ubi viget Decretum illud quoad Beneficia, vigere etiam debeat quantum ad penſiones, controvertunt extranei Doctores. Negant Riccius, Gonzalez, &c. Affirmant Sa, Garcias, &c. & parem Beneficii ac penſionis conditionem eſſe volunt. Atque id a S. Congregatione deciſum refert idem Barboſa, n.9.

Quæres 2. Utrum ad privilegium fori neceſſe ſit ut quis Beneficio potitus Clericalem habitum gerat. 142

Reſp. peccat dubio procul, qui Beneficium poſſidens, ſæcularem, aut pene ſæcularem habitum, ſine urgenti cauſſa geſtat; ſed tamen attentis Concilii verbis non ſtatim excidit a fori privilegio; id enim indicat disjunctiva *aut;* & in alternativis ſufficit alterum probari, uti colligunt Juriſconſulti ex c.4. *de reſcriptis*. Atque ita docent Gonzalez, & Garcias, qui hoc procedere vult ſtante etiam Sixti V. Conſtitutione de habitu & Tonſura Clericorum, & alii plures quos ſequitur Barboſa ibid. num. 11. Et vero ſatis ex Beneficii poſſeſſione conſtat hominem eſſe ad minus Clericum. Ergo Clerici jura ſervare debet, niſi his per aliquam legem privetur, quod in præſenti locum non habet.

Quatuor hic moventur dubia, 1. an ad fori privilegium ſufficiat Beneficium etiam tenue; 2. an ſufficiat ante captam ejus poſſeſſionem; 3. an ſufficiat Coadjutoria; 4. an etiam penſio ſimplex. 143

Reſp. ad 1. affirmat. Immo ſufficit titulus Beneficii ſine reditu, juxta Riccium & alios plures. Ratio eſt quia tenue vel ſine reditibus Beneficium habens, eſt vere Beneficiarius: Ita Garcias de Beneficiis part. 1. cap.2. n.37. qui hoc cum Azorio ad præſtimonias extendit. Verum 144

præ-

præſtimonias in Galliis non eſſe Beneficia ſuo loco animadvertimus Ubi tamen ex ſolis Clericis conferri poſſent, jam Clericum ſufficienter denotando, ad fori privilegium ſufficere viderentur aliqua, niſi lex obſtaret.

145 Reſp. ad 2. diſſentiunt in hoc puncto alii ab aliis Canoniſtæ; poſſeſſionem cum titulo requirunt Menochius Conſil. 150. n. 6. Farinacius, &c. At titulum ſolum ſatis eſſe exiſtimant Covarruvias lib. 3. variar. reſolut. cap. 16. Barboſa part. 2. Allegat. 12. de offic. & pot. Epiſc. n. 5. Marchini de Ordinib. part. 1. Tract 2. c. 15. diff. 3. pag. mihi 185. Et hæc opinio probabilior videtur. 1. Quia qui probat collatum ſibi eſſe Beneficium, ſtatim probat ſe Clericum eſſe; 2. quia id unum ad privilegium fori requirit Trid. Synodus, ut quis habeat Beneficium. Porro cui collatum eſt Beneficium, trito ſermone Beneficium habere dicitur, ſicut hæres dicitur quis ex ſola inſtitutione.

146 Reſp. ad 3. Coadjutoriam, ſi a Papa detur, ſufficere Clerico, ita Garcias, Palaus, Barboſa ibid. num. 9. pag. mihi 233. Ratio hic potior, conſuetudo.

147 Reſp. ad 3. mirum quanta ſit de penſionis effectu Doctores inter controverſia; utraque parte in ſui gratiam deciſiones Sacræ Congregationis afferente. Utique cum penſio Beneficium non ſit etiam inchoatum, ut ita loquar, qualis cenſeri poteſt Coadjutoria; & aliunde detur etiam laicis, vel Clericis laicali modo, puta quia organum pulſant; vix poteſt quiſpiam ex ſola penſione Clericus judicari. His tamen non obſtantibus lubens crediderim penſionem ſolis Clericis dari ſolitam inducere privilegium fori; non præciſe quia ſatis ea Clericum demonſtrat; hæc enim ratio ſola non ſufficit, ſubindicavi nu. 136. & clarius patebit ex dicendis; ſed quia ita reſolvit S. Congregatio, teſte de certa ſcientia, & forte de viſu, Barboſa, cit. Allegat. 12. nu. 8.

148 Quæres 3. an ad privilegium fori ſatis ſit ut Clericus Beneficii expers Tonſuram & habitum Clericalem geſtet.

Reſp. negat. quia ad privilegium iſtud non ſufficit ut quis Clericus eſſe dignoſcatur, ſed neceſſe eſt ut ſibi præſcripta obſervet: alioqui enim Jus reſiſtit privilegio ejus. Atqui Tridentinum cit. loco duo conjunctim requirit, nempe ut Clericus habitum Clericalem Tonſuramque gerens, vel alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi deſerviat, vel in Seminario aut in aliqua Schola de licentia Epiſcopi verſetur. Ergo.

149 Sed & hinc rurſum quinque naſcuntur dubia, I. an ad privilegium iſtud neceſſum ſit habitum ſimul & coronam deferre. II. an & utrumque ſemper & continuo deferri debeat; III. an ſatis ſit alicui Eccleſiæ deſervire, an ei ſerviendum ſit quæ ab Epiſcopo in ſpecie aſſignata fuerit; IV. an aſſignatio hæc debeat eſſe expreſſa & in ſcriptis. V. an qui his deeſt, ipſo facto, & abſque canonica Epiſcopi monitione excidat a privilegio.

150 Reſp. ad I. neceſſum non eſſe ad privilegium fori ut quis adeo continue Tonſuram & Clericalem habitum geſſerit, ut numquam ad breve etiam tempus deſtiterit. Unde & is etiam qui delicti tempore laicas veſtes deferebat, non ideo, ſi ceteroqui clericaliter vulgo veſtitus erat, excidit a privilegio fori. At neceſſe eſt, ut moraliter loquendo, ex veſte Clericali pro Clerico haberi poſſit, taliſque æſtima-

ri.

ri qui ſacræ conditioni non renuntiaverit. Quoniam vero Clericalis habitus, quem gerunt ſæculares multi ut impenſis parcant, niſi Tonſuræ adjungatur, Clericum abſolute non indicat; & aliunde Tridentinum diuturnis abuſibus mederi ſtudens, habitum ſimul & Tonſuram ſimul exigit, non ægre credam ab iis deperdi privilegium, qui longo tempore alterutrum prætermittentes, non minus pro Laicis, quam pro Clericis in communi æſtimatione habentur. Atque ita contra pauciores ſentiunt Riccius, Belletus, uterque Barboſa, Palao, &c.

Nec obſunt duo quæ objicit Marchini cit. cap. 15. diffic. 4. nempe 151
1. capite. *Si judex*, 12. *De ſent. excomm.* in 6. Tonſuram *&* habitum præcipi; & tamen ex communi Interpretum ſenſu particulam *&* in eo capite disjunctive intellectam fuiſſe, ſic ut habitum vel coronam deferre ſufficeret; 2. non eſſe veriſimile, quod ſacra Synodus juriſdictionem Eccleſiaſticam tanto periculo expoſuerit, ut propter omiſſam coronam Clericus ſæculari foro ſubjiceretur. Hæc, inquam, duo minime obſunt. Non 1. quia conſtat Tridentinum, ut abuſus efficaciter coerceret, antiqui Juris lenitatem emendaſſe. Sic olim minoribus initiati privilegio fori fruebantur, etſi nec Beneficiarii forent, nec Clericaliter induti, quod citato Tridentini capite abolitum eſt. Non 2. quia qui præceptum facile non adimplet, ſuum ſibi ſoli damnum imputare debet.

Reſp. Ad 2. patet ex mox dictis, nec ſufficere ut quis habitum & 152
coronam bis aut ter deferat; quia Concilii verba habituale quidpiam & moraliter ſucceſſivum deſignant; nec requiri quod adeo conſtanter utrumque deferat, ut nihil umquam hac ex parte mereatur vituperii. Immo in Luſitania, qui laicali habitu indutus deprehenditur poſt delictum, ſervat privilegium fori, ſi vel cum habitu Clericali culpam commiſerit; vel habitum hunc nactus, denuo induerit, dummodo id bona fide fiat, & animo deinceps Eccleſiæ melius ac ſanctius obſequium præſtandi. Ita bis a S.Congregatione deciſum fuiſſe refert Barboſa in hunc Tridentini locum, nu. 27.

Reſp. ad 3. 1. requiri expreſſum Epiſcopi mandatum; quia quæ ſunt 153
de ſubſtantia actus, expreſſa eſſe debent. 2. Sufficere tamen ut mandatum illud ore tenus detur, & per teſtes probari poſſit; quia Concilium non exigit rem in ſcriptis fieri; 3. Videri neceſſarium ut Clericus Eccleſiæ ſibi ſpecialiter aſſignatæ deſerviat; tum quia alioqui fruſtra exigit ſacra Synodus ut Epiſcopi Eccleſiam aſſignent; ſi unicuique Clerico ſuam ſibi eligere liceat; tum quia e re Clerici, aut ipſius etiam Eccleſiæ eſſe poteſt, ut is huic potius Eccleſiæ adſcribatur, quam alteri. Et ita primum ſenſerat Barboſa: *Verum*, inquit Lib. 1. Juris Univerſi, cap. 39. §.2. n.35. *hodie coactus ſum recedere ab hac opinione, quia vidi deciſionem ſacræ Congregationis Concilii*, 29. *Junii*, 1628. in contrarium: *quia* nimirum *qualitas mandati*, quoad Eccleſiæ ſervitium, & licentiæ quoad ſtudia, *eſt levis*, *ſatiſque eſt concurrere*, *quæ potiora ſunt*, *nempe Tonſuræ delationem*, *incedere in habitu Clericali*, *& ſervitium Eccleſiæ*, *vel commorationem in aliqua ſchola*, &c.

Reſp. ad 4. patet reſponſio ex modo dictis. 154

Reſp. ad 5. jure antiquo neceſſariam fuiſſe præviam trinam moni- 155
tio-

tionem, ut ab hoc privilegio exciderent Clerici; prout conſtat ex cap. ult. *de vita & honeſt. Cleric.* & ex cap. *in audientia*, 25. *de ſent. excom.* in 6. Verum pro certo tenendum eſt hanc non jam requiri, cum ejus non meminerit Concilium Trid. & majori ſeveritate Clericos a malo ſtuduerit revocare. Atque ita pluries deciſum fuiſſe poſt alios teſtatur Barboſa, cit. part. 2. de Offic. Epiſc. Alleg. 12. n. 19. Aliud eſt de privilegio Canonis circa quod nihil a ſacra Synodo innovatum eſt; uti notat idem in *Jure univerſo*, cit. Lib. 1. cap. 39. §. 1. num. 3.

156 Ceterum quia rem quæ culpa caret in damnum verti non convenit, fruitur indubie privilegio ſuo Clericus qui ratione egeſtatis, vel ne ab hoſte detegatur, habitum dimittit ad tempus: aut qui propter calvitiem, morbum, &c. coronam non defert.

157 Quæres 4. an qui a privilegio fori excidit, ab ipſo etiam Canonis privilegio ſtatim excidat.

R. negat. ſicut enim pęnæ graves non incurruntur niſi in caſibus Jure expreſſis; ſic nec obtinetur immunitas ab iiſdem pœnis, niſi cum ea per Jus auferuntur. Atqui nullibi ſancitum eſt ut Clericus quo caſu privilegium fori amittit, amittat & Canonis. Et vero licet qui habitum ſuum diu abjicit malus Sacerdos, fori Eccleſiaſtici privationem mereri poſſit; non definit tamen caracter ejus reverentiam mereri. Et hæc eſt conſtans & quaſi unanimis Canoniſtarum opinio; ut videris apud Barboſam dicta Allegat. 12. nu.32. Quando autem a cenſura Canonis liber ſit percuſſor Clerici, fuſe ſatis expendi part. 2. de Cenſuris, cap. 1. art. 4. ſect. 1.

158 Queres 5. quibus in caſibus excidant Clerici a privilegio fori vel Canonis.

R. ad 1. Clericos ſecundum Jus commune, quod in præſens, omiſſis privatis locorum uſibus expendo, excidere a privilegio fori, 1. in caſu cœdis inſidioſæ, ſeu aſſaſſinatus, ex cap. 1. *de homicidio*.

159 2. In caſu procurati abortus, fœtu jam animato, ex Bulla Sixti V. quæ incipit, *Affrenatum*, v. *Quocirca mandamus*.

160 3. In caſu Sodomiæ exercitæ, ſeu ſæpius commiſſæ, ex Bulla, tum Leonis X. *Supremæ*; per quam peſſimi hujus criminis rei privilegio Clericali, & omni Beneficio privantur ipſo Jure; tum Pii V. quæ incipit *Horrendam*. Vide Marchini part. 5. cap. 4.

161 4. Cum Clericus diſciplinæ impatiens eſt, ſeu incorrigibilis. Ita ſancitum c. 10. *de judiciis*. Is porro incorrigibilis habetur, qui vel traditus eſt brachio ſæculari, vel per Eccleſiaſticam poteſtatem, ita declarante Epiſcopo, coerceri non poteſt. Sayrus Lib. 3. Theſauri, &c. cap. 19. nu. 5. pag. mihi 255.

162 5. In cauſſa reconventionis: hæc autem definitur, Actio contra Actorem inſtituta a reo convento, ſub eodem Judice, & durante adhuc judicio conventionis: ut ſi clericus calumnioſe accuſet laicum; laicus vero hunc ſuper hac calumnia reconveniat civiliter. De his vide titulum IV. Lib. 2. extra *de mutuis petitionibus*.

163 6. In cauſſa feudali: enimvero Princeps ſæcularis qui Clericum infeudavit, hujus qua vaſalli judex eſt legitimus. Quode adi Doctores in cap. *Verum*, *de foro competenti*.

164 7. Si Clericus ſchiſma profiteatur, ſi mercatorem ſe faciat, ſi per

an-

annum artem tabernariam, macellariam, aut joculatoriam * exerceat. Schiſmaticus enim Eccleſiæ privilegiis gaudere non debet. Mercator coram mercaturæ Judicibus conveniri poteſt. Tabernarii, joculatores, &c. Clericalibus privilegiis ſpoliantur cap. 1. *de vita & honeſt. Clericor.* in 6.

8. Ubi deficeret Poteſtas Eccleſiaſtica, ejus locum ſupplere poteſt 165
ſæcularis auctoritas, cap. *Principes ſæculi*, XXIII. quæſt. 5.

Quæres 6. an privilegio ſuo renuntiare poſſit Clericus, ſeu pacis 166
gratia, ſeu quia innocentiæ ſibi ſuæ conſcius ſit, &c.

R. negat. neque enim in privati ullius gratiam, ſed in ſacri totius Ordinis favorem conceſſum eſt fori vel Canonis privilegium. Hinc qui Clericum volentem percutit, latæ adverſus Clericorum percuſſores excommunicationi ſubjacet, uti diximus cit. loco de cenſuris pag. 203.

Quæres 7. an Clerici conjugati a privilegio Clericali excidant. 167

R. negat. modo tamen juxta Tridentinam legem alicui Eccleſiæ ſerviant, *& Clericali habitu & Tonſura utantur*. Ut autem privilegium Clericale hujuſmodi conjugatis proſit, requirit Bonifacius VIII. cujus Conſtitutionem innovat Tridentinum, ut *cum unicis & virginibus contraxerit*: & tunc etiam in civilibus coram laico Judice conveniri poſſunt; licet conveniri non poſſint in criminalibus, ſeu pro crimine civiliter, ſeu criminaliter agatur. Verum hæc rurſus nihil ad Galliam, ubi qui nuptias contrahit, nec Tonſuram defert, nec Clero amplius adhærere cenſetur. In aliis vero Regionibus, quæ diſciplinam Trid. ſequuntur, Clerici conjugati ne quidem ex Epiſcopi diſpenſatione Beneficia Eccleſiaſtica poſſidere valent: uti tradunt Flaminius de reſign Benef. Lib. 4. q. 2. n. 29. Sanchez de Matrim. Lib. 7. diſp. 42. num. 18. &c.

Quæres 8. an Subdiaconus, qui cum vidua ex Apoſtolica diſpenſa- 168
tione nuptias contraxit, gaudeat privilegio fori.

R. affirmat. & ita deciſum fuit a S. Congregatione die 17. Sept. 1618. Agebatur quidem tunc temporis de Subdiacono in vim ejuſdem diſpenſationis Eccleſiaſticas penſiones obtinente: Verum non potuit deciſio Congregationis inniti penſioni huic, ſed hinc potiſſime moveri quod qui ſemel Subdiaconus eſt, ad ſacrum Ordinem ſemper pertineat. Neque vero Græci Sacerdotes minus quam Latini, ſunt Sacerdotes.

ARTICULUS QUARTUS

De officiis & virtutibus Clericorum.

QUæres 1. quæ potiſſima ſint Clericorum officia. 169

R. quatuor aſſignari, quorum alia Deum, Eccleſiam alia, alia populum, alia ipſam Clerici perſonam reſpiciunt.

Quod ad Deum pertinet, duo iis maxime incumbunt, 1. ut arden- 170
ti prece gratiam alliciant, qua in via, ad quam miſerante Domino vocati ſunt, digne ambulent; 2. ut ipſius cultum, qua omni ratione lice-

* Si mimus, hiſtrio, & ut ajunt Buffo palam fiat & cum ſcandalo. Vide Tit. 1. Lib. 3. decret. & Sexti.

licebit, promoveant. Porro cultum hunc promovebunt, ſi Eccleſiaſtico habitu induti ſacris Officiis jugiter & modeſte interſint; memores ſcilicet ſe ei famulari, coram quo Cherubim facies ſuas velant, & tremunt Poteſtates.

171 Quantum ad Eccleſiam, ſatagere debent juniores Clerici, 1. ut diligant decorem domus Dei, eamque adornent pro viribus, exemplo Nepotiani; qui, teſte Hieronymo Epiſt. 35. Tom. 4. pag. 271. *erat ſollicitus, ſi niteret Altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pavimenta terſa, ſi ſacrarium mundum*, &c. 2. ut munia ſibi commiſſa circa ſacros ornatus ſedulo exequantur; 3. ut cantum, qui præcipua eſt pars obſequii Eccleſiæ præſtandi, apprime ediſcant; 4. ut licet ſcientia vel ætate provectiores, quidquid in templo minimum videtur, libenter peragant.

172 Quoad proximum, totus Clericorum labor in eo eſſe debet, 1. ut ei bonis moribus & ſanctæ vitæ inſtituto præluceant, nedum vagante oculo, incompoſito greſſu, veſtium ac frontis ſuperbia ſcandalum præbeant; 2. ut Catecheſibus, ſi quando iis præfici merebunt, digne fungantur; 3. ut divitibus publice erudiendis necdum pares, egenos ſaltem in via blande conſolentur, ad Dei laudem & amorem paucis verbis invitent, a murmure & otio amice retrahant: quæ ſemper melius ſuccedunt, cum ſpirituali eleemoſynæ adjungitur temporanea.

173 Quantum ad ſe ipſos, curare debent Clerici, 1. ut ſtudiis ſerio incumbant, quo tandem potentes ſint *exhortari in Doctrina ſana; & eos qui contradicunt, arguere*, ad Titum, 1. 2. ut quia *ſcientia* ſine caritate *inflat*, caritas vero abſque aliis virtutibus non ſubſiſtit, iis omnibus comparandis ſint intenti, iis præſertim quarum defectus Clerico magis nocet, magiſque proximum offendit. Unde

174 Quæres 2. quæ virtutes Clerico magis ſint neceſſariæ.

R. etſi optandum eſt nulla ut virtus Clerico deſit, adeoque comparandis omnibus ſtudere debeat; e re tamen eſt ut ab eo in primis inquirantur,

175 1. Sanctitas vitæ; tum quia hæc impendio neceſſaria eſt Sacerdoti, cujus ad gradum tendunt Clerici; tum quia, ut ait Salvianus, *aſſumptio religioſi nominis ſponſio eſt ſanctitatis*; tum quia paſſim præcipit Scriptura ut ſancti ſint, qui miniſtrant Domino: atque id ſi Chriſtianis omnibus imperatum eſt, quanto plus iis qui non in ſervos, ſed in amicos vocati ſunt?

176 2. Religio, ſeu ardor quidam in Deum & res Dei: hujus porro actus ſunt amor orationis, mentis ad ſe ipſum revocatio, pius ſacras in cæremonias affectus, ſtudium inſtillandæ juvenilibus animis pietatis.

177 3. Caſtimonia, quæ corpus & mentem Deo ſervat intemerata. Scilicet enim cum Angelorum functiones exequi debeat Clericus, cum pie ambiat ſtatum, cui annexum eſt ſanctum onus continentiæ, cum inſuper Deo in medio nationis perverſæ famulari debeat; neceſſum eſt ut caſtitudinem mature & aſſidue colat. Id autem, favente Deo, præſtabit, ſi ſummum illud donum enixe efflagitet; ſi Reginam Virginem debito cultu veneretur; ſi ori ſuo, oculis, ſenſibus invigilet; ſi mo-

modico vino, & liberi bellariis ſeu liquoribus raro utatur & parce; ſi Romanenſium Librorum, comœdiarumque lectiones, perditorum juvenum conſortia, feminarum, earum etiam quæ devotæ ſint, & conſanguineæ, familiaritatem devitet.

4. Docilitas, obedientiæ & culturæ patiens. Ea nimirum virtus ordinem Eccleſiæ fovet, humilitatem ſuique diffidentiam nutrit, frangit animi contumaciam, ex qua quis ſuo in ſenſu abundat; efficit ut quis ad Epiſcopi nutum huc & illuc tranſmigret. 173

5. Mens a terrenis bonis averſa, & a nimio in parentes affectu immunis. Qui enim terrena inhiat, & ſanguini tenaciter adhæret, non eſt de ſemine illorum per quos ſalus fit in Iſrael. *Perfectio tua, Domine, & Doctrina tua viro, ſancto tuo, qui dixit patri ſuo & matri ſuæ: Neſcio vos, & fratribus ſuis: Ignoro vos*, Deuteron. 33. Egregia ſancti illius in parentes odii, quod ſæpe a Chriſto commendatum eſt, exempla retulimus in Gallico Tractatu de obligationibus Paſtorum, cap. ultimo. 179

6. Fuga otii, malorum omnium parentis; proinde laboris amor. Neque enim Sacerdoti licet eſſe otioſo; cum ſervus inutilis, qui nec epulis, nec ludo talentum ſibi commiſſum inſumpſerat, exteriores in tenebras projectus fuerit. Unde S. Bernardus: *Sola inutilitas ſufficit ad damnationem*. Hinc Clericis non ſtertendum in lecto, ſed primo mane ſurgendum; vacandum ſtudio & pietati, ab inanibus colloquiis abſtinendum; nulli parcendum pœnæ, ut ſe & alios erudiant, &c. 180

7. Humilitas, virtutum omnium baſis atque propugnaculum. Vah! quam male ſe habet ſuperbia in iis, qui ad annuntiandam ceteris humilitatem inſtituti ſunt; quique non primas ſedes, ſed omnium poſtremas ambire debent. Vere dixit Eccleſiaſticus, cap. 10. v. 15. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*. Facit hæc ut Clerici majora viribus ſuis officia recipiant, quin & aliquando ſimoniace comparent; ut alienæ gloriæ invideant; ut adverſus Superiores ſuos rebellent; ut in hæreſim & ſchiſmata proruant, &c. Faxit Deus ut hanc Magiſtri noſtri vocem audiamus omnes: *Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde*. De his utiliter legentur tum Catechiſmus Senonenſis; tum & quæ Tomo III. diximus, ubi de obligationibus Clericorum. 181

CAPUT QUARTUM.

De Materia Ordinis in genere & in ſpecie.

Efficientem Ordinis cauſſam, quæ innato jure cauſſis materiali & formali præire debet, ſpeciali articulo non proſequor; quia ſtatim ut conſtat Ordinem eſſe Sacramentum, conſtat & eum *a Chriſto Domino inſtitutum* eſſe, prout citato toties Can. 3. ſeſſ. 23. definiit Synodus Tridentina. Sane vero is ipſe eſt, qui *quoſdam poſuit in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas*, &c. 1. Corinth. 12. 28. Is ipſe eſt, qui Diſcipulos ſuos in ultima cœna Sacerdotes conſtituit, data iiſdem Corporis ſui conſecrandi facultate per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. 19. Is ipſe eſt, qui a mortuis re- 1

divivus tribuit eis poteſtatem remittendi peccata, Joan. 20. 23. Is demum ipſe eſt, qui per Spiritum Sanctum *poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, Act. 20. 28. Ecquis præter ipſum inviſibilem gratiam viſibilibus ſignis annectere potuit?

2 Nec obſtat, prout jam ſupra monuimus, quod non legatur Chriſtus exteriori quopiam Symbolo uſus eſſe, ut poteſtatem, ſeu conſecrandi Corpus ſuum, ſeu peccata dimittendi largiretur: Tum quia potuit ſupremus gratiæ arbiter, gratiam abſque ſignis largiri, & tamen velle ut nonniſi per ſigna tribueretur a Miniſtris ſuis; tum quia nec ab ipſo quidem Chriſto Sacerdotalis dignitas ſine exteriori ritu collata eſt, cum & Corpus ſuum tradiderit, quæ actio vices materiæ habet; & certa quæ formæ locum gerere poſſunt verba pronuntiaverit, iſta nimirum: *Hoc facite in meam commemorationem*. His ergo præſuppoſitis jam enucleanda venit Ordinum materia, præcipue vero Hierarchicorum, de quibus, utpote certo Sacramentis, longe gravior eſt & majoris momenti diſceptatio. Sit itaque

ARTICULUS PRIMUS.

De materia Ordinis certo Hierarchici.

3 SUppono, quod infra probabitur, nullum eſſe in Eccleſia Ordinem, qui certa materia & forma non perficiatur; & quidem ita firmiter, ut ſemel rite ſuſceptus ne ab ipſa quidem Eccleſia in irritum mitti poſſit. Potiſſima igitur quæſtio verſatur in aſſignanda ſua ſingulis Ordinibus materia; quod ut perſpicue magis præſtari poſſit, paucis recenſendi ſunt ritus, tum a Latinis, tum & a Græcis in Ordinum collatione obſervati.

4 1. Itaque apud Latinos moris eſt, juxta Pontificale Romanum, ut cum a tribus ſaltem Epiſcopis, quorum unus ſpecialiter dicitur *Conſecrator*, Presbyter quis ad Epiſcopalem gradum promovetur, Liber Evangeliorum imponatur ſuper cervicem & ſcapulas ipſius, ſilentibus tum Epiſcopo qui conſecrat, tum & duobus qui eidem aſſiſtunt, & cum eo prædictum librum ſuſtinent.

5 2. Ut iidem caput Electi, ſeu conſecrandi utraque manu tangant, dicendo: *Accipe Spiritum Sanctum*. Quo facto conſecrator ſtans recitat orationem, qua Deum precatur, ut *inclinato ſuper hunc famulum* ſuum *cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis* ſuæ *in eum* effundat *virtutem*. Quod & in alia oratione per modum Præfationis decantanda poſtulat.

6 3. Ut dum canitur Hymnus: *Veni Creator*, &c. caput Electi inungat Chriſmate, dicendo: *Ungatur & conſecretur caput tuum cæleſti benedictione in Ordine Pontificali: in nomine Patris, &c.* & abſoluta Præfatione, de qua ſtatim, ambas conſecrandi manus ſimul junctas inungat eodem Chriſmate, dicens: *Ungantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & Chriſmate ſanctificationis*, &c.

7 4. Ut his peractis idem conſecrator conſecrato (ſic enim ex tunc vocatur in Pontificali) tradat 1. Baculum. 2. Annulum. 3. Librum Evan-

Evangeliorum, dicens: *Accipe baculum Paſtoralis Officii, ut ſis in corrigendis vitiis pie ſæviens*, &c. *Accipe annulum, fidei ſcilicet ſignaculum*, &c. *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commiſſo*, &c.

Non idem omnino eſt ritus apud Græcos. Namque 1. Pontifex con- 8
ſecrans cartham ſibi a Chartophylace traditam alta voce legit, ex qua poſt factam de præſtito a Metropolitis, Epiſcopis & Presbyteris conſenſu mentionem, hæc recitat: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & ea quæ deſunt adimplet, promovet N. Deo amabilem Presbyterum Epiſcopum a Deo ſervatæ civitatis N. Oremus pro eo ut veniat ſuper eum gratia ſanctiſſimi Spiritus*, &c. Eadem forma in Presbyteri & Diaconi Ordinationibus adhibetur.

2. Idem Pontifex, Evangeliorum Codicem imponit capiti illius qui 9
conſecratur, ſimul una tangentibus aliis quoque Pontificibus: Deinde facta trina cruce in capite illius, impoſitaque manu, fundit orationem, qua Deum precatur ut electum *virtute & gratia Sancti Spiritus* corroboret, *ſicut Sanctos Apoſtolos* ſuos & *Prophetas* corroboravit, &c. Orationi huic ſuccedit alia ab uno ex iis qui una conſecrant Pontificibus; & iſti alia rurſus ab ipſo conſecrante, qui manum habet impoſitam capiti ejus qui Ordinatur.

3. Ablato Evangelio ex capite Ordinati, hunc humerali, ſeu Ar- 10
chiepiſcopali pallio, quod gerunt omnes Græcorum Epiſcopi, indutum, conſecrans amplectitur, & reliqui quoque Epiſcopi ſalutant ut Epiſcopum. Ita Arcudius Lib. 6. c. 2. pag. mihi 489. & ſeq.

Quod Spectat ad Presbyteri Ordinationem, is ejus eſt ritus in Ec- 11
cleſia Latina. 1. Poſt Epiſtolam & Tractum, ſed ante lectionem Evangelii, Pontifex recitat longam ad Ordinandos exhortationem, qua finita ſtans imponit ſimul utramque manum ſuper caput cujuslibet Ordinandi ſucceſſive, nihil dicens: idemque faciunt poſt eum omnes Sacerdotes, qui adſunt.

2. Tam Pontifex, quam iidem Sacerdotes manus dexteras ſuper eoſ- 12
dem Ordinandos extenſas tenent, dum Pontifex duas recitat orationes, quibus Deum precatur, *ut quos* divinæ *pietatis aſpectibus* offert *conſecrandos, perpetui muneris* ſui *largitate proſequatur*.

3. Manibus ante pectus extenſis fundit orationem inſtar Præfationis 13
Miſſæ, quæ in antiquis Ritualibus *conſecratio* nuncupatur.

4. Poſt appoſitam unicuique cum gemina oratione ſtolam & caſu- 14
lam, & habitam ad Deum precem, incipit hymnum: *Veni Creator*, quem dum proſequitur Clerus, ipſe cum oleo Cathecumenorum inungit unicuique Ordinando ambas manus, dicens: *Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine, manus iſtas*, &c.

5. Tradit Pontifex cuilibet Ordinando calicem cum vino & aqua, 15
& patenam ſuperpoſitam cum Hoſtia, dicens ſingulis: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſaſque celebrare*, &c.

6. Presbyteri conſecrati Miſſam abſolvunt cum Pontifice, qui poſt 16
datam ipſis communionem, & recitato ab iiſdem Symbolo, ambas ſuper ſingulorum capita manus imponens, dicit unicuique: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiſeris peccata, remittuntur eis*, &c.

In Eccleſia Græca is ſervatur ritus. 1. Accedit ad Pontificem is qui 17
 Or-

Ordinari debet, „ cujus caput ter ſignat Pontifex. Qui vero ordina-
„ tur, fronte incumbens ſacræ aræ utrumque genu flectit. Diacono
„ vero clara voce dicentes, *Attendamus*, ſtatim Pontifex impoſita ma-
„ nu una cum pallio clara voce enuntiat: *Divina gratia, quæ ſemper*
„ *infirma curat, & quæ deſunt, ſupplet, promovet N. venerabilem Diaco-*
„ *num in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat ſuper ipſum gra-*
„ *tia ſanctiſſimi Spiritus*, &c. rurſus ſignans eum ter Pontifex, & manum habens impoſitam, orationem myſtice, ſeu ſecreto, recitat, quæ inter cetera id habet: *Tu, Domine omnium, ſecundum beneplacitum tuum velis, ut iſte, quem tibi placuit a me promoveri, ſuſcipiat.... magnam hanc gratiam Spiritus Sancti tui.... ſicut dignitas hujus Sacerdotalis honoris a tua præcognitiva potentia ipſi donati requirit.*

18 2. Poſt novam orationem cum impoſitione manus, „ jubet eum ſurgere Pontifex, & poſteriorem partem ſtolæ ad anteriorem ex parte „ dextera transfert dicens: *Dignus*.... Deinde induens eum planetam „ iterum exclamat, *Dignus*. Ita demum oſculo ſalutat Pontificem & „ Presbyteros, ac diſcedens ſtat una cum Presbyteris liturgiam reci- „ tans. Demum primus ſtato tempore inter alios Presbyteros com- „ municat." Ita ibid. Arcudius pag. 187.

19 Demum neque etiam idem eſt utriuſque Eccleſiæ ritus in ordinatione Diaconi.

20 1. Enim apud Latinos Epiſcopus poſt præambulas quaſdam orationes, orationem aliam per modum Præfationis, extenſis ante pectus manibus, incipit, quam in medio abrumpens, ſoluſque extenſam manum dexteram ponit ſuper caput cuilibet Ordinando; dicens ſingulis: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus, in nomine Domini*. Poſtea proſequitur, extenſam tenens manum dexteram uſque in finem præfationis: *Emitte in eos, quæſumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus miniſterii tui fideliter exequendi, ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur*, &c.

21 2. Finita hac prece Pontifex cuilibet Ordinando ſtolam imponit, dicens ſingulis *Accipe ſtolam candidam de manu Dei: Adimple miniſterium tuum*, &c.

22 3. Eoſdem induit Dalmatica, hæc interim proferens: *Induat te Dominus indumento ſalutis.*

23 Poſtremo tradit ſingulis librum Evangeliorum, dicens: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei*, &c.

24 „ In Eccleſia Græca futurus Diaconus ter aram ſacram circuit, & „ ſigno crucis facto deoſculatur ter ſingulos angulos Altaris. Deinde „ accedit ad Pontificem, qui ejus caput ſignat ter.... poſthac qui „ ordinatur, in ſacra menſa fronte inhæret, & genu dexterum fle- „ ctit. Archidiacono vero clata voce proferente, *Attendamus*, Ponti- „ fex habens manum impoſitam capiti Ordinandi, clara voce enun- „ tiat: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit,* „ *promovet N. reverendum Subdiaconum in Diaconum. Oremus igitur pro* „ *ipſo*, &c. ut ſupra.

25 „ Poſt varias orationes circumdat Pontifex illi qui ordinatus eſt in „ ſiniſtro humero orarium, hoc eſt ſtolam, dicens, *Dignus*.... Dein-

„ de

„ de exhibito oſculo pacis porrigit illi Pontifex ſacrum flabellum, &c.

His poſitis, antequam ad ſingulos Ordines deveniatur, videndum generatim an Ordinis hierarchici materia ſit, vel ſola manuum impoſitio, vel ſola porrectio inſtrumentorum, vel utraque ſimul. Multiplex autem eſt ea de re opinio. 26

Prima eorum eſt qui Ordinationem nulli fixo ritui, nulli verborum formulæ, ſeu in ſpecie, ſeu in genere, affixam fuiſſe exiſtimat. Ita ſenſerunt male feriati quidam Juris Canonici Doctores, qui eo uſque delirarunt, ut quempiam Epiſcopum aut Presbyterum fieri poſſe crediderint per ſola hæc Papæ verba: *Eſto Epiſcopus*: *Eſto Presbyter*. 27

2. Alii, ſi tamen plures, docent geminam & diſparem pro Diaconatu & Presbyteratu materiam a Chriſto inſtitutam eſſe, aliam quidem ad uſum Occidentis, quæ Petro tradita ſit, chriſmationem nempe & inſtrumentorum porrectionem, aliam ad uſum Orientis, quæ data ſit Paulo, videlicet manuum impoſitionem. Idem docent de forma, quam ſub verbis imperativis Principi Apoſtolorum, gentium autem Doctori ſub modo indicativo præſcriptam fuiſſe contendunt. Ita Joannes Harduinus S. J. vir omni ſenſu ſingularis. Juxta eum ritus Latinæ Ordinationis ritu græco longe auguſtior eſt & nobilior, non equidem penes efficaciam, quia idem eſt utrobique Sacramentum; ſed quoad modum ſignificandi, quia Sacramenti effectum perfectius & diſtinctius ſignificat ad normam Chriſti, qui Sacerdotes per imperativam formam conſtituit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: *Accipite Spiritum Sanctum*; quod & ſemper imitata eſt Eccleſia Latina, dicendo: *Accipe poteſtatem offerre Sacrificium*, &c. 28

Nihil autem, juxta Harduinum ſapientius conſtitui potuit, quam duplex illa materia, eique correſpondens forma duplex. Decebat quippe ut S. Petrus, qui ſedem ſuam & Religionis centrum Romæ conſtituturus erat, nobiliorem, licet difficiliorem haberet ordinandi ritum. Contra vero non decebat ut Paulo, qui Orbem continuo curſu peragraturus erat, præſcriberetur uſus chriſmatis & olei, quæ ſæpius defuiſſent, immo quorum ne tunc quidem vaſa & inſtrumenta condita erant. Ita Scriptor ille in Opere cui titulus: *La Diſſertation du P. le Courayer ſur la ſucceſſion des Evaques Anglois .... refutèe*, part. 2. c. 1. & alibi paſſim. 29

3. Alii plures ſolam manuum impoſitionem aſſignant pro materia, & ſolam orationem pro forma eſſentiali: inſtrumentorum vero porrectionem; eique adjuncta verba pro ritu mere accidentali habent, aut ad ſummum integrante, qualis eſt in Pœnitentia ſatisfactio. Ita e recentioribus ſentiunt Morinus p. 3. Exercit. 1. cap. 1. Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii, Tom. 3. Operum S. Gregorii, novæ edit. pag. 505. & ſeq. Goarius in Euchologium, pag. 256. n. 11. Martenius Lib. 1. de antiquis ritibus cap. 8. art. 9. n. 17. Becanus hic c. 26. q. 4. concl. 3. Arcudius re, ut credidit, maturius expenſa, cap. 7. de Ordine, Witaſſius ubi de cujuſque ſpeciatim Ordinis materia, Tournely pag. 46. & alii plures, quibus præivit S. Bonaventura in 4. diſt. 24. part. 2. art. 1. q. 4. ubi diſertim, nec ſemel pronuntiat, in *primitiva Eccleſia, tantum per manuum impoſitionem Ordines collatos fuiſſe, & conferri potuiſſe*. Ut tamen veterem ritum cum novo, qui manuum 30

impoſitioni porrectionem inſtrumentorum adjungit, quadantenus conciliet, ſubdit Doctor Seraphicus, in manus impoſitione, qua ſolum utebantur Veteres, implicite & virtualiter contentum fuiſſe quidquid ſe habet per modum inſtrumenti, quia manus præcipuum inter inſtrumenta locum habet, ſeu, ut ipſe loquitur, *Organum Organorum eſt*.

31 4. Non pauci, licet nunc pauciores quam alias, eſſentialem Ordinis materiam in porrectione inſtrumentorum, & formam in verbis eum ipſa prolatis conſtituunt. Manus vero impoſitionem aut confundunt cum actione porrigendi inſtrumenta, aut ſi diſtinguunt, pro cæremonia tantum accidentali, vel integrante habent. Ita Dom. Soto in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 4. concl. 5. Valentia hic diſp. 19. quæſt. 1. puncto 5. Eſtius eadem diſt. 24. §. 24. Sylvius ad quæſt. 37. art. 2. Gonet diſp. 2. num. 45. Ulterius progreditur Vaſquez in 3. p. diſp. 238. cap. 4. ubi de materia Diaconatus agens, *Communis ſententia eſt*, inquit pag. mihi 242. *ſolam traditionem libri Evangeliorum materiam eſſe hujus Sacramenti; & ſola verba quibus traditur, eſſe formam: Quam quidem ita veram exiſtimo, ut oppoſita non ſolum notam temeritatis, ſed erroris etiam inurendam eſſe cenſeam*. At ipſum Vaſquem temeritatis nota inficit Arcudius, cum, inquit, Lib. 6. cap. 7. videatur adverſari & Scripturæ, & perpetuæ praxi Eccleſiæ, quæ conſtanter imponendæ manus ritum ſacris in Ordinationibus retinuit. Et vero Iſaac Habertus in notis ad Pontificale Græcorum graviter carpit Scholaſticos, qui in problema verterunt an in Ordinatione eſſentialis ſit manuum impoſitio, *quod*, ait, *numquam induci, numquam tolerari debuerat*. Quin & Maldonatus hic qu. 3. part. 2. prop. 1. definiit, *fide Catholica tenendum eſſe, manuum impoſitionem eſſe partem eſſentialem hujus Sacramenti*; & propoſ. 4. vult ad *fidem proxime accedere quod traditio inſtrumentorum ſit materia neceſſaria*. Utrumque male in puncto hactenus Theologicæ diſputationi permiſſo.

32 5. Alii manuum impoſitionem & una porrectionem inſtrumentorum perinde ſacræ Ordinationis materiam conſtituunt, & formam in orationibus, quæ utrique, vel ſecundæ actioni reſpondent. Ita Vaſquez, Maldonatus de quo ſtatim, Bellarminus, Hallerius, Iſambertus, &c. Sed & hi dividuntur inter ſe. Quidam enim hanc manus impoſitionem reponunt in ipſa actione, qua porriguntur inſtrumenta: quidam diſtinguunt omnino. Sunt qui porrectionem inſtrumentorum a Chriſto inſtitutam ad nos uſque per Traditionis canales deveniſſe contendunt, cum Vaſque: ſunt qui eam non a Chriſto, ſed ab Eccleſia invectam eſſe opinentur cum Becano hic cap. 26. quæſt. 4. concl. 3. Atque hinc ſponte fluit poſtrema plurium opinio. Itaque

33 6. Exiſtimant alii Chriſtum quorumdam Sacramentorum materias & formas generatim dumtaxat inſtituiſſe; earum vero determinationem judicio & auctoritati Eccleſiæ permiſiſſe; non ut per obvium quodque ſignum aut verbum ordinarent, uti citato loco nugatur Harduinus, ſed ut per ſignum Sacramentalis effectus religioſe ſignificativum miniſtros ſacros conficerent. Hæc opinio id habet commodi quod præſentem controverſiam feliciter dirimat. Ea enim admiſſa ſtatim intelligitur variam variis temporibus eſſe potuiſſe apud Latinos Ordinum materiam;

ne-

neque opus eſſe ut eadem ſit in Oriente, quæ nunc apud Occidentales: quia potuit Eccleſia inferior de conſenſu ſuperioris Eccleſiæ certam ſibi materiam præ alia ſeligere. Verum ipſa hæc opinio non minimis ſubjacet difficultatibus, uti oſtenſum eſt Tom. IV.

6. Alii materiam & formam (quæcumque eæ ſint, & quantumvis rite apponantur) ad Ordinationis valorem, donec accedat Eccleſiæ conſenſus, ſufficere negant. Unde fieri volunt, non quidem ut Ordinatio primum approbata deinceps irrita fieri poſſit, ſed ut quæ ceteroqui numeris omnibus abſoluta erat, vel ad tempus, vel in perpetuum invalida ſit, prout ei ad tempus vel in perpetuum ſuam ei approbationem denegaverit Eccleſia. Ita Herbertus Thorndik, Anglus in Opere inſcripto *Origines Eccleſiaſticæ*, c. 20. p. 363. cujus ſyſtema modeſte tamen proponit & approbat Franc. le Courayer part. 2. diſſ. de validitate Ordinat. Anglican. c. 15. p. 115. Jam ut a facilioribus ad difficiliora progrediamur, ſit 34

CONCLUSIO I. Ordinatio certa quadam ſemper materia & forma conſtitit. 35

Prob. 1. ſi Ordinatio non ſemper certa quadam materia conſtiterit, vel quia Sacramentum ut ſic non neceſſario poſtulat materiam & formam; vel quia tale Sacramentum, puta Ordinis, ut ſine manuum impoſitione, ſic & ſine inſtrumentorum traditione conferri poteſt. Atqui neutrum dici valet. Non 1. cum uti Tom. IV. probavimus adverſus Paulicianos, in tota Chriſti Eccleſia ſemper quoad ſubſtantiam receptum ſit id Eugenii IV. *Sacramenta omnia perficiuntur rebus tamquam materia, verbis tamquam forma*. Non 2. cum ex conſtanti Patrum traditione, ex antiquis Canonibus, & Ritualibus Libris indubie conſtet, neminem umquam abſque ullo exteriori ritu fuiſſe inauguratum, & quidem ita fixo, ut ſaltem in eſſentialibus ubique idem ſemper fuerit, nec umquam pro nutu immutatus. 36

Prob. 2. Ex ipſo Ordinis fine, qui is eſt ut certi homines addicantur Sacris, & ab omnibus certo habeantur tamquam Eccleſiæ præfecti. Atqui niſi per certum & fixum ritum conſtituerentur, jam certo haberi non poſſent pro Sacrorum & Eccleſiæ Miniſtris. Quæ enim forma vel materia uni probaretur, hæc alii diſpliceret ut temere, nove, aut etiam ſacrilege adinventa; prout ſemper evenit quoties aliquid in Sacramentorum ritibus immutatum eſt. Unde horrenda ſequeretur Chriſtianæ Reipublicæ perturbatio. Ergo. 37

Obj. 1. S. Gregorius Nyſſenus in vita Gregorii Taumaturgi, Tom. 2. p. 545. narrat hunc, cum fugeret Sacerdotium, & tridui itinere diſſitus eſſet, Deo ſacerdotem conſecratum eſſe a Phædimo Amaſcentium Antiſtite. Atqui vir tam longe diſtans non potuit per impoſitionem manus, aliudve ſignum exterius Ordinari. 38

R. Diſt. maj. Deo conſecratum, id eſt devotum atque efficaciter deſtinatum ſacro miniſterio, quem admodum olim infantes Religioni Monaſticæ devovebantur, C. id eſt jam tunc conſecratum Sacerdotem, N. itaque Phædimus Sacerdotio Gregorium devovit tam fortiter, ut ad Phædimum, Deo ſic volente, reverti coactus ſit. At nullum Epiſcopi munus ante obiit, quam Sacra ordinatione initiatus eſset. *Sic* 39

igitur,

igitur, ait ibidem Nyſſenus, *jugum ſubire coactus, omnibus poſt hæc quæ fieri ſolent ſollemnibus in eo peractis*, &c. Porro non erat jam Sacerdos, qui indiguit ut circa ſe fierent quæque in aliorum conſecratione fieri ſolebant. Sed de his jam ſupra.

40 Obj. 2. Daniel Stylita vir impendio ſanctus a Gennadio Patriarcha CP. ad imam ipſius columnam ſtante ſtans ipſe ſupra Columnæ faſtigium Presbyter inauguratus eſt, uti apud Surium ad diem XI. Decembris refert Metaphraſtes. Atqui nulla in hujuſmodi conſecratione fuit aut eſſe potuit manuum impoſitio. Ergo.

41 R. 1. Tam modicam apud eruditos eſſe fidem Metaphraſtæ illius, nihil ut certi ex narratione ipſius inferri poſſit.

42 R. 2. hanc quidem Gennadii mentem fuiſſe ut Stylitem conſecraret, an autem de facto & reipſa conſecraverit, tamdiu ambigi poſſe donec Ordinationem hanc ratam declaraverit Eccleſia. Neque ſi talem declaret, ſequitur eam in pari caſu valituram eſſe; quia quæ peculiari Dei juſſu fiunt, in exemplum trahi non debent.

43 R. 3. diſt. min. nulla in hoc caſu fuit impoſitio manuum phyſica, quia qui phyſice diſtat, phyſice tangi non poteſt. C. nulla fuit impoſitio moralis, N. Qui enim manum verſus aliquem porrigit, eidem manus imponere cenſetur, ut patet in adminiſtratione Confirmationis, ad quam non requiritur ut pueris ſingulis manus imponantur phyſice, ſed ſufficit quæ fit verſus omnes generalis manuum exporrectio, quia ut alibi diximus, non phyſice, ſed moraliter agunt Sacramenta. Subdit Witaſſius Tom. I. p. 101. non deeſse Scriptores qui aſſerunt, Gennadium poſt preces in ſolo recitatas ad columnæ culmen gradum feciſse, ibique Danielis manus impoſuiſse. Vide Baillet ad diem XI. Decembr.

44 CONCLUSIO II. Defectus approbationis Eccleſiæ Ordinationem legitimo ritu peractam irritare non poteſt. Eſt contra Herbertum Thorndik.

45 Prob. Quia, ut bene Gabriel Muſson e Regia Societate: Illud ſyſtema rejiciendum eſt, quod hactenus in Eccleſia inauditum fuit, quod ipſius Ordinationis eſsentiæ repugnat: quod Eccleſiæ praxi adverſatur: quod errori Novatorum Ordinem in mera deputatione conſtituentium impendio favet. Atqui tale eſt ſyſtema Thorndiki valorem noſtri hujus Sacramenti ab Eccleſiæ conſenſu repetentis.

46 1. Novum eſt & inauditum in Eccleſia: cum nec in Scripturis, nec in traditione, nec in Theologorum ſcriptis contineatur: & aliunde nuſquam eo, tametſi admodum commodo, uſa ſit Eccleſia ut de Ordinum, ſeu intra, ſeu extra ipſam contra Canones collatorum valore judicaret, prout fatetur qui ipſum proponit Courayerus ib. pag. 120. Hinc paullo ſupra dixerat: *Ce n'eſt que parce que ce principe n'a pas été aſſez connu qu'on voit ſi peu d'uniformité dans l'Egliſe, ſur tout ce qui regarde cette matiere.* Quid porro ſentiendum in materia Sacramentaria, inter cæteras gravi, de ſyſtemate hactenus vere ignoto?

47 2. Idem Syſtema repugnat naturæ Ordinationis. Siquidem in eo ſyſtemate ad Ordinationem ut valida ſit, non ſatis eſt ſolus Miniſtri Ordinantis character cum toto ritu per Chriſtum inſtituto, ſed neceſsaria eſt Eccleſiæ ratihabitio. Atqui principium hoc ipſi Ordinationis na-

turæ

turæ repugnat. Siquidem juxta Auguſtinum, cui nuſquam Patrum ullus hac in parte contradixit, eadem eſt Ordinis ratio quæ Baptiſmi; unde celebris iſthæc illius in Libris contra Donatiſtas ſententia, *utrumque*, Ordinem ſcilicet & Baptiſma; *Sacramentum eſſe*; *utrumque eodem modo dari*, *illud cum baptizatur*, *iſtud cum ordinatur*; *neutrum iterari* &c. Atqui Baptiſmus ritu præſcripto datus, ſemper valuit abſque ulla Eccleſiæ approbatione, ſeu Miniſter ad eum conferendum deputatus eſſet, ſeu non, ut ſi vel intruſus, vel hæreticus foret. Ergo & Ordinatio a quocumque caracterem, licet non juriſdictionem habente data, de ſe & ex natura ſua ſemper valida judicari debet.

3. Et iſtud quoque ſyſtema praxi Eccleſiæ adverſatur. Eccleſia enim nihil, quoad modum ſcilicet, approbat & ratum habet ex iis quæ fiunt a Schiſmaticis, vel ab hæreticis qui ab ejus communione palam recedunt, & eo uſque identidem progrediuntur, ut ipſi anathema dicant. Atqui tamen horum Ordinationes ſemper uti validas admiſit, ſicut & collatum ab ipſis legitimo ritu Baptiſmum: prout liquit præſertim in negotio Donatiſtarum. Unde ſemper viguit ea lex Carthaginenſis Concilii III. Can. 38. (Tom. 2. Labb. p. 1172.) *Illud ſuggerimus mandatum nobis*, *quod etiam in Capuenſi*, vel Capſenſi, *plenaria Synodo videtur ſtatutum: non liceat fieri rebaptizationes & reordinationes*. Hinc ſupra citatæ Diſſertationis Auctor p. 120. *C' eſt aux lecteurs à juger ſi ce principe a autant de ſolidité, qu' il paroit avoir d' avantages*; *& s' il eſt permis de l' adopter*, *en voyant qu' on ne s' en eſt jamais ſervi dans l' Egliſe*, *pour expliquer la difficulté dont il eſt queſtion*. 48

4. Demum ſyſtema illud, ſi non per ſe & neceſsario, at ſaltem ex mente Thorndiki favet errori Novatorum, qui totam Ordinis rationem conſtituunt in mera ad functiones ſacras deputatione, per Eccleſiam, id eſt ut intelligunt ipſi, per plebis congregationem facta. Non enim certius de Scriptoris intento judicari poteſt, quam ex ipſius verbis. Porro Thorndick in Opere citato remittit ad Lib. 2. Antonii de Dominis, c. 4. n. 2. ubi famoſus ille Apoſtata Ordinationem *in ſola legitima*, *tamen poteſtativa*, *deputatione* reponit. Unde, inquit, *non eſt ergo Ordo verum Sacramentum*, *ſed mera ad miniſterium deputatio ſine illis caracteribus & impreſſionibus*. Ergo. 49

Prob. 2. impoſſibile eſt ut qui ſemel Sacerdos fuit, dehinc laicus evadat, ut definiit Tridentinum ſeſs. 23. can. 4. Atqui quocumque ſe vertat Courayerus, admiſſo Herberti ſyſtemate numquam explicabit cur laicus fieri non poſsit, qui ſemel inauguratus eſt Sacerdos. Si enim Ordinatio rite peracta tamdiu nullius ſit momenti, donec eam comprobaverit Eccleſia, quare quæ ſemel comprobata erit, revocata approbatione non revertetur ad priorem nullitatis ſtatum? Sane vel qui rite conſecratus eſt, ante approbationem Eccleſiæ vere Sacerdos erat, vel non. Si erat; ergo approbatio Eccleſiæ ſe habet ad ſummum ut conditio extrinſeca, ſine qua non poteſt Sacerdos Ordinis ſui munia licite exequi: Si non erat; ergo a contrario ritus Ordinationis ſunt quidem præambula ad Ordinis validitatem conditio, ſed validitas illa vere & ſubſtantialiter pendet ab Eccleſiæ conſenſu. Ergo iterum cum per quaſcunque cauſſas res naſcitur, per eaſdem & 50

diſ-

diſſolvi poſſit, neceſſum eſt ut revocato ab Eccleſia conſenſu, quem primum præſtiterat, revocetur & ipſa Ordinatio, adeoque ut laicus fiat, qui antea erat Sacerdos, donec accedente novo Eccleſiæ conſenſu rurſum fiat Sacerdos, qui in laicum tranſverſus fuerat: Quod ipſum eſt Novatorum ſyſtema.

51 Hac ex parte redibunt probationes infra contra Morini opinionem afferendæ.

52 Obj. ſyſtema, quod hinc quidem Eccleſiæ admodum utile foret, inde vero gravibus nititur momentis, non eſt temere rejiciendum. Atqui ſyſtema quod Ordinationum valorem ex Eccleſiæ arbitrio repetit aut ſuſpendit....

53 1. Eccleſiæ admodum utile foret. Nihil enim Eccleſiæ utilius eſt, quam ut fixa & brevi regula de Ordinationum validitate aut invaliditate judicare poſſit; ut imis a radicibus ſectas omnes præcidat; & oppoſita variarum Eccleſiarum circa Ordinationes facta, quæ Theologos dilaniant, conciliet. Atqui triplex iſtud bonum abunde parit Torndiki principium. Eo ſtate, confeſtim innoteſcit quæ ordinatio valida ſit, quæ irrita; quia ſtatim innoteſcit quæ approbata ſit, quæ per Eccleſiam rejecta. Eo ſtante corruunt Sectæ omnes; quia nulla jam habebit Miniſtros; cum Miniſtri eſſe non poſſint ſine Eccleſiæ conſenſu; & Sectariorum Miniſtros improbet Eccleſia. Demum eo ſtante conciliantur oppoſita Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ facta. Alicubi enim rejectæ ſunt, alicubi admiſſæ ſimoniacorum aut ſimilium Ordinationes: hinc graves apud Theologos controverſiæ, quæ jam ſedabuntur: nimirum valebant, quas approbavit Eccleſia; erant vero irritæ quas alias Eccleſia rejecit.

54 2. Idem ſyſtema gravibus nititur momentis, auctoritate ſcilicet & ratione. Auctoritate quidem, quia S. Leo, vir Apoſtolicæ traditionis æque ſcius & vindex, pro validis vel irritis habuit Ordinationes, prout has vel approbaverat, vel improbaverat Eccleſia. Sic enim loquitur S. Pontifex Ep. 2. ad Ruſticum Narbonenſem, c. 1. *Si qui autem Clerici ab ipſis Pſeudoepiſcopis in eis Eccleſiis Ordinati ſunt, qui ad proprios Epiſcopos pertinebant, & eorum Ordinatio conſenſu & judicio Præſidentium facta eſt, poteſt rata haberi, ita ut in ipſis Eccleſiis perſeverent: Aliter autem vana habenda eſt creatio, quæ nec loco fundata eſt, nec auctore munita.* Ubi Ordinatio vel firma eſt, quia *conſenſu & judicio Præſidentium* facta ſit, vel irrita eſt, quia non ſit eo conſenſu *munita.*

55 Neque minus eidem ſyſtemati favet ratio Theologica. Nihil enim eſt cur non poſſit Eccleſia circa Ordinationem, id quod circa Matrimonium poteſt. Atqui Eccleſia per approbationem ſeu juriſdictionem Miniſtro datam validum facit Matrimonium: idem vero per ſubtractam juriſdictionem irritat. Ergo.

56 R. 1. non ideo verum eſſe ſyſtema, quia difficultates quaſdam abigit, ſed quia ſolide abigit. Num porro difficultates ſolide elevat ſyſtema, quod hactenus in Eccleſia vere inauditum fuit, & vix natum totam Theologiam commovit.

57 R. 2. Herberti opinionem plura parituram incommoda, quam tolleret. Vel enim opus erit totius Eccleſiæ diſſenſu ut Ordinatio quæpiam

piam irrita ſtatuatur, vel ſufficiet particularis Eccleſiæ improbatio? Si primum: Quis controverſiæ finis? an interrogandæ erunt ſingulis diebus provinciæ omnes, ut reſciatur an hunc vel illum Sacerdotem approbent? An ſi pars una improbet, approbet altera, huic præ illa ſtandum erit? An computanda erit approbatio ex errore facta, vel ex iniquo motivo denegata, &c. Si ſecundum, ut probabiliter fatebitur adverſarius, & ex ejuſdem probationibus e variarum Eccleſiarum agendi ratione petitis ſequitur; jam 1. incertum eſt an in Romanorum mente Græci ullos habeant Sacerdotes, idemque quantum ad Grçcos incertum erit de Romanis; quia neutri forte aliorum Ordinationes approbant, 2. qui in loco Ordinationis ſuæ improbatus, alio ſe tranſfert ubi approbatur, erit in uno loco Sacerdos, in alio laicus, 4. ut jam dixi, qui hodie ſacerdos eſt, quia hodie approbatus, craſtina die nihil erit, quia exciderit ab approbatione; quomodo qui hodie per juriſdictionem Miniſter eſt Matrimonii legitimus, cras Miniſter ipſius eſſe nequit, quia juriſdictione ſua privatus eſt. En graviora incommoda, quam quibus occurrere vult Diſſertator, & quibus de facto non occurret; quia id unum malo medetur; quod omnes uti quid certi admittunt. His adde quod cauſſam ipſe ſuam prodat, quia ne Anglicana quidem Eccleſia primas, quæ ſecundum Eduardi rituale peractæ ſunt, Ordinationes approbavit.

R. 3. ad 1. & 2. primę partis neg. min. Habet enim Eccleſia independenter a futili Angli Doctoris commento, unde de valore vel invaliditate Ordinationis, ſicut & de Baptiſmi valore aut nullitate, certo dijudicet; quia certo cognoſcit quo ritu prætermiſſo vacillet utriuſque Sacramenti ſubſtantia. Hanc autem certi judicii regulam non habet in novo Thorndiki ſyſtemate, tum quia nullibi receptum eſt; tum quia numquam univerſim conſtare poteſt, quæ Eccleſia legitimam approbationem vel approbationis denegationem dare idonea ſit; 2. an negata Pariſiis approbatio, per alterius Provinciæ approbationem ſuppleri poſſit, 3. an ſi Eccleſiæ ejuſdem pars una approbet, improbet vero altera, huic præ iſta ſit adhærendum. 58

2. Neque eadem opinio Sectas Sectarioſve perimit. Ecquis eorum Ordinationes efficaciter perimet, improbabit? An Rom. Pontifex? At eum Antichriſtum traducunt. An Eccleſia alia? At Eccleſia improbans non plus habebit juris quam approbans: immo nec a Sectariis audietur, quia Sectarii ſuis inhærent Ducibus, & ceteros dedignantur, niſi exhorrent. Immo annon ſatius eſt ut Græci Schiſmatici veram habeant Miniſtrorum ſeriem, quam ut nullos prorſus habeant Paſtores? Sane ex perpetuo eorum miniſterio & realitatem Euchariſtiæ, & Ordinis dignitatem, & potiora ſua dogmata invicte contra Pſeudoreformatos probant Catholici: & hi ab illis identidem in neceſſitatis caſu Sacramentum Pœnitentiæ recipiunt: quod & ut alia ad certam uſque ætatem fructuoſe recipere valent, qui materialiter tantum ſchiſmatice vivunt. Ergo inanis eſt, & forte periculoſa, quam ex Miniſtrorum extinctione nobis comminiſcitur Herbertus, Sectarum extinctio. De quo tamen poſtremo capite ſit judicium penes Eccleſiam, cui dociles, Deo dante, in perpetuum obſequemur. 59

3. Ne-

60 3. Neque etiam varia Hiſtoriæ facta conciliabit eadem opinio, quia ſemper inquirendum remanebit an ab una Eccleſia merito approbatum ſit id quod ab alia fuerat rejectum. Ceterum facta hæc, quæ fatente Thorndiko *pauca ſunt*, infra ex alio certiori principio conciliabimus: immo jam nunc palam negamus uſquam factum eſſe, ut quas uno tempore Ordinationes ratas habuit Eccleſias, has alio tempore in ſimili caſu habuerit pro irritis.

61 Ad 2. part. ſupra n. 54. diſt. ant. S. Leo pro validis aut irritis quoad uſum & exercitium habuit Ordinationes, ſecundum quod approbatæ vel improbatæ fuerant, C. pro validis aut irritis quantum ad ſubſtantiam, N. Solutio conſtabit ex dicendis, ubi de hæreticorum Ordinationibus: ibi namque oſtendetur eas non raro irritas dictas fuiſſe, quarum, quia contra leges factæ eſſent, exercitium ordinatis interdictum erat.

62 Ad objectionem a paritate Matrimonii petitam, neg. maj. longe enim alia eſt Ordinis, alia Matrimonii conditio. Ordinatio eſſentialiter ſita eſt in conſecratione; hæc autem ut valide fiat, nihil præter caracterem requirit. Matrimonium contra, vel caracterem non requirit, ut ſentiunt multi, vel ſi requirit, ſimul neceſſario poſtulat juriſdictionem; quia ceteroqui periclitaretur ordo Reipublicæ, ſi quis quemque pro nutu maritaret. Ergo, cum juriſdictio tolli poſſit, non autem caracter, nulla eſt a Matrimonii invaliditate ad Ordinationis nullitatem illatio.

63 CONCLUSIO III. Rejicienda etiam novitas Harduini duplicem materiam & formam pro Occidente & pro Oriente imaginantis.

64 Prob. 1. Quia, ut ſolide differit idem qui ſupra, Navarricus Doctor, in materia gravi, qualis eſt quæ ad Sacramenta ſpectat, non eſt admittendum ſyſtema toti Eccleſiæ hactenus incognitum, nulli fundamento innixum, Eccleſiaſticæ unitati male conſulens, gravibuſque obnoxium incommodis. Atqui tale eſt ſyſtema unam Occidenti, aliam Orienti materiam & formam affingens.

65 1. Toti hactenus Eccleſiæ incognitum fuit, (ſicut & ante Harduinum ignota erat imaginatio, quæ Patrum, aliorumque, dempto Plinio, opera undecimo & duodecimo poſt Chriſtum ſæculo ab impoſtoribus fabricata eſſe temere mentitur) Cedo enim vel unum Patrem, Theologumve, qui Presbyteros alio ritu a Petro, alio a Doctore gentium ordinatos fuiſſe, etiam ſomniando cogitaverit. Apage novitatem.

66 2. Nec ulla ſolida ratione fultum eſt idem ſyſtema. Ratio enim vere Theologica ex Scripturis aut Traditione, non ex inanibus commentis depromitur. Atqui nec ex Scriptura nec ex Traditione decertat Harduinus: abſit hoc ab illo. Id unum cauſſatur, Paulum, eo quia longe lateque excurreret, nec chriſma ſecum, immo nec vaſa Chriſmati ſervando idonea, quia necdum facta eſſent, deferre potuiſſe; quod facile potuit Petrus, qui ſuam Romæ ſedem fixit, vel potius nunquam fixit, cum Romæ nuſquam ſederit; de quo p. 2. c. 3. a. 2. Atqui hæc tam abſona ſunt, ut qui audiunt, vix a riſu temperent. An enim phialę, vaſiſve alicujus fabricatio ita difficilis erat; ut infra paucos dies confici non poſſent? An quia e provincia in Provinciam excurrebat Apoſtolus, nemini morituro Ext. Unctionem impendebat: quæ tamen

men oleum & vaſa requirit? An ſi forte præſenti ubicumque oleo poſt benedictionem ad iſtud caritatis officium utebatur, non potuit oleo & criſmate in uno quoque loco pariter uti? An rariora erant in Paleſtina oleum & chriſma, quam ſint apud nos? Annon potuit in curſibus ſuis Paulus, quod poſſunt Epiſcopi noſtri, cum ad Tonkinum vel Sinas tranſmigrant? An ſtatim ac territorium aliquod acceſſerat, Presbyteros ac Epiſcopos conſecrabat, neque ſibi, per triennium Epheſi ac in finitimis locis commoratus, neceſſaria parare poterat? An demum Petrus ipſe in eodem ſemper loco ſtetit, donec Romam contenderet? Annon ſedit Antiochiæ per annos plures, & ibi ſaltem præſcriptas ſibi a Chriſto materiam & formam relinquere debuit? Mitto infinita id genus, quæ animo catervatim ſe contra Harduinum objiciunt. Apage nugas & deliria.

3. Neque idem ſyſtema ſatis conſulit unitati Eccleſiæ. Poſtulat enim 67
ſancta hæc unitas, ut fideles omnes unum ſint in Chriſto & Sacramentis ejus, quæ ſunt unitatis ſymbola, adeo ut *unus adverſus alterum non* 1. Cor.
inſletur, neque dicat, *Ego ſum Cephæ*, *ego autem Pauli*. Atqui unitas 4. 6.
illa non parum imminuetur, ſi ſuus ſit Occidenti, iſque *nobilior & auguſtior*, Ordinationis ritus a Petro, ſuus & Orienti, neque tam nobilis, a Paulo. Si enim propter Baptiſma, quod eodem ritu omnibus collatum erat, inflabantur qui ipſum a Paulo vel a Cepha receperant, quanto plus inflari poterunt, qui ab Harduino didicerint ſe juxta ritum Petri, eumque nobiliorem, ordinatos fuiſſe? Et vero ſi unitati proſpiciens Chriſtus unum duntaxat ritum inſtituerit pro ceteris Sacramentis, præſertim vero pro Ext. Unctione, cujus adminiſtratio iiſdem obnoxia erat incommodis, quæ Harduinum territaverunt: cur ſuam in Ordinationis inſtitutione agendi rationem immutaſſe gratis cenſebitur? Apage ſpiritum diviſionis.

4. Idem ſyſtema, ut nova quæcumque, non uni obnoxium eſt in- 68
commodo, ut advertit citatus ſupra Doctor, 1. enim ex eo ſequitur Chriſtum, dum in vivis ageret, nullam pro Orientalibus Eccleſiis præſcripſiſſe Ordinationis formam: cum Paulus, utpote uno circiter anno poſt Chriſti Aſcenſum converſus, ritum ordinandi nonniſi a Chriſto jam regnante accipere potuerit; 2. Eccleſiam tum Antiochenam, quæ a S. Petro fundata eſt; tum Alexandrinam, cui primus omnium præfuit S. Marcus B. Petri diſcipulus, item & Eccleſias omnes utrique illi Sedi ſubjectas, formam eidem Petro divinitus præſcriptam ſequi debuiſſe. Atqui utrumque abſurdum eſt. Primum, quia repugnat ſenſui Eccleſiæ, juxta quem Chriſtus cum Diſcipulis per dies 40. conveſcens, inſtituit quæcumque ad Eccleſiæ ſuæ regimen neceſsaria erant. Secundum, quia Eccleſiæ Antiochena & Alexandrina, & aliæ iiſdem ſubjectæ non alium habent, aut uſquam habuiſſe leguntur Ordinandi ritum, quam ceteræ Græcæ vel Orientales. Apage igitur pruriginem levius incommodum per gravius aliud removendi.

Obj. tam potuit Chriſtus duplicem, pro variis Eccleſiæ partibus, 69
Ordinum materiam & formam inſtituere, quam potuerit pro variis temporibus inſtituere Epiſcopatus duos, duo & Baptiſmata. Atqui utrumque potuit Chriſtus & fecit. 1 Namque inſtituit Baptiſmata duo, unum quod nondum propalata Trinitatis fide in nomine Meſſiæ jam nati

con-

conferebatur, quodque ad uſque paſſionem ejus duraturum erat; & de eo loquitur S. Jo. c. 3. v. 22. & c. 4. v. 2. alterum quod in nomine Trinitatis conferendum erat, & de eo ſermo eſt Matth. 28. v. 19. 2. duos etiam inſtituit Epiſcopatus, alium *de qua prævaricatus eſt Judas*, Act. 1. c. 25. & is inſtitutus fuit, cum Chriſtus elegit ſibi duodecim Apoſtolos, Matth. 10. alium vero in die Pentecoſtes. Ita Harduinus partim in ſua juris quæſtione, partim Tom. 2 defenſionis confutatæ, p 9. 10. & ſeq.

70 R. 1. in præſens quæri quid fecerit Chriſtus, non quid facere potuerit. Potuit utique plura quam ſeptem Sacramenta inſtituere; potuit unicuique Apoſtolo peculiarem non Ordinis tantum, ſed & Baptiſmi materiam præſcribere. Atqui tamen non fecit, quia nec ex Scriptura, nec ex Patribus feciſſe probatur. Ergo pari jure, licet potuerit, &c.

71 R. 2. neg. min. quæ mera eſt in gratiam novitatis novitas. Nuſquam enim duplex Evangelicum Baptiſma, duplicemque divinæ inſtitutionis Epiſcopatum agnovit Eccleſia. Unde vel Apoſtoli Jo. 3. & 4. Sacramentalem Baptiſmum non dederunt, vel ſi dederunt, ut Tom. IV. docuimus, eumdem dederunt de quo Matth. 28. Nec obeſſet, quod forte in nomine Meſſiæ, non autem Trinitatis baptizaſſe ſupponerentur; quia ſtaret ſemper eamdem ab omnibus materiam & formam tunc temporis ſervatas fuiſſe, non aliam a Petro, aliam ab Andrea. Idem dicendum de Epiſcopatu, cui quoſdam e diſcipulis ſuis deſtinavit Chriſtus Matth. 10. ſed quem de facto non inſtituit niſi poſt paſſionem ſuam. Unde prævaricatus eſt, ſeu excidit Judas de Epiſcopatu, vel quem incomplete habuit, ſicut alii, cum ad evangelizandum miſſus eſt; vel quem una cum aliis accepturus erat, niſi tanto ſe crimine commaculaſſet. Iſta Eſtius in hunc locum. Et vero qui Judam Sacerdotem fuiſſe negat Harduinus, quomodo vere Epiſcopum fuiſſe intelliget?

72 Inſt. conſtat aliam in Occidente, aliam in Orientalibus Eccleſiis eſſe materiam; utramque legitimam. Atqui diverſa diverſis in locis materia valere non poteſt, niſi a Chriſto inſtituta ſit.

73 R. difficultatis hujus ſolutionem pendere ab iis quæ modo de cujuſque ſacri Ordinis materia dicturi ſumus. Hæc autem ut melius intelligantur, repetenda ſunt identidem quæ hujus articuli initio de diverſis Ordinationis ritibus præmiſſa fuere.

74 Conclusio IV. Impoſitio manuum eſſentialis eſt & probabiliter ſola materia Epiſcopatus.

75 Prob. 1. ea eſt eſſentialis materia Epiſcopatus, quæ a Chriſto inſtituta eſt, quam ſolam ab initio adhibuerunt omnes mundi Eccleſiæ; quam ceteris omiſſis ſolam per plura ſæcula commendaverunt ſancti Patres. Atqui talis eſt manuum impoſitio.

76 1. Hanc inſtituit Chriſtus. Quod enim penes Sacramenta fecerunt Apoſtoli, id a Chriſto receperunt, ut & Chriſtus a Deo, prout ſupra poſt ſanctos Patres diximus. Atqui 1. Apoſtoli in conſecrandis Epiſcopis impoſitionem manuum ſemper adhibuere; ut patet ex citatis pluries textibus, 1. ad Tim. 4. 14. *noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum*, &c. & 11. ad eumdem 1. 6. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei; quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum*. Ubi hæc manuum impoſitio ritus non erat acciden-

dentalis, cum & ſola commemoretur, & ei attribuatur gratiæ productio.

2. Ritum hunc conſtanter ab initio frequentaverunt Eccleſiæ omnes: 77
ita ut nulla ex antiquis proferri valeat, quæ ſine manuum impoſitione Epiſcopos conſecraverit. Et vero cur apud Latinos, ut & apud Græcos ceteroſque Orientales invaluit ut ſacra hæc Ordinatio, ſicut Sacerdotalis, nomine impoſitionis manuum & chirotoniæ donaretur, niſi quia utraque per hanc manus impoſitionem, veluti primarium quid & eſſentiale conferebatur?

3. Eamdem materiam per plura ſæcula commendaverunt ſancti Pa- 78
tres. Sic 1. Cornelius Rom. Pontifex in Epiſt. ad Fabium de Novatiano, qui nonnullos Epiſcopos ſubornaverat: *Eos*, inquit, apud Euſebium Lib. 6. Hiſt. cap. 43. *adumbrata quadam & inani manuum impoſitione Epiſcopatum ſibi tradere cogit*. Ergo tradebatur tunc temporis Epiſcopatus per manuum impoſitionem.

Sic 2. Patres Antiochenæ Synodi, ann. 341. can. 17. *ſi quis Epiſcopus* 79
per manus impoſitionem Epiſcopatum acceperit . . . nec acquieverit ire ad Eccleſiam ſibi commiſſam, hunc oportet communione privari.

Sic 3. S. Auguſtinus Lib. de geſtis cum Emerito: *Invocatio fit nomi-* 80
nis Dei ſuper caput ipſorum, quando ordinantur Epiſcopi. Hæc autem ſuper caput invocatio nihil aliud eſt quam oratio manuum impoſitioni conjuncta. Unde idem Serm. 2. *Ceteri*, ait, *non aderant Ordinationi ejus, quando ei manus impoſita eſt*.

Sic 4. Auctor Lib. de Eccl. Hierarchia, qui ceteris non improbabili- 81
ter præmitti potuiſset, cap. 5. *Epiſcopus, qui ad conſecrationem adducitur, ſupra caput habet manum Pontificis ... atque hoc modo conſecratur ... Manus impoſitio habitum vimque Eccleſiaſtici Ordinis largitur*. Plures alios dabit Vvitaſſius Tom. 2. pag. 43. & ſeq. At ii, quia non omnes de Epiſcopali Ordinatione loquuntur, extra rem videri poſsunt.

Prob. 2. ſi quæ fingi poſſit præter manuum impoſitionem eſsentia- 82
lis materia Epiſcopatus, vel Codicis Evangeliorum impoſitio ſuper cervicem electi, vel unctio capitis & manuum, vel traditio baculi, annuli, & Libri Evangeliorum. Atqui nullum ex his ſolide dici poteſt.

Non 1. quod enim ad Epiſcopatus ſubſtantiam pertinet, ubique & 83
ſemper fuit cum Epiſcopatu, & quidem per actionem ejuſdem Miniſtri. Atqui impoſitio Codicis Evangeliorum, 1. non fuit ſemper, præſertim vero cum primi ab Apoſtolis conſtituti ſunt Epiſcopi; quia nullus tunc erat Evangelii Codex; cum juxta multos S. Matthæus non ante annum Chriſti 44. Evangelium ſuum conſcripſerit; & jam ante plures eſſent Epiſcopi. Atque hinc quoties in Scriptura de Epiſcoporum inſtitutione ſermo eſt, ſola recenſetur impoſitio manuum, nuſquam vero Codicis Evangelici. Quod autem reponunt nonnulli apud Iſambertum hic diſp. 3. ar. 6. n. 8. Apoſtolos loco Codicis Evangeliorum tradidiſse iis quos ordinabant, chartam in qua Fidei noſtræ myſteria ſcripta erant, & neſcio quid ridiculi habet, & citra probationem ullam aſseritur, & ſupponit variationem aliquam in materia Ordinationis; neque enim hodie pro valida haberetur Ordinatio quæcumque, puta Diaconi, ſi in vicem Evangelici voluminis traderetur

 hujuſ-

hujuſmodi charta, poſito quod Evangelii traditio ſit eſſentialis Diaconatus materia.

84 2 Neque eadem ſacri Codicis ſupra cervicem & ſcapulas impoſitio ubique fuit in uſu. Namque 1. Iſidorus Hiſpalenſis, qui octavo Eccleſiæ ſæculo univerſos Epiſcopalis conſecrationis ritus minutatim explicuit Lib.2. de divinis Officiis, cap.5. atque ex iis multa deprompſit ad mores pertinentia, cæremoniam hanc omnino omittit, non omiſſurus dubio procul, ſi tunc in Hiſpaniis obtinuiſſet. 2. Alcuinus ſeu alius ſub ejus nomine, libro itidem de divinis Officiis: *Illud vero*, inquit, *quod duo Epiſcopi tenent Codicem Evangeliorum ſuper caput; & uno fundente ſuper eum benedictionem, reliqui qui adſunt Epiſcopi, manibus ſuis ſuper caput ejus tangunt; non reperitur in auctoritate veteri, neque nova, ſed neque in Romana traditione*. 3. Amalarius, Metenſis Eccleſiæ Diaconus in Lib. de divinis ſeu Eccleſ. Officiis, quem an.827. Ludovico pio dedicavit; hæc habet: *Dicit libellus ſecundum cujus Ordinem celebratur Ordinatio* APUD QUOSDAM, *ut duo Epiſcopi teneant Evangelium ſuper caput ejus: quod neque vetus auctoritas intimat, neque nova*. Ergo nec ſemper viguerat ritus ille in Galliis, ubi florebat Amalarius; nec ubique vigebat, ſed ſolum apud quoſdam. Idem de Germania dicendum, ſi liber de divinis Officiis genuini Alcuini fœtus eſſet.

85 3. Neque eadem impoſitio ſemper per eundem Miniſtrum facta eſt: Utique ſi impoſitio hæc eſſentialis ſit, non poteſt ea niſi ab Epiſcopo conſecrante valide fieri: quandoquidem in Sacramentis qui formam recitat, debet materiam applicare: unde Hiſpalenſis Synodus II. Can. 5. irritam declaravit Ordinationem factam ab Epiſcopo, qui, Presbytero formam ſeu Orationem recitante, manus cuipiam impoſuerat. Atqui tamen ſacri Codicis impoſitio non ſemper ab Epiſcopo conſecrante, immo nec ſemper ab ipſis etiam adſtantibus, ſeu Epiſcopo, ſeu Presbyteris facta eſt, ſed aliquando a Diaconis, ut liquet ex Lib. 8. Conſtitut. Apoſtol. cap.2. aliis 4. ubi hæc: *Unus ex primis Epiſcopis cum duobus aliis ſtans prope Altare, reliquis Epiſcopis & Presbyteris ſecreto orantibus, Diaconis divina Evangelia ſuper caput ejus qui ordinatur, aperta tenentibus, dicat converſus ad Deum: Domine Deus*, &c. Alicubi quidem impoſitio hæc fiebat ab Aſſiſtentibus Epiſcopis, ſed tunc ſilentibus, adeo ut conſecrator Metropolita ſolus poſtea preces recitaret; ut videris apud Martenium de antiquis ritibus pag. 418. 433. 458. & 484. Ergo.

86 Confirm. quia ſi Codicis Evangelici impoſitio Ordinationi huic fuiſſet eſſentialis, de ea qua tali veterum quis locutus fuiſſet. Atqui licet de Epiſcopali conſecratione innumeris in Canonibus egerint Concilia, in Scriptis Patres, in Diſſertationibus Theologi, eorum tamen nemo vim fecit in prædicto ritu tamquam eſſentiali. Hunc equidem præſcribit Concilium Carthaginenſe IV. Can.2. ſed ut faciendum a duobus Epiſcopis, cum juxta Romanum Pontificale fiat a tribus. Hunc etiam præſcribunt Conſtitutiones Apoſtolicæ, ſed ut faciendum a Diaconis. Interim neque Conſtitutiones, neque Carthaginenſis Synodus eumdem ritum vel leviter indicant ut eſſentialem. Idem dicendum de auctore Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, qui equidem in Epiſcopi conſecratione *divinorum eloquiorum*

rum

rum ſuper caput ipſius *impoſitionem* requirit: ſed quomodo *proſtrationem*, *genuflexionem*, *ſignum ſanctæ crucis*, & alia ſimilia expoſtulat.

Neque etiam ſecundum dici poteſt, nempe quod unctio capitis & manuum ſit eſſentialis. Verum enim habent Epiſcopatum Orientales Eccleſiæ. Atqui tamen in his nulla eſt unctio; ut conſtat ex Ritualibus eorum libris, quos exhibent Morinus, Goar. Martenius. Deinde nulla hujus unctionis fit mentio ſeu in Concilio Carthaginenſi, ſeu in Conſtitutionibus Apoſtolicis, aliiſve pluribus antiqui ævi monumentis. 87

Denique nec dici poteſt, quod traditio Evangelii, baculi vel annuli ſit eſſentialis. 1. Quia exiſtebat Epiſcopatus antequam Liber Evangeliorum tradi poſſet; immo ceremonia hæc recentis eſt apud Latinos inſtituti, & a nullo Rituali vel Scriptore annis quingentis vetuſtiori commemorata, ut docet Morinus part.3. c.2. nu.5. 2. quia traditio Evangelii non viget in Orientalibus Eccleſiis, quæ tamen veros habent Antiſtites. 3. Quia ante hujuſmodi traditionem Epiſcopus jam dicitur conſecratus. 88

Dixi in concluſione manuum impoſitionem eſſe *probabiliter* ſolam Epiſcopatus materiam; quia cum multi materiam Ordinum a Chriſto in genere ſolum inſtitutam eſſe velint; quam opinionem permittit Eccleſia, ſemper dubii aliquid & anxietatis remanet, annon ritus poſtmodo inſtituti ad Sacramenti eſſentiam pertineant. Quamquam nec in hoc ſyſtemate deſint ritus accidentales; ut eſt alapa in Confirmatione, traditio annuli in Epiſcopatu. 89

Obj. 1. Si manus impoſitio ſit eſſentialis, vel prout fit ab Epiſcopo conſecrante, vel prout fit ab Epiſcopis aſſiſtentibus. Atqui neutrum niſi gratis dici poteſt. 90

R. neg. min. probabilius eſt enim eſſentialem eſſe impoſitionem quæ fit ab Epiſcopo ordinante, 1. Quia ſolus is dicitur conſecrator. 2. Quia in caſſu neceſſitatis ſufficeret ipſius operatio. 3. Quia ſi forma non conſiſtat in his verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ tres ſimul Epiſcopi recitant, ſed, ut pluribus placet, in oratione ſequenti, quam ſolus Ordinator recitat, ſatius eſt ut materia conſtituatur in impoſitione ſolius ejuſdem conſecratoris. Difficile enim eſt ut materia ſit a tribus, & forma ab uno. 91

Obj. 2. In Ritualibus Libris electus ad Pontificatum dicitur *conſecrandus*, donec unctionem receperit; ea vero recepta dicitur *conſecratus*: de quo vide Martenium pag. 483. 499. 501. &c. Ergo conſecratio hac unctione fit, vel ſaltem ſubſtantialiter completur. 92

R. diſt. ant. dicitur conſecrandus per unctionem, C. per veram inaugurationem, ſeu caracteris impreſſionem, N. Cum unctio per oleum ſit ritus ſpecialiter conſecrans, ut patet ex innumeris veteris Teſtamenti locis, non inepte dicitur quis conſecrandus, donec unctionem hanc ſuſceperit. At non ideo expers erat Pontificiæ inaugurationis, prout caracterem Epiſcopalem importat. Hanc enim habet, qui Spiritum Sanctum recipit. 93

Inſt. Unctio quæ ſemper adhibita eſt in Eccleſia & Sacramentum vocatur, jure cenſetur eſſentialis & vere inaugurans. Atqui unctio Epiſcoporum .... Prob. min. ex S. Leone, qui in Lib. 1. Reg. cap. 10. unctionem Saulis id repræſentare dicit quod nunc in Eccleſia geritur, 94

in qua *qui in culmine ponitur*, ſeu Epiſcopus, *Sacramentum ſuſcipit unctionis;* qui textus duo docet, 1. unctionem Pontificiam dici Sacramentum; 2. eam non recentem fuiſſe tempore S. Leonis, prohinc de manu ad manum a prioribus temporibus traditam.

95 Reſp. unctionem vocari Sacramentum, vel quia myſtice deſignat interiorem Sacramenti effectum; vel quia pars eſt aliqua Sacramenti, accidentaria videlicet; non vero quia vel ſola eſſentialis ſit, vel unum e primariis Sacramenti conſtitutivis. Quod autem S. Leo unctionem hanc commemorat, probat quidem eam in Eccleſia Romana eſſe ſatis antiquam, ſed non probat eam ab Apoſtolicis temporibus viguiſſe. Sicut quod quædam e Liturgia recitet ſanctus idem aut quivis alius pontifex, probabit hæc antiqua eſſe, non autem ab omni ævo uſurpata.

96 CONCLUSIO V. Impoſitio manuum eſſentialis eſt Presbyteratus materia: An vero ſola hæc ſine inſtrumentorum traditione ſufficiat, dubitari poteſt.

97 Prob. 1. pars. Quod Scripturæ, Concilia, Patres, Scriptores Eccleſiaſtici, ac demum antiquiora Eccleſiæ Latinæ & univerſa Eccleſiæ Græcæ Ritualia exhibent ut materiam Presbyteratus, pro ejuſdem materia haberi debet; niſi id quod primum materia fuit, ab eo gradu excidiſſe demonſtretur. Atqui Scripturæ, Patres, &c.

98 1. Quidem Scripturæ. Act. 14. 22. ubi Vulgata legit: *Cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus:* Græca lectio ſic habet: *Cum autem per ſingulas Eccleſias Presbyteros illis manuum impoſitione conſtituiſſent, orantes cum jejunationibus.* Hic porro materia Ordinationis in manuum impoſitione conſtituitur, ſicut & ejus forma in oratione. Conſonat id I. ad Timoth. 5. 22. *Manus cito nemini impoſueris:* ibi enim de Sacerdotum ordinatione caute facienda ſermonem haberi conſtans eſt Eccleſiæ & Patrum ſenſus.

99 2. Idipſum docent Concilia. Neocæſarienſe Can. 9. *Presbyter*, inquit, *ſi impuro admiſſo facinore promotus fuerit, & confeſſus fuerit ſe ante ordinationem*, Græce *Chirotheſiam*, *peccaſſe, ne offerat .... Reliqua enim peccata plerique dixerunt manuum impoſitione tolli*. Ubi manuum impoſitio tantam ſibi vindicat partem in Sacerdotis conſecratione, ut hæc per illam ſemel & iterum deſignetur.

100 Nicænum generale Can. 9. (Tom. 2. Concil. pag. 42.) *Si qui Presbyteri .... cum diſcuterentur, peccata ſua confeſſi ſunt, & homines* (Epiſcopi mali) *contra Canones commoti, manus confeſſis imponere tentaverunt, tales Regula non admittit*. Idem Can. 19. (ibid. p.44.) Diaconiſſas laicis annumerat, *quia nullam habent manus impoſitionem;* ut habebant Diaconi quibus eæ pares videri volebant. Porro ſi inferior Ordo manuum impoſitionem requirebat, quanto magis Presbyteratus?

101 Carthaginenſe IV. Can. 3. (ibid. pag. 1199) Sacerdotalis conſecrationis ritus ex profeſſo deſcribens: *Presbyter*, inquit, *cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant*.

102 Hiſpalenſe II. an.6.9. c.5. (Tom.5. Concil. p. 1665.) hæc habet: *Ad cognitionem noſtram, Aniani Egabrenſis Diaconi relatu deductum eſt,*

de quibuſdam ipſius Eccleſiæ Clericis, quorum dum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum miniſterium ſacrarentur, Epiſcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantum poſuiſſe & Presbyter quidam illis, contra Eccleſiaſticum ordinem benedictionem dediſſe. Ergo Presbyteri tunc temporis per manus impoſitionem conſecrabantur, ſed ita ut qui manus imponebat Antiſtes per ſe ipſum, non per ſubſtitutum benedictionis ſeu formæ verba pronuntiaret.

Concilium Meldenſe an. 845. Can. 44. ut ceteros ſupra Subdiaconatum Ordines a Chorepiſcopis conferri prohibeat; *Chorepiſcopi*, inquit, *Eccleſiaſticos Ordines, qui per impoſitionem manus tribuuntur, id eſt, non niſi uſque ad Subdiaconatum, agere non præſumant*. 103

Denique Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. ubi de Unctione-Extrema, docet ejus Miniſtros eſſe vel *Epiſcopos*, vel *Sacerdotes ab ipſis rite ordinatos per impoſitionem manuum Presbyterii*. An autem rite per manuum impoſitionem ordinari dicentur Sacerdotes, ſi mera hæc ſit accidentalis ceremonia? 104

3. Eadem eſt Patrum, atque in his SS. Pontificum doctrina. Atque ut ab iſtis exordium ducam, S. Innocentius I. Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ, cap. 3. (Tom. 2. Concil. p. 1274. A.) docet, ab *hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput*, Et infra: *Certe qui quod non habuit, dare non potuit, damnationem utique quam habuit, per pravam manus impoſitionem dedit*. An in exprimenda Ordinatione ſolam manus impoſitionem recenſeret S. Pontifex, niſi tota hæc, vel ſaltem potiſſima foret Ordinationis materia? 105

S. Leo Epiſt. 1. alias 87. ad Epiſcopos Africanos, cap. 2. (Tom. 1. operum ejus, pag. 401.) *Quid eſt*, inquit, iſtud Pauli: *Manus cito nemini impoſueris, niſi ante ætatem maturitatis . . . ſacerdotalem honorem tribuere non probatis*. Atqui ritus accidentalis, vel pure integrans, non tribueret Sacerdotalem honorem, ſed vel præcederet tribuendum, vel tributum ſequeretur. 106

S. Gregorius, Magnus in ſuo de Sacramentis Libro (Tom. 3. pag. 224.) ſupra citatum tertium Canonem Concilii Carthaginenſis IV. totidem verbis repetit, & adoptat repetendo. 107

His præiverat Auctor Conſtit. Apoſtol. cap. mihi 24. aliis 16. ubi ſic: *Cum Ordinas Presbyterum, o Epiſcope, manum ſuper caput ejus ipſe impone . . . . & orando dic: Domine omnipotens* &c. 108

Conſonant ceteri Patres. Auctor Librorum de Eccleſ. Hierarchia cap. 5. fuſe & ex profeſſo ſacræ Miniſtrorum inaugurationis ritus exponens, inter alios *pontificiæ manus impoſitionem* refert, ac de inſtrumentorum porrectione penitus ſilet. 109

S. Ephrem admirandam conficiendi corpus Chriſti & peccata dimittendi poteſtatem attribuit manuum impoſitioni: *O poteſtas ineffabilis*, exclamat, *quæ in nobis dignata eſt habitare per impoſitionem manuum*! 110

S. Epiphanius hæreſi 75. Aerium refellens: *Quinam vero*, inquit, *fieri poteſt, ut* Presbyter *Presbyterum conſtituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habet*? 111

Ambroſius, Lib. de dignitate Sacerdotali, cap. 5. (Tom. 2. Append. p. 363.) *Homo manus imponit, & Deus largitur gratiam*. 112

Hieronymus in cap. 58. Iſaiæ (Tom. 3. pag. 432. *Ordinatio Clerico-* 113

rum, inquit, *non ſolum ad imprecationem vocis, ſed ad impoſitionem impletur manus*.

114 S. Auguſtinus Lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas (Tom. 9. p. 154.) Si *ergo*, inquit, *ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio: Deus peccatorem non audit, ut per peccatores Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi .... vel ſuper capita eorum quibus manus imponuntur*.

115 Theodoretus in Philotheo cap.19. referens Salamani Eremitæ Ordinationem: *Porro*, inquit, *Pontifex civitatis cujus erat vicus, cum viri didiciſſet virtutem, acceſſit volens ei donum dare Sacerdotii; & domunculæ perfoſſa aliqua parte eſt ingreſſus, manumque impoſuit, & peregit precationem .... & quæ ad eum advenerat gratiam ſignificavit*.

116 Mitto plura id genus teſtimonia, ut Jobi Monachi, Gregorii M. Bedæ, Gerberti, Alexandri II. & aliorum, qui omnes Sacerdotii gratiam annectunt manuum impoſitioni, & per eam Spiritum S. dari expreſſiſſime docent. Atqui, ut hic diſſerit Bellarminus c.9. *dicere omnia Concilia, Pontifices & Patres*, (qui *ſæpe ex profeſſo tractant de ritu Ordinationis*) *loqui de cæremonia accidentaria, ridiculum eſt. Quis enim credat tot Patres & Concilia, cum nihil frequentius tractent quam Ordinationes Sacerdotum, ne ſemel quidem attigiſſe id quod ad eſſentiam Sacramenti pertinet?*

117 4. Non aliud docuerunt Eccleſiaſtici Scriptores, & qui his ſucceſſerunt Theologi. Iſidorus Hiſpalenſis, ſæculo VII. Alcuinus VIII. Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, & Walafridus Strabo IX. Eadem videtur eſſe opinio S. Thomæ 3. p. qu. 4. art. 4. O. Bonaventuræ, Durandi, Paludani, &c.

118 5. In idem conſpirant Rituales libri quotquot pene extant antiquiores, qui dum Ordinationis formam ipſis etiam Epiſcopis præſcribunt, de manuum impoſitione loquuntur, de inſtrumentorum porrectione conticeſcunt; ut videre eſt apud Morinum part. 2. pag. mihi 209. & ſeq. Martenium de antiquis ritibus, Menardum, Goar. &c.

119 6. Demum idem liquet ex omnibus Græcorum Euchologiis, quæ de inſtrumentorum porrectione ne voculam quidem habent, ſicut nec antiquiſſimi ipſorum Scriptores, Dionyſius re vel nomine Areopagita, Auctor Conſtitutionum Apoſtol. & alii. Unde ne hodie quidem ulla eſt apud Syros, Ægyptios, Græcos, alioſque omnes traditio inſtrumentorum, ſicut nec per priora decem ſæcula fuit apud Latinos, ut ex citatis Ritualibus, iiſque longe antiquiori Concilio Carthag. IV. compertum eſt.

120 Neque eſt quod dixeris Orientalium Ordinationes eſſe nullas. 1. Quia pari jure dicendum foret, nullas quoque eas per plura ſæcula fuiſſe in Eccleſia Occidentali. 2. Quia, ut diſſerit, qui nobis adverſatur Gonetus p.493. Græci Romæ in propria ſua Eccleſia citra inſtrumentorum traditionem ordinant & ordinantur; (de quo tamen vide infra n.135.) 3. quia a Græcis ſchiſmaticis inaugurati, quando ab errore ad unitatem reſipiſcunt, denuo non ordinantur; 4. quia in Florentino Concilio, ex Græca & Latina Eccleſia coacto, Latini Græcos pro veris Antiſtibus & Presbyteris habuerunt; atque ex his unus, celeber ille Nicœnus Præſul, Beſſarion in Cardinalem ab Eugenio IV. electus eſt. 5. Quia Innocentius III. cap. *Quod translationem*, 11. *De temporib. Ordinat.* expreſſe de-

declarat validas eſſe Græcorum Ordinationes; 6. denique, quia alioqui dicendum foret eximiam illam Gregis Chriſtiani partem, non modo nunc temporis, ſed & a ſæculis prioribus vero Sacerdotio caruiſſe; pro hinc Baſilium, Gregorium, Athanaſium, Chryſoſtomum, non Epiſcopos, ſed Apoſcopos extitiſſe. Id autem quis cogitare auſit, nedum verbis exprimere?

Confirm. quia niſi manuum impoſitio ad eſſentiam Ordinationis pertineat, jam nullo Scripturæ vel Patrum teſtimonio adverſus Novatores probari poterit, Ordinem eſſe Sacramentum. Eatenus enim ſua Ordinis aſſeritur Sacramento dignitas, quatenus probatur per eum gratiam conferri. Atqui gratiæ hujus productio in Scriptura & Patribus conſtanter adſcribitur manuum impoſitioni, juxta tritum illud Ambroſii, vel alterius; *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam*. Ergo ſi ſemel negetur manuum impoſitionem primas ſibi partes in Ordinationibus ſacris vindicare, jam hæretici nullo pacto revinci poterunt. 121

Nec eſt quod dicatur cum Goneto ibid. nu.58. traditionem inſtrumentorum, quæ nunc fit in Eccleſia Latina, ritum eſſe non formaliter, ſed materialiter duntaxat diverſum ab impoſitione manuum, quæ per Apoſtolos fieri conſueverat. Etſi enim forte id nos concedemus, an concedent hæretici? An ſi non concedant, immo, ſi certo irrideant, ſolide confutari poterunt? Neutiquam profecto, ſed ſolide confutabitur qui evaſionem hanc proponit Gonetus. Nam 1. ut bene Morinus part. 3. exercit. 7. cap. 3. ſi porrectio inſtrumentorum dici poteſt manus impoſitio, ubicumque eſt ea porrectio, ibi manus impoſitionem occurrere neceſſum eſt. Atqui id falſum eſſe liquet ex Concilio Carthagin. IV. cap. 5. ubi ſic: *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum*. Certe ſi traditio inſtrumentorum ſit manus impoſitio, nihil abſurdius dici potuit, quam tradenda eſſe Subdiacono inſtrumenta, quia manus impoſitionem non habet. Immo enim hanc & quidem perfectiſſimam habebit, quia bis ei inſtrumenta porrigit Epiſcopus. 2. Quia alioqui Ext. Unctio & Baptiſmus per manus impoſitionem conferri non immerito dicentur; quia nec ungi quis, nec aqua penes caput ablui poteſt, quin ſupra ipſum manus imponatur. Quin & actio ferme omnis erit manuum impoſitio. Manum imponet qui dabit ſtipem pauperi, nuces puero, calicem vini hero ſuo, &c. 3. quia manus impoſitio Ordinatoria * apud Veteres exhibetur ut actio ſpecialis, quæ conſiſtit in ejuſdem manus ſupra caput extenſione, quæque ideo vocatur adumbratio. Unde Tertullianus Lib. de reſurrectione carnis: *Caro ungitur, ut anima conſecretur .... Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur*. Atque id extra dubium faciunt verba hæc Conſtit. Apoſtol. Lib. 8. cap. 16. *Cum Presbyterum ordinas, Epiſcope, impone ipſe manum ſuper caput Presbyteri*; quibus concinit caput quartum citati toties Concilii Carthaginenſis. Merito igitur Card. Lugo diſp. 2. de Sacramentis, ſect. 5. n. 93. dixit, *traditionem inſtrumentorum nonniſi impropriiſſime* 122

* Dixi: Manus impoſitio *ordinatoria*, quia unctio quæ fit in Confirmatione apud plures etiam antiquos nomine impoſitionis manuum donatur: & certe aliter manus imponit, qui ungit frontem, aliter qui calicem tradit alteri. Vide Tom. VIII. pag. 61.

& ineptiſſime poſse appellari ſimpliciter manus impoſitionem. Ita idem Morinus.

123 Ut probetur quod dictum eſt in ſecunda Concluſionis parte, ſerio videlicet dubitari an ſola manuum impoſitio ad valorem Ordinationis ſufficiat, annon ei jungenda ſit inſtrumentorum traditio, juvat utriuſque opinionis momenta delibare.

124 Et quidem ſententia, quæ ſolam manuum impoſitionem excluſa inſtrumentorum traditione admittit, ex modo jam dictis pene probata eſt. Nimirum vero materia, quæ nec ubique, nec ſemper fuit in uſu, pro eſsentiali haberi non poteſt, niſi probetur, id quod primum nequidem accidentale erat, deinceps eſsentiale factum eſse. Atqui inſtrumentorum porrectio nec ubique fuit in uſu; cum ne hodie quidem a Græcis uſurpetur: nec ſemper apud ipſos etiam Latinos in uſu fuit; cum Synodus Carthaginenſis de illa penitus ſileat; neque eam vel obiter indicent, ſeu Scriptores Eccleſiaſtici, ut Iſidorus, Alcuinus, Amalarius; ſeu Codices Romani, Angli, Galli, aliive quicumque ſint, ad annum ſaltem 900. Ergo perperam traditio hæc judicatur eſsentialis. Quis enim in animum ſibi induxerit, id quod Presbyteratui eſsentiale eſt, per octo vel novem ſæcula, ab omnibus ubique Scriptoribus, velut per conſpirationem fuiſse prætermiſsum, ſeu in Ritualibus, ubi omnia ſigillatim & accurate recenſentur, ſeu in Tractatibus plerumque allegoricis, quorum Auctores minutiora quæque inveſtigabant, ut ex eis ſenſus morales elicerent. Ergo.

125 Sed neque etiam probari ſolide poteſt, materiam quæ primum nequidem accidentalis erat, poſtmodum neceſsariam evaſiſse. Si quidem in re Sacramentaria id unum ſolide probatur, quod dubium & anxietatem tollit ab anima. Porro momenta, quæ ſuadent quorumdam Sacramentorum materias & formas ab Eccleſia immutari poſse, non adeo gravia ſunt & invicta, ut mentem ab omni dubio, & a vera anxietate liberent. Unde ex iis qui Deum timent, ne unum quidem fore credo, qui ſine manuum impoſitione, licet non ſine inſtrumentorum traditione Ordinatus, celebrare auſit.

126 His tamen non obſtantibus cenſent multi, non equidem cum Goneto, ſolam inſtrumentorum porrectionem eſse eſsentialem Ordinis materiam: ſiquidem jam prorſus improbabile videtur: at eam una cum impoſitione manus eſse eſsentialem. Sic autem diſputant.

127 Opinio, quæ aperte tradi videtur a Concilio Florentino, admitti debet, ſi admitti poſſit. Atqui opinio quæ porrectionem inſtrumentorum ad Presbyteratus eſsentiam requirit, & a Florentino Concilio admitti videtur, & aliunde admitti poteſt.

128 1. Quidem admitti videtur a Florentino Concilio in Decreto Eugenii, ubi hæc legere eſt: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem*. Atqui materia quæ hic proponitur, non accidentalis eſt, ut reponunt adverſarii, ſed omnino eſsentialis; 1. Quia abſurdum eſt ut in Decreto pro inſtruendis de Sacramentorum ſubſtantia Armenis condito, prætermiſſa ſit tota materia eſsentialis, ea vero ſolum recenſita, quæ accidentalis

eſset.

eſſet. Sic dubio procul non edocti fuiſſent Armeni, ſed in errorem deducti. 2. Quia in aliis Sacramentis, non accidentariam materiam proponit Concilium, ſed ſaltem partialiter eſſentialem. Ergo hanc a fortiori proponere debuit in Ordine, a quo pleraque alia Sacramenta dependent.

2. Et eadem opinio admitti poteſt. Ideo quippe eam rejiciunt adverſarii, quia de inſtrumentorum traditione ſilent, tum antiqui Patres, tum Rituales Libri, tum & in uſu quotidiano Græci & Orientales. Atqui ex his rationibus prima nihil probat. Secunda partim ineſficax eſt, partim falſa. Tertia juxta noſtram immutabilis materiæ ſententiam efficax quidem foret, ſi vera; ſed a vero aliena eſt. 129

1. Quidem nihil certi ex Patrum ſilentio colligi poteſt: quia qui tacet, quod tacet non negat, præſertim cum juſta ſubeſt tacendi cauſſa. Porro erat cur taceretur traditio inſtrumentorum, non autem impoſitio manus. Hæc enim præterquam in Scriptura, quæ apud ipſos Ethnicos diffuſa erat, continebatur, tradebat poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum, ſeu Eccleſiam; quam neceſſe erat ab omnibus cognoſci: Illa vero, ſcilicet inſtrumentorum porrectio, tradebat poteſtatem in Corpus Chriſti naturale, quæ ut quantum fieri poterat, per ſancitam ſecreti legem, abſconderetur infidelibus, neceſſario ſupprimenda erat; præſertim cum forma ex eadem ſecreti lege ſilentio premenda eſſet, ut ſæpe in hujus Operis decurſu diximus; nec deceret ut aſſignaretur materia, cui nulla prorſus forma reſponderet. Ergo ſi cujus ſit momenti, certe non admodum gravis eſt probatio ex argumento negante, ſeu Patrum ſilentio deprompta. 130

2. Nihilo pluris eſt ratio ex prætermiſſa in Ritualibus inſtrumentorum traditione deſumpta. 1. Quia falſum eſt traditionem hanc, prout generatim loquendo inſinuat Witaſſius, in univerſis Ritualibus deeſſe; cum Morinus ipſe part. 2. p. mihi 257. exhibeat, quem Romæ exſcripſit, Codicem Conſtantini Caetani, nono ſæculo exaratum, in quo poſt utriuſque manus conſecrationem ſic habetur: *Hoc facto* Epiſcopus *accipiat patenam cum oblatis; & calicem cum vino, & dicat: Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini*. Martenius vero Noviodunenſem Codicem refert annis 800. antiquiorem, in quo eadem inſtrumentorum porrectio continetur. Jam vero tot in Eccleſia Latina fuiſſe Ordinandi ritus, quot erant Diœceſes, ſibi nemo facile perſuaſerit. Ergo non abſone credi poteſt, ubique ſervatam fuiſſe inſtrumentorum porrectionem, ſed vel tacitam fuiſſe, vel expreſſam in Ritualibus, prout diutius, vel minus diu ſervata fuit lex ſilentii, quæ tandem ſenſim ubique defecit. 131

2. Nec ex prætermiſſa in Ritualibus porrectione inſtrumentorum, inferri poteſt, eam vel in praxi omiſſam fuiſſe, vel neceſſariam non eſſe. Siquidem omittitur inſtrumentorum porrectio in Pontificali Senonenſi, quod quidem tempore Fulberti Carnotenſis ſcriptum eſt; cum ad *Obiit an.* hujus calcem exſtet juramentum ab Epiſcopis Provinciæ, & inter eos a *1028.* Fulberto, emiſſum. Atqui tamen tunc temporis vigebat in Eccleſia Senonenſi ejuſque ſuffraganeis Diœceſibus porrectio inſtrumentorum. Interrogatus enim a Leutherico Senonenſi Metropolita Fulber- 132

bertus, quomodo ſuum in ſtatum redintegrandi forent Sacerdotes qui depoſiti fuerant, reſpondit, his, ut inſtaurarentur, reddenda eſſe Ordinationis ſuæ inſtrumenta. Ergo habebat quotidiana praxis id quod non habebant Rituales Libri; utique quia ut plurimum tranſcriberentur a veteribus Libris, qui exarati fuerant dum ferveret Lex ſecreti, de qua paullo ante dictum eſt.

133 Et vero pleraque Concilia, & in his Carthaginenſe IV. nullam Ordinationis formam in ſpecie recenſent, ſed ſolum benedictionis ſeu orationis neceſſitatem commendat. Quis porro credat unamquamque Eccleſiam hæc vel illa verba pro nutu ſuo recitaſſe? Ergo unuſquiſque Epiſcopus vel mente retinebat, vel habebat in ſcriniis ordinandi formam. Si formam, quidni & materiam, quæ longe facilius memoriæ inſidet.

134 Confirm. Canones Carthaginenſis Concilii ii ſunt potiſſimum quibus innititur Morinus. Atqui tamen certo certius videtur Canones illos de induſtria multam Ordinationis partem reticuiſſe. Quippe in antiquiſſimo Pictavienſi Rituali, quod ante annum 560. conſcriptum eſt, totidem verbis recitantur Canones Carthaginenſes. Atqui his nihilominus adduntur tum formæ cujuſque Ordinis, tum & manuum conſecratio; qui ritus dubio procul ab antiquiori traditione deſcendebant. Ergo certum videri debet, nec in Concilio Carthaginenſi, nec in coævis Scriptoribus ſcripta legi quæcumque in Ordinatione uſurpabantur. Hinc Auctor vitæ Lietberti, Epiſcopi Leodienſis, qui ſæculo X. florebat, ſcribit ipſum ritu eodem, qui nunc viget, ordinaſſe. Hujuſmodi autem factum ad elevandam Morinianorum Codicum auctoritatem ſufficeret: ſi tamen velut contraria haberi debeat auctoritas Codicum, qui neque negant, neque affirmant, ſed ſilent.

Morin. part. 2. p. 212.

135 3. Demum non deeſt in Græcis atque Orientalibus Eccleſiis inſtrumentorum contactus. Nimirum vero qui aram inſtrumentis ſacris onuſtam tangit fronte, mediate contingit inſtrumenta quæ in ea ſunt. Atqui Presbyter Ordinandus ab ipſo Ordinationis limine *fronte incumbit ſacræ aræ*, ut ſupra n. 17. diximus poſt Arcudium; idemque obſervatur a Diacono. Ergo quantum ſatis eſt, tangit inſtrumenta: non enim actio ſola porrigendi, ſed actio contingendi, ad Ordinis eſſentiam pertinet. Unde S. Thomas ſuppl. q. 34. art. 5. ad 3. relata quorumdam opinione, qui non contactum, ſed porrectionem ſolam, utique per aliquod exterius ſignum acceptatam, Ordinis materiam eſſe tuebantur, *tamen*, inquit, *videtur* ... *quod tactus materia ſit de eſſentia Sacramenti;* tactus, inquam, ſeu immediatus, ſeu mediatus: ſi enim ex omnium confeſſo panis ſufficienter contingitur tacta patena, ſicut & vinum tacto calice; nihil eſt cur tacto Altari, tangi non cenſeantur quæ eidem inſident inſtrumenta. Neque hic deeſt actio Epiſcopi ordinantis; cum manus teneat impoſitas ſuper caput initiandi, quamdiu is ſacræ Aræ incumbit; Aræ ſcilicet in quam *deportata* fuerunt *depoſita ſacra dona*, ut videris apud Goar. pag mihi 295. * Hinc Gabriel Philadel-

* Textus, cui multum inniti videtur R. P. Merlin pag. 349. ſic habet: „ Poſtquam „ fuerint deportata & in menſa ſacra depoſita ſacra dona .... adducitur Ordinandus a „ Pres-

delphienſis in brevi opere de Sacramentis apud Morinum part. 2. pag. mihi 164. ſic loquitur c.4. *Materia ſacrati Ordinis ſanctus eſt panis, & ſanctorum vaſorum quantitas, & cetera uniuſcujuſque Ordinis, ut fert conſuetudo*. Ubi non prætermittitur vinum, niſi quia in ſanctis vaſis eſſe ſupponitur.

Confirm. Sacerdos binam in Ordinatione poteſtatem accipit, aliam in 136
Corpus Chriſti verum, ad ipſius conſecrationem; aliam in Corpus Chriſti myſticum, ut ipſum ſpiritualiter paſcat & judicet in foro interiori. Unde licet Sacerdos ut ſic, abſque trahendo ab hoc vel illo ſtatu, ſit tantum ad oblationem Sacrificii, ſacerdos tamen novæ Legis, prout a Chriſto inſtitutus eſt, ſimul eſt ſacrificator & judex. Ergo cum neutra poteſtas, vel ex parte Sacramenti, vel ex naturali concomitantia ſit connexa alteri, immo utraque ſeorſim & diverſis actibus tradita ſit a Chriſto, prior quidem in ultima cœna, Luc. 22. poſterior vero poſt reſurrectionem, Jon. 20. utcumque neceſſum fuit ut unaquæque per materiam & formam ſpecialem traderetur. Et id quidem fit in Ordinatione, ubi per manuum impoſitionem traditur poteſtas in Corpus Chriſti myſticum; per inſtrumenta vero confertur poteſtas in ejuſdem Chriſti Corpus naturale. Etſi vero non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſatius tamen eſt ut hæc illi prætermittatur; quod & ad Chriſti exemplum caute obſervat Eccleſia Latina.

En potiora, quæ mihi occurrerunt hujus opinionis momenta; in quam, 137
fateor me propendere plurimum; eo quia magis congruit Florentinæ definitioni. Forte erit ut his olim accedant graviora. Verum, ne quid diſſimulem, non faceſſunt iſta grave negotium: quod antequam pateat, jam nunc ſolvenda quæ contra manuum impoſitionem militare videntur; ita ut quantum licebit, faveam ſecundæ opinioni.

Obj. 1. Decretum Florentinum ſolam inſtrumentorum porrectionem 138
aſſignat in materiam Ordinationis, non vero manuum impoſitionem. Ergo hæc accidentaria eſt, non eſſentialis.

Reſpondet Witaſſius Tom. 2. pag. 346. Eugenium ita ſenſiſſe, & ex re- 139
cepta tunc in Scholis ſententia propoſuiſse: ceterum nihil definiiſſe.

Verum, etſi facile credo, quod & in Tractatu de Confirmatione 140
pag. 52. cum aliis admonui, Eugenium nihil definiiſſe: Aſt nec facile, nec difficile crediderim, eum cum Latinis, qui multi tunc Florentiæ ſupererant, Epiſcopis, opinionem reipſa falſam & tenuiſſe, & toti nationi veram doctrinam inquirenti propoſuiſse. Itane vero Scholaſticis omnibus, quorum multi & quidem doctiſſimi Florentiæ tunc intererant, ignota erat antiquitas, vel etiam Pauli Epiſtolæ, ut neſcirent in his commendari manuum impoſitionem, cum de Sacerdotis inauguratione agitur? Ergo, ut mitiori, ſic & æquiori reſponſione indiget Eugenii Decretum. Itaque

Reſp. 1. neg. ant. ſiquidem Eugenius in Decreto remittit ad Pontificale 141
Romanum, quantum ad Ordinum formas, adeoque quantum ad materiam his reſpondentem; *prout*, inquit, *in Pontificali Romano late continetur*. Atqui

" Presbyterorum primo, aut aliquo alio; & menſæ ſacræ applicatur." Ibi porro nihil eſt quod applicationem hanc ab ipſo Epiſcopo fieri deſignet. Eum tamen manus imponere Candidato, dum adhuc ſacræ Aræ incumbit, non obſcure indicant quædam Euchologia: ſed, quantum capio, non omnia,

Atqui Pontificale Romanum impoſitionem manus exprimit. Ergo hanc implicite ſaltem indicat Eugenius. Cur porro inſtrumentorum traditionem explicite commemoret, ratio hæc reddi ſolet, quod Armeni non indigerent edoceri circa manuum impoſitionem, quæ apud ipſos, ut in ceteris mundi Eccleſiis, obſervabatur; indigerent vero edoceri traditionem inſtrumentorum, quam vel neſciebant in Eccleſia Latina haberi ut ritum neceſſarium; vel non admittere credebantur, uti neque nunc admittere creduntur a multis; quod tamen ex dictis falſum eſt.

142 Reſp. 2. neg. conſ. quia ex argumento negativo nihil inferri poteſt. Et vero ſi Eugenius, quia manuum impoſitionem non expreſſit, eamdem negaſſe cenſeatur, pari jure Tridentina Synodus, quæ expreſſa ſola manus impoſitione traditionem inſtrumentorum prætermiſit, eamdem negaſſe cenſebitur. Atqui poſtremum hoc non dicent adverſarii. Ergo nec primum debent admittere.

143 Obj. 2. Gregorius IX. cap. *Presbyter*, 3. *De Sacramentis non iterandis* (Lib. I. extra, tit. 16.) ſic loquitur: *Presbyter & Diaconus, cum ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali (ritu ab Apoſtolis introducto) recipiunt: quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi Ordines conferendos, caute ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum.* idem ſtatuit Innocentius III. cap. *Paſtoralis* 1. ibidem. Atqui ſi manus impoſitio foret eſſentialis, totum Sacramentum iterari deberet: Quia ubi deficit fundamentum, cetera neceſſario deficiunt.

144 Reſp. neg. min. Vel enim ſola manus impoſitio eſsentialis eſt, ut paſſim docent recentiores Theologi; vel cum ipſa eſſentialis quoque eſt traditio inſtrumentorum. Atqui in utraque hypotheſi ſufficit ut repetatur quæ prætermiſsa eſt manus impoſitio: In priori quidem, quia non eſt neceſse ut repetantur accidentalia: unde ſi Baptiſma invalide collatum ſit, non iterantur exorciſmi. In poſteriori vero, quia cum traditio inſtrumentorum ſuo jam donata fuerit effectu, non eſt cur iteretur, ſed id ſolum repeti debet, cui reſpondet pars altera gratiæ Sacerdotalis. Quapropter Bellarminus hic cap. 9. *Quod Pontifices nolint repeti cæremonias rite peractas, & tamen ſuppleri quod omiſsum eſt; indicat eas cæremonias poſse dividi, & dari diverſo tempore, & eſse efficaces quocumque tempore dentur.*

145 Ceterum monet Hallerius Lib. de ſacris elect. ſect. 2. cap. 2. art. 1. §. 12. n. 25. in hoc caſu cum manus impoſitione repetendam eſse formam; quæ eam comitari debet, ne forma longiori temporis intervallo diſtans a materia irritum forte efficeret Sacramentum. Immo ſi vereri eſset, ne vix ſui compos fuiſset, qui tam gravia omiſiſset, tota actio videretur repetenda: quia in pluribus deficere potuit, qui in uno deficere deprehenſus eſt. Quin & in eorum opinione, qui exiſtimant non poſse cuipiam valide tradi poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum, ſeu remittendi peccata, niſi ei ante tradita ſit poteſtas in Corpus Chriſti verum, ſeu conſecrandi Euchariſtiam; neceſsum foret, ut cum prætermiſsa eſt actio per quam poteſtas conſecrandi traditur, & ipſa hæc actio, & quæ eam ſequitur manus impoſitio in remiſſionem peccatorum, ambæ iterarentur. Neque id citato Gregorii IX. Decreto adverſatur; quia quod invalide factum eſt, nullo modo factum eſt. Porro non iteratur, quod non eſt ante factum.

Minus urget quod objicitur ex Innocentio III. Quia tamen Decretalis ejus ſuam habet difficultatem, juvat ei tantillum immorari. Sic porro habet: *Nos conſulere voluiſti, an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatus aſſumptus ... ad quod breviter duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum quod incaute fuerat prætermiſſum*. Difficultas eſt quomodo Innocentius omiſſam in Ordinatione Subdiaconi manus impoſitionem caute ſuppleri velit: cum ex Concilio Carthaginenſi IV. *Subdiaconus, cum ordinatur, manus impoſitionem non recipiat*. 146

Reſpondent nonnulli cum Barboſa in hunc locum n. 1. textum hunc Amanuenſium incuria corruptum eſſe; quia ut advertit Innocentius Papa IV. vera lectio habet *Diaconatus* pro *Subdiaconatus*; prout etiam habent vetuſtiora duo exemplaria, uti docet gloſſa marginalis. Et hanc reſponſionem approbat conſuetudo Romanæ Eccleſiæ, quæ in Ordinatione Subdiaconi umquam manus imponit. Hac admiſſa reponſione, quæ ſolide confutari nequit, præſens objectio ex dictis num. præced. ſoluta manet. Si vero textum prout nunc jacet, & per tot ſæcula ab ipſis Rom. Pontificibus toleratus eſt, retinere placuerit, non una eſt Canoniſtarum reſponſio. Itaque 147

Reponunt alii Innocentium debere intelligi, non de impoſitione manuum conſecratoria, quæ numquam Subdiaconis adhibita eſt, ſed de quadam manuum impoſitione *benedictoria*, ſeu tantum deprecatoria. Ita Adbas, Layman, &c. Hæc quidem impoſitio etiam mere deprecatoria non adhibetur in Ordinatione Subdiaconi, ab iis qui Pontificale Romanum ſequuntur; ſed poterat vigere in Eccleſia Helienſi, cujus Epiſcopus Innocentium III. conſulerat. Quia tamen mera eſt hæc divinatio & veri admodum ſimile eſt, Helienſem Eccleſiam, quæ pars erat Carthaginenſis Eccleſiæ, non receſſiſſe a ritu præſcripto in Concilio Carthaginenſi IV. ubi *Subdiaconus manus impoſitionem non recipit*; idcirco 148

Reſpondent alii, expeditius certe, ſi non multo probabilius, per omiſſam manus impoſitionem, quæ caute ſupplenda dicitur, antequam quis Subdiaconi munia exerceat; intelligi debere omiſſam primæ Tonſuræ vel Minorum Ordinum collationem. Ratio eſt, quia alibi in jure Canonico, nimirum c. 11. *de ætate & qualitate perficiend.* ipſe Innocentius III. per impoſitionem manuum primam Tonſuram & Ordines Minores deſignat; quod & factum videris, cap. *Quoniam*, diſt. 79. Ergo ut vitetur Juris correctio, & Legum antilogia, per manuum impoſitionem in textu objecto, vel ipſa Tonſura, vel minores Ordines intelligi debent. Porro qui ad Subdiaconatum prætermiſſis Tonſura vel Minoribus conſcendit, iis ante donandus eſt quam Subdiaconi munia exercere præſumat. 149

Inſt. ex Gregorio XIII. Manuum impoſitio ritus eſt ab Apoſtolis introductus. Sed ritus, qui ſolum eſt ab Apoſtolis, non eſt ex inſtitutione Chriſti. Ergo. 150

Reſp. diſt. maj. manuum impoſitio ritus eſt ab Apoſtolis introductus, ſed ex mandato Chriſti, C. ritus eſt ab Apoſtolis ex libera voluntate & arbitrario introductus, N. Impoſitioni manuum annexa erat gratia, ut pluries diximus. Atqui mortalium nemo eſt qui exterioribus ſignis gratiam pro nutu alligare valeat. 151

Obj. 3.

152 Obj. 3. Triplex fit in Ordinatione Sacerdotali manuum impoſitio: prima ab Epiſcopo nihil dicente, & aliis cum ipſo Presbyteris etiam tacentibus. Secunda ab iiſdem manus extenſas ſuper Ordinandos omnes tenentibus abſque corporali contactu; Epiſcopo interim duas orationes recitante. Tertia poſt communionem; eaque fit per contactum capitis, cum hac verborum formula: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata*, &c. Atqui nulla ex his pro eſſentiali haberi poteſt. Non prima; cum ei nulla reſpondeat forma; & fiat ab ipſis etiam Sacerdotibus. Non ſecunda, quia hæc nullum habet corporalem tactum, quem tamen ut ab Apoſtolis obſervatum requirit Gregor. III. & manifeſte præſcribitur Canone 2. 3. & 5. Concilii Carthag. IV. Non tertia, ut quæ nec in veteri Eccleſia adhibita fuerit, nec in uſu ſit apud Græcos. Ergo.

153 Reſp. 1. ſatis eſſe Catholico Theologo, ut ſciat nullam eſſe veram ſine manuum impoſitione, Sacerdotii collationem; licet certo definire non poſſit, quæ præciſe impoſitio ſit eſſentialis. Neque hinc triumphandi materiam arripere debent Proteſtantes, quibus necdum conſtat quæ omnino neceſſaria ſit Baptiſmi materia, vel forma; quis Miniſter.

154 Reſp. 2. neg. min. & dico primam impoſitionem, vel ſolam, vel cum ſecunda, immo & cum tertia poſſe haberi ut materiam eſſentialem: primam quidem, quia ſemper uſurpata eſt in Eccleſia; ſecundam, quia nihil eſt hæc quam primæ continuatio; tertiam, quia haberi poteſt ut partitio primæ & ſecundæ. Quod ut intelligatur, atque ſimul probationibus contra unumquodque membrum adductis ſatisfiat,

155 Reſp. ad 1. primam manuum impoſitionem non eſſe quidem phyſice conjunctam cum Ordinationis forma quæcumque ea ſit, ſed eidem conjunctam eſſe moraliter; quatenus huic in decurſu ejuſdem actionis non interruptæ ſuccedit, & ad eumdem, ſcilicet validæ Ordinationis finem refertur. Porro in totis moralibus, qualia ſunt Sacramenta, ſufficit unio itidem moralis; niſi aliud divina lege conſtitutum ſit. Ex eo autem quod forma ſequatur impoſitionem, unum dumtaxat colligi poteſt, videlicet tunc inchoari, non autem perfici Ordinationem; quod in rebus neceſſario ſucceſſivis nemini mirum eſſe debet.

156 Quod additur Presbyteros qui adſtant, una cum Epiſcopo manus imponere, nihil probat. Neque enim quia accidentaria ſit hæc Presbyterorum actio, ideo eſsentialis non erit actio Epiſcopi, qui ſolus eſt hujuſmodi Ordinationis Miniſter. Nihilominus cum aliquando Pariſiis ſemel contigiſset ut adſtantes Presbyteri ſuam manuum impoſitionem incaute omiſiſsent, cęremoniam hanc poſt Ordinationis finem iterari voluit & de facto iteravit cum ipſis, qui ordinabat Joppenſis Epiſcopus: licet id, conſultus ea de re doctus æque & accuratus D. Robuſte, Nitrienſis Antiſtes, haud neceſsarium judicaret.

157 Reſp. ad 2. Quidquid multis in contrarium dictitet Simonetus pag. 106. neceſsum non videri ut impoſitio, ſaltem omnis, fiat corporali contactu. 1. Quia juxta probabiliorem, quam Tomo V. tradidimus doctrinam, manuum impoſitio eſt partialis materia Confirmationis; & hæc tamen non fit tota tactu corporali, ſed extenſis verſus Confirmandos manibus. 2. Quia impoſitio manuum in Ordinatione adhiberi

ſolita

ſolita paſſim vocatur a SS. Patribus manus expanſio, manus adumbratio, &c. quæ corporalem tactum non requirunt, 3. quia quod Gregorius primum vocat manus impoſitionem, idipſum eſt quod in fine *manus ſuſpenſionem* appellare videtur: Unde alias pro *ſuſpenſione* legebatur *impoſitio:* ut notat Gloſsa. 4. Quia probari quidem poteſt, impoſitiones manus Apoſtolico ritu introductam fuiſse, non autem probari poteſt inſtitutam fuiſse ab eis impoſitionem cum tactu phyſice corporali. Unde id Gregorii: *Manus impoſitionem tactu corporali, ritu ab Apoſtolis introducto*, pro prima parte ritum ab Apoſtolis manantem; pro ſecunda uſum Eccleſiæ ſignificat: niſi dicere malis quod hic cap. 9. in pari caſu dicit Bellarminus, *non omnia quæ habentur in Decretis aut Conciliis ad Fidem pertinere; ſed ſolum ea quæ definiuntur; hoc autem de quo agimus, non definiri, ſed tantum obiter dici ad rem explicandam.*

Nec obſtant, ſed potius favent Concilii Carthaginenſis IV. Canoues, 158
quorum ſecundus requirit equidem, ut qui Epiſcopo Epiſcopum conſecranti adſtant, hujus *caput tangant*, ſed neque id exigunt ab Epiſcopo ipſo conſecrante, neque idem fieri præcipiunt in ordinatione Sacerdotis, ſed ſolum decernunt ut *Epiſcopus* atque *etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant*. Ubi non modo non præcipitur tactus corporalis, ſed & utcumque excluditur; cum fieri vix poſſit ut *omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt*, MANIBUS ſuis *juxta manum Epiſcopi* appoſitis *caput* unius hominis phyſice contingant.

Reſp. ad 3. impoſitionem manuum quæ fit tertio loco, poſse etiam di- 159
ci eſsentialem, ita ut ante ipſam non habeat Sacerdos poteſtatem remittendi peccata. Nec refert quod eadem hæc impoſitio nonniſi ab annis 400. apud Latinos invecta ſit, neque hactenus vigeat apud Græcos: Quia potuit Eccleſia eamdem actionem in duas partiri, & alio actu poteſtatem offerendi, alio poteſtatem abſolvendi conferre; præſertim cum id magis congruat exemplo Chriſti, qui in ultima Cœna Apoſtolis primo poteſtatem conſecrandi tribuit, poſt reſurrectionem vero poteſtatem remittendi peccata. Atque hinc male dicitur impoſitionem hanc non reperiri apud Græcos, aut aliquando defuiſse apud Latinos: Quia ubique ſemper viguit, ſed aliquando per unam actionem facta eſt, aliquando per geminam, uti nunc in Eccleſia Occidentali contingit.

Neque ideo vel mutatur materia a Chriſto inſtituta, ſed ſucceſſive 160
applicatur, vel duplex confertur Sacramentum: quia ſicut Euchariſtia unum eſt Sacramentum, licet ſigno duplici conſtet, ſic & Presbyteratus unum Sacramentum cenſeri debet, licet in eo duplex ſit ſignum gratiæ efficax, & gemini caracteris impreſſivum; quia ſigna hæc partialia, ut & caracteres per eos impreſſi, tendunt ad conſtituendum unum novæ Legis Sacerdotem, qui perfecte talis eſse nequit, niſi ſimul ſit ſacrificator & judex. Quamquam ſufficit unum admittere caracterem, qui per ultimam manuum impoſitionem extendi dicatur.

Ceterum, ait Ludovicus Habert. pag. 197. cum nihil certi hic defi- 161
niri poſſit, caute obſervandum eſt quidquid præſcribitur in Pontificali Romano: Et ſi quid forte omiſſum fuerit, illud recurrenti Ordinationis tempore, niſi temporis diſpenſatio obtenta ſit, ſupplen-

dum

dum erit, ut ſupra docet Gregorius IX. quia ritus integer, ſaltem ex gravi Eccleſiæ præcepto, ſi non ex conditione Sacramenti, neceſſarius eſt. Atque id olim ſervatum eſt in Diœceſi Carnutenſi: cum enim improvide oblatus eſſet Ordinandis calix ſine vino, juſſi ſunt a celebrando abſtinere, donec cęremonia hæc tertio poſt menſe ſuppleta fuiſſet. Idem ex juſſu Apoſtolicæ Sedis factum eſt in duabus Diœceſibus, quarum Epiſcopi, non per ſeipſos, ſed per aſſiſtentes ſibi Preſbyteros inſtrumenta Ordinandis porrexerant; uti dicam in Diſſertatione de Ordinationibus Anglicanis.

162 Inſt. 1. una pars eſſentiæ non poteſt eſſe ſine alia. Atqui juxta præcedens reſponſum pars una Sacerdotii ſtaret ſine altera.

163 Reſp. diſt. maj. una pars eſſentiæ in Phyſicis non poteſt eſſe ſine alia, C. in moralibus nondum completis, N. Si enim totum morale partibus conſtet ſucceſſivis, neceſſum eſt ut eſſentia tota ſucceſſive ac veluti per partes conſtituatur.

164 Inſt. 2. Candidatus ante tertiam manus impoſitionem vocatur *Ordinatus*, & eo uſque pro tali habetur, ut cum Epiſcopo concelebret. Ergo tertia impoſitio per eſſentiali haberi non poteſt.

165 Reſp. 1. Objectionem hanc non poſſe proponi ab iis qui totam materiam in inſtrumentorum contactu reponunt. Cum ea etiam facta Candidati, non ordinati, ſed ordinandi dicantur, his verbis: *Presbyteri Ordinandi ... habeant libros coram ſe, dicentes Suſcipe Sancte Pater*, &c.

166 Reſp. 2. diſt. ant. vocatur Ordinatus, quantum ad ritum jam peractum, videlicet poteſtatem conſecrandi, C. quantum ad ritus perficiendos, nimirum poteſtatem judiciariam, N. Unde ante tertiam impoſitionem Candidatus non eſt complete Sacerdos, quia, ut pluries dixi, non eſt complete novæ Legis Sacerdos, niſi qui ſimul, & conſecrare, & peccata remittere poteſt. Verum hæc dicta ſunt, non ut indubia, ſed ut quæ defendi probabiliter poſſint, immo & debeant, ad plenam Sacramenti ſecuritatem.

167 Obj. 4. ſententia quæ inſtrumentorum traditionem habet pro materia eſſentiali, apud omnes Scholaſticos recepta fuit per plura ſæcula. Atqui eo ipſo teneri debet. Id enim præſtat in Eccleſia Scholaſticorum conſenſu, quod ante eos præſtitit Patrum conſenſus. Atqui Patrum unanimis de re quampiam dogmatica conſenſus non ſinit ut ea rejiciatur. Ergo.

168 Reſp. 1. neg. maj. nec enim defuere e veteribus Scholaſticis, qui traditionem inſtrumentorum habuerint, non ut ſignum collativum ſacræ celebrandi poteſtatis, ſed ut ſignum ejuſdem jam collatæ. Sic Magiſter ſentent. cui his verbis conſentit Hugo Victorinus: *Accipiunt calicem cum vino, & patenam cum hoſtiis de manu Epiſcopi, quatenus his inſtrumentis poteſtatem ſe accepiſſe agnoſcant placabiles Deo hoſtias offerendi*. Idem apud Witaſſium pag. 340. docent Sanctus Thom. 3. p. quæſt. 84. ar. 4. (qui tamen Suppl. quæſt. 37. ar. 5. contrarium ſatis aperte tradit;) S. Bonaventura in 4. diſt. 24. par. 2. ar. 1. q. 4. Guillelmus Altiſſiodorenſis de Sacram. Ordinis, cap. 1. Durandus, Paludanus, Hoſtius Cardinalis, Petrus Soto, &c. Adde quod objecti Theologi

non

non aliter pro traditione inſtrumentorum decertant, quam pro Scholaſtica opinione.

Reſp. 2. ad 1. neg. min. Ad 2. diſt. maj. id præſtat Scholaſticorum 169
conſenſus Scriptura, vel conſtanti traditione per Eccleſiam propoſita, munitus, quod conſenſus Patrum, C. id præſtat Scholaſticorum conſenſus citra hujuſmodi auctoritates, & cum meris veriſimilitudinibus, N. Porro ſententia, quæ traditionem inſtrumentorum pro ſola materia eſſentiali habet, nuſquam a veteribus Theologis probata eſt, ſeu ex Scriptura, ſeu ex traditione, ſeu ex ullo Eccleſiæ Decreto, ſed ex ſola Eccleſiæ praxi; quaſi hæc ſemper inſtrumenta admiſiſſet, quod plures negant; vel ſola & ſine manuum impoſitione admiſiſſet, quod omnes certo negare poſſunt & debent. Utique ſi Eccleſiæ praxis, quia vetus, materiam Sacramenti indubie conſtituat, cur non eſſentialis dicetur unctio manuum, quæ diu ante inſtrumentorum porrectionem commemorata eſt, cum hujus meminerit Nicolaus I. in Epiſt. ad Bituricenſem Epiſcopum, a quo interrogatus fuerat an Diaconis manus ſicut & Presbyteris inungendæ forent.

Confirm. quia ſi communis Theologorum opinio æquivaleat moraliter 170
unanimi Patrum ſententiæ, dicendum erit contritionem perfectam ad Pœnitentiæ Sacramentum prærequiri; cum id tam communiter docuerint veteres Theologi, ut ægre paucos ex iis ſuas in partes trahere potuerit Pintherellus. Atqui tamen, ait Habertus, Tridentini Patres, etſi doctrinam hanc nulli cenſuræ ſubjecerunt, non obſcure tamen improbarunt, ſeſſ. 14. Can. 4. ubi docent contritionem perfectam reconciliare peccatorem, antequam Sacramentum recipiat.

Confirm. 2. quia quidquid traditur ut opinio; nuſquam in dogma 171
certum aſſurgere poteſt, niſi per Eccleſiæ definitionem. Atqui hæc necdum prodiit, nec, ſi quid augurari licet, prodibit in poſterum. Ergo veterum Scholaſticorum opinio, ſemper intra metas opinionis conſiſtet.

At, inquiunt, conciliantur omnia, ſi ſemel admittatur novam ma- 172
teriam antiquæ ab Eccleſia ſubſtitutam fuiſſe; vel ſaltem additam. Quis porro neget id Eccleſiam poſſe quod reipſa fecit?

Reſpondet Habertus, male conciliari quidquid ſine ullo Scripturæ 173
vel Traditionis fundamento, præſertim in rebus tanti momenti, conciliatur. Atqui nullum ex utroque illo fonte momentum habent adverſarii, unde probent novam antiquæ materiam vel ſubſtitui ab Eccleſia, vel ut eſſentialem ſuperaddi potuiſſe. Unde cum ea de re interrogantur, ad vitioſum circulum recurrunt: & probant inſtrumentorum porrectionem a decimo ſæculo evaſiſſe materiam eſſentialem Ordinationis; quia Eccleſia poteſtatem recepit determinandi in ſpecie materias quorumdam Sacramentorum: & ſimul probant poteſtatem hanc eidem competere, quia actu & de facto novam Ordinationis materiam inſtituit atque determinavit.

Confirm. 1. quia ſi Eccleſia poſt decimum ſæculum abſque ullo Scri- 174
pturæ vel Traditionis adminiculo porrectionem inſtrumentorum divinitus præſcriptæ manuum impoſitioni ſubſtituit, jam in definiendis controverſiis quæ ad gravem Sacramentorum materiam pertinent, non amplius conſulendæ erunt Scripturæ & Traditio; ſed in praxi,

quæ ut jam mutata eſt, ſic denuo mutari poterit, inquirenda erit nova quædam ſpecies revelationis. Id autem quam periculoſum ſit, quam favorabile Novatoribus qui ſacras Traditiones abjiciunt, nemo non videt. Ut ergo illibatum ſervetur dogma Eccleſiæ, Traditionem ut & Scripturam veluti inconcuſſam Fidei regulam aſſignantis, e re eſt ut in præſenti materia certum teneatur, & dimittatur incertum. Duo autem ſunt certa, 1. Eccleſiam, nullam ſibi tribuere poteſtatem, quam ex Scriptura vel Traditione probare non valeat; 2. poteſtatem mutandi materiam Ordinationis, vel alterius cujuslibet Sacramenti, neque ex Scriptura, neque ex Traditione probari poſſe. Ad minus vero incertum eſt, an non eadem Eccleſia porrectionem inſtrumentorum impoſitioni manus velut ritum mere accidentalem adjecerit; cum nullo hactenus Eccleſiæ Decreto ſancitum ſit porrectionem hanc eſſentialem eſſe, neque hujus, ſed ſolum impoſitionis manuum meminerit Synodus Tridentina. Ergo recta ratio exigere videtur, ut manus impoſitio conſtanter habeatur tamquam eſſentialis materia Ordinationis ſacræ; & porrectio inſtrumentorum, ad majorem explicationem, aut ſollemnitatem, ſicut & unctio manuum adinventa cenſeatur.

175 Confirm. 2. vel, in opinione eorum, qui materiam materiæ ab Eccleſia ſubſtitutam eſſe volunt, vel, inquam, porrectio inſtrumentorum, quæ non ſtatim ubique, ſed ſenſim obtinuit, ſicut & unctio; mox ut invecta eſt, evaſit matetia eſſentialis, ita ut jam caſſa foret Ordinatio per ſolam manus impoſitionem facta; vel poſt aliquod temporis intervallum. Si primum; ergo Ordinationes factæ in Eccleſiis, quæ necdum adoptaverant porrectionem inſtrumentorum, nullæ prorſus fuerunt, adeoque debuerunt iterari; id autem ex nullo Hiſtoriæ momento probari poteſt. Si ſecundum, quæro quale fuerit illud temporis intervallum; qua item auctoritate conſtitutum. Non utique conſenſu Epiſcoporum, qui cum auctoritate pares ſint, nullam alii aliis legem imponere poſſunt, niſi in Concilio legitime congregati. Ergo opus fuit auctoritate Eccleſiæ univerſalis, aut Decreto ſummi Pontificis ubique recepto; prout factum eſt a Tridentino, cum ſeſſ. 24. de reformat. cap. 1. decrevit ut lex per quam Clandeſtina Matrimonia irritabat, *ſuum in unaquaque Parochia robur poſt triginta* ſolum ab ejus publicatione *dies*, *habere* inciperet. Et hæc cautio eo magis in ſuppoſita ab adverſariis mutatione neceſſaria erat, quod majoris momenti ſit Presbyterorum Ordinatio, a qua pendet valor Sacramentorum. Atqui nullum umquam prodiit Eccleſiæ vel Summi Pontif. Decretum, quo irritatæ ſint Ordinationes ſine inſtrumentis ab undecimo ſæculo uſque ad Florentinum Concilium peractæ. Ergo jure dicitur inſtrumentorum porrectionem ante Concilium illud non fuiſſe eſſentialem Ordinis materiam.

176 Confirm. 3. quia cum a nonnullis Pontificibus leviuſcula quædam Canoni Miſsæ adjecta ſunt, puta a S. Gregorio iſtud: *Libera nos, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris*, immo & paullo poſt nomen *Andreæ*, id ſumma cura tranſmiſerunt ad poſteros coævi Scriptores. Quanto plus igitur factam in præcipuo Religionis Sacramento, materię immutationem ſcriptis conſignaſsent? Hęc pro multa parte citatus Doctor Pariſienſis, quæ contra ſolius inſtrumentorum

por-

porrectionis aſsertores invicta videntur. Qui vero hanc cum manuum impoſitione, ut partialem materiam cum partiali conjungent, ſimulque nobiſcum tuebuntur invariabiles eſse Sacramentorum materias, facile reponent inſtrumentorum traditionem ab Eccleſiæ primordiis ſemper uſurpatam fuiſse. At facilius erit poſtremum iſtud reſpondere, quam probare; de quo paullo poſt.

Objic. 5. non utique inaniter proferuntur verba hæc: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo*, &c. Atqui hæc proferuntur, cum Epiſcopus 177
cuilibet initiando porrigit calicem cum vino, & patenam cum hoſtia. Ergo quemadmodum verba hæc formæ locum habent, ſic & materiæ locum & vices gerit inſtrumentorum porrectio.

Reſp. 1. objectionem hanc nihil eis nocere, qui geminam agnoſcunt 178
Presbyteratus materiam, porrectionem ſcilicet inſtrumentorum cum impoſitione manus. Qui vero ſola hac poſtrema contenti ſunt,

Reſpondent prætermiſsa argumenti forma, quæ vitioſa eſt, quia plus 179
dicit conſequentia quam præmiſsæ, cum id etiam non inaniter proferri poſſit, quod formæ locum non habet; Reſpondent, inquam, non magis ex his verbis: *Accipe poteſtatem offerre*, &c. poſse inferri quod tunc imprimatur caracter Sacerdotalis; quam ex iiſce vocibus; quæ manus ungendo profert Antiſtes: *Per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, quæcumque benedixerint manus iſtæ, benedicantur, & quæcumque conſecraverint, conſecrentur*, colligi poſſit tunc temporis conferri Presbytero poteſtatem benedicendi & conſecrandi. Atqui tamen poſterius iſtud nemo colligit. Ergo ſicut fatentur adverſarii verba hæc *per iſtam unctionem*, meram eſse declarationem poteſtatis jam collatæ; ſic & nos, inquiunt, dicere poſsumus, verba iſthæc: *Accipe poteſtatem offerre*, &c. non conferre actu, ſed collatam declarare poteſtatem offerendi, &c. Eodem meræ declarationis ſenſu verba hæc: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata*, &c. interpretantur, qui ſolam primam vel ſecundam manuum impoſitionem pro ſubſtantiali Presbyteratus materia admittunt.

Objic. 6. Conſtat ex dictis ſupra n. 127. & ſeq. porrectionem inſtru- 180
mentorum ſemper & ubique quoad rei ſubſtantiam fuiſse in uſu. Atqui eo ipſo debet hæc pro ſola Presbyteratus materia admitti. Quando enim Ordo aliquis plura habet Officia, tota ejus eſsentia in collatione Officii potioris continetur, ut liquet in Ordinibus minoribus. Atqui potiſſimum Presbyteratus Officium eſt conſecratio corporis Chriſti. Ergo tota materiæ ejuſdem Presbyteratus eſsentia conſiſtit in ritu ejuſdem Officii collativo, qui quidem eſt porrectio inſtrumentorum.

Confirm. quia tota Ordinis eſsentia petitur ex ipſius relatione ad 181
conſecrandum Chriſti corpus; cum per hoc a ceteris Sacramentis diſtinguatur. Ergo poſita ſemel hac poteſtate, cetera pro accidentalibus haberi debent.

Reſp. 1. neg. maj. etſi enim argumenta, quæ in gratiam porrectionis 182
inſtrumentorum protulimus, aliquid roboris habent, non eo tamen uſque aſsurgunt, ut conſenſum neceſsario rapiant: cum ex eis nullum ſit quod probabiliter ſolvi nequeat, & quæ primo intuitu graviora apparent, invicte confutentur. Quod ut ſigillatim manifeſtum fiat,

183 Reſp. ad 1. quod petitur ex Decreto Eugenii IV. ſufficere reſponſiones datas n. 141. pag. 309.

184 Ad 2. nu. 129. etſi qui tacet, non abſolute negat, videtur tamen negare, qui tacet, ubi eſſet gravis loquendi cauſſa, nulla vero eſt tacendi. Atqui & gravis erat cauſſa cur Patres inſtrumentorum porrectionem commemorarent, poſito quod hæc eſſentialis foret ſacræ Ordinationis materia: quia nihil gravius eſſe poteſt, quam ut ſciat quiſque quæ ſit materia Sacramenti, unde pendet ſumma Religionis. Aliunde vero nulla erat materiam hanc reticendi cauſſa. Quod enim adverſariorum nomine reſpondimus, occultatam eam fuiſſe, ne ad infideles deveniret notitia ipſius, atque hinc reſcirent eam quæ Presbyteris traditur poteſtatem in corpus Chriſti naturale; nihil habet vere ſolidi. Namque 1. non magis inſtrumentorum porrectio, ſecluſa a verbis formæ, quæ apud antiquos deſunt, indicat poteſtatem in corpus Chriſti naturale, quam manus impoſitio: & hæc tamen ubique a veteribus exprimitur. 2. Si porrectio inſtrumentorum ſit adeo plena myſterii, cur eam diſertim expoſuit Concilium Carthaginenſe IV. loquendo de Ordinationibus Subdiaconi & inferiorum Clericorum? Cur rurſus inſtrumentorum meminit in conſecratione Epiſcopi * non autem Presbyteri, vel Diaconi, ſi hæc in horum etiam inauguratione admittebatur.

185 Ad 3. ſupra n. 131. fateor non deeſſe porrectionem inſtrumentorum in univerſis Antiquorum Ritualibus: verum hinc ſequitur tantum, eam alicubi ocius, alibi ſerius adhibitam fuiſſe; non autem vel ab initio ubique fuiſſe uſurpatam, vel ubicumque uſurpata eſt, habitam fuiſſe pro eſſentiali. Profecto manuum unctio diu ante frequentata eſt, quam traditio inſtrumentorum; & illam tamen nemo habet pro ritu eſſentiali.

186 Eodem modo ſolvi poſſet quod objicitur n. 132. ex Epiſtola 25. S. Fulberti ad Leuthericum Senonenſem (Tom. 18. Biblioth. PP. n. 5.) At pii & eruditi amici pace dictum ſit, textus ille nihil omnino probat. Sic enim loquitur *de Presbytero ab alio Epiſcopo per pecuniam Ordinato .... Ceterum rebaptizationes & reordinationes fieri Canones vetant. Propterea depoſitum* Sacerdotem *non reordinabitis, ſed reddetis ei ſuos gradus per inſtrumenta & veſtimenta quæ ad ipſos gradus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradum Oſtiarii & cetera, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* Jam vero verba hæc: *Per inſtrumenta & veſtimenta*, ſic per accommodationem intelligi poſſunt, ut inſtrumenta ad ſolos pertineant minorum Ordinum & Subdiaconatus gradus, qui ante Presbyteratus Ordinem reſtituendi erant. Ergo textus ille per ſe ipſum corruit.

An. 533. Quin & (ægre dico, dicendum tamen) ex parallelo Concilii Toletani IV. textu contrarium erui poteſt. Sic enim habet Can. 29. (Tom. 5. Lab. pag. 1714.) *Epiſcopus, Presbyter aut Diaconus ... a gradu ſuo injuſte dejectus .... non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram Alta-*

rio

* Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput & cervicem ejus, &c. Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, &c. *Concil. Carthag. IV. Can. 2. & 5. Tom. 2. Concil. p. 1197. & 1200.*

rio'.... Si Presbyter, orarium & planetam: Si Diaconus, orarium & Albam: ſi Subdiaconus, patenam & calicem: ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ, cum ordinarentur, perceperunt. Ergo qui *orarium* ſeu ſtolam, *& planetam*, ſive caſulam ſolum recipiebat, cum ſuo gradui reſtituebatur, nihil ultra receperat in Ordinatione ſua.

Quod additur n. *133.* nullam a pleriſque Conciliis præſcribi in ſpecie formam Ordinationis, extra rem eſt, & nihil probat. Satis enim ex ſilentii lege intelligitur, cur deſint in antiquioribus Conciliis Sacramentorum formæ; at non intelligitur, cur Concilia, quæ de inſtrumentorum traditione loquuntur, cum de Subdiaconis ſermo eſt; de eadem prorſus ſileant, cum agitur de Presbyteris & Diaconis; poſito quod Diaconi & Presbyteri perinde ac Subdiaconi per eamdem inſtrumentorum traditionem inſtituerentur. 187

Ad Confirm. num. 134. propoſitam, lubens concedo non fuiſſe expreſſa in veteribus Conciliis quæcumque pertinent ad ordinandi ritum; cum in iis ſæpius deſit Ordinationis forma. At nego in iis deeſſe quidquam circa inſtrumentorum porrectionem, aut ſaltem probari poſſe quod quidquam deſit. Quare enim in Ordinatione Presbyteri vel Diaconi ſuppreſſum eſſet, quod in Ordinatione Subdiaconi palam enuntiatur? Cur in ipſo quod objicitur Pictavienſi Rituali tacita fuiſſet inſtrumentorum traditio, dum minime taceb atur unctio manuum? Quod ergo unctionem hanc recenſet Pictavienſe Directorium, non autem Synodus Carthaginenſis, probat quidem accidentales Ordinationis ritus non fuiſſe ubique eoſdem; at non probat uſurpatos fuiſſe in territorio v. gr. Carthaginenſi ritus, qui ne obiter quidem ab ejus Conciliis indicantur, & multo minus eoſdem pro eſſentialibus habitos fuiſſe. 188

Quod ſpectat ad Græcorum praxim, de qua num. *135.* paucis reponam, 1. eſſe cur Orientales Theologi noſtris grates rependant, quod ab iis didicerint, ſe per inſtrumentorum porrectionem Ordines conferre. Id enim hactenus neſcierant Græci, & negaverant, præter Catum Syritum, quem pro meritis redarguit Goar. pag. *299.* 2. probandum eſſe quod ritus tangendi Altare ſemper & ab Eccleſiæ primordiis apud Græcos viguerit, & quidem ut materia eſſentialis; 3. & id etiam probandum, quod tactus ille vel ubique fiat cum actione Epiſcopi (id enim non indicant omnia Goarii Euchologia, ſicut nec Morini part. 2. licet ſatis indicet Simeon Theſſalonicenſis in ritu Ordinationis Presbyteri) vel quod Aræ contactus ſine ulla Epiſcopi actione factus ad Ordinationis validitatem ſufficiat. Si enim apud nos non ſufficiat, ut Ordinandus calicem ſibi ex Epiſcopi juſſu a Presbytero oblatum contingat; quia non alius quiſpiam, ſed ipſe Sacramenti Miniſter, ut formam pronuntiare, ſic & materiam applicare debet; difficile eſt ut tactus Altaris, & multo magis tactus qui fronte fit, non manu, quæ ſola ad donorum oblationem habilis eſt; cenſeatur indubia Ordinationis Græcæ materies. Et hæc pacifice, & ad ſollicitandum accuratius intricatæ quæſtionis examen dicta ſint. Stabit interim majorem argumenti n. 180. propoſiti non ægre negari poſſe. Qui vero admiſſa tamquam partiali materia inſtrumentorum porrectione, eamdem concedent, 189

190 Reſpondebunt ad 1. neg. min. Ad 2. diſt. quando Ordo aliquis plura habet Officia, vel leviora, vel ſecum invicem neceſſario connexa, tota ejus eſſentia continetur in officio principali; tranſeat, quia in his quæ ab Inſtitutoris voluntate pendent, nec a pari, nec ex conjecturis argumentandum eſt. Quando plura habet Officia & gravia in ſe, & non neceſſario connexa, N. Porro, inquiunt, utraque Sacerdotii poteſtas, conſecrandi videlicet & abſolvendi, graviſſima eſt: neutra vero ſic cum alia connexa eſt, ut ex ea conſequatur. Poteſt enim prior ſine poſteriori conſiſtere; licet poſterior, juxta plures, ſine priori ſubſiſtere non poſſit.

191 Ad Confirm. reponunt quod licet relatio ad conſecrandam Euchariſtiam primarium ſit Presbyteratus diſtinctivum, ad ejus tamen eſſentiam, prout a Chriſto inſtitutus eſt, pertinet relatio ad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ. Unde qui Sacrificare poſſet, non autem abſolvere, non eſſet vere & complete Sacerdos juxta inſtitutionem Chriſti. Jam ut ceterorum Ordinum materiam proſequamur, ſit

192 Conclusio V. Materia Diaconatus eſt manuum impoſitio, & quidem probabiliter ſola.

193 Prob. 1. ea eſt, & quidem ſola Diaconatus materia, qua & ſola conſtanter uſi ſunt tum Apoſtoli, tum & qui iis ſucceſſerunt Epiſcopi; quamque ſolam hactenus admiſerunt quæ verum Diaconatum habent Orientales Eccleſiæ. Atqui talis eſt manuum impoſitio.

194 1. Eam adhibuere Apoſtoli, cum Diaconos ſeptem inauguraverunt. Act. 6. v. 6. *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus;* nec aliud quidpiam ultra feciſſe leguntur.

195 2. Eadem uſi ſunt, nec aliam commemorant Epiſcopi Apoſtolorum

An. 314. ſucceſſores. Patres Ancyrani Can. 9. (Tom. 1. Concil. p. 1467.) *Diaconi*, inquiunt, *quicumque ſuſceperint manus impoſitionem .... & poſtea nuptiis conjugati ſunt, a miniſterio ceſſare debebunt*. Idem expreſſius docet Concilium Carthaginenſe IV. cap. 4. ubi ſic: *Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper illius caput ponat; quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium deputatur*. Et cap. ſeq. *Subdiaconus cum Ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum*, &c. Ubi Diaconatus inter & Subdiaconatus materiam illud eſt diſcrimen, quod ut ſecunda in porrectione inſtrumentorum conſiſtit, ſic & prima in manus impoſitione. Idem luculente probat ſupra citatus Canon 29. Concilii Toletani IV. quo præcipitur ut Diacono injuſte depoſito, ſuumque in gradum reſtituendo, Orarium & Planeta reddantur, inſtrumenta autem Subdiacono. Porro & ipſi etiam Diacono reddi debuiſſent inſtrumenta, ſi cum his ordinatus fuiſſet.

196 3. Non aliam in ordinando Diacono materiam adhibent Orientales Eccleſiæ, quam manus impoſitionem; niſi Altaris ex fronte contactus cenſeatur inſtrumentorum porrectio. Id autem quam difficile ſit intellectu paullo ſupra oſtendimus, n. 189. Jam vero legitimos Orientalibus Eccleſiis ineſſe Diaconos probant eadem momenta, quibus n. 120. genuinos eiſdem Sacerdotes adſcripſimus.

197 Prob. 2. Si quæ præter manuum impoſitionem eſſentialis foret Diacona-

conatus materia, vel traditio Codicis Evangeliorum, vel Stola, vel Dalmatica. Atqui nullum ex his dici poteſt.

Non primum, 1. quia cum priores ſeptem Diaconi ab Apoſtolis con- 198
ſtituti ſunt, nullus adhuc prodierat Evangeliorum Codex. Ergo vel iidem Diaconi male Ordinati ſunt, quod nemo dixerit; vel Eccleſia eſſentialem novam manuum impoſitioni ſuperaddidit materiam; quod quantis obnoxium ſit difficultatibus, quam gratis divinatum, liquet ex dictis n. 173. & ſeq. 2. quia Græci hactenus Librum Evangelii futuris Diaconis non tradiderunt. Hunc equidem tradunt jam pridem Occidentales Eccleſiæ, ſed per ritum, qui nec ab initio fuit, cum nulla extet illius memoria, ſeu apud antiquos Patres, ſeu in Ritualibus pleriſque ante annos 800. exſcriptis; nec ubique ſimul viguit; cum nequidem ſæculo XIV. receptus eſſet in Apicienſi Eccleſia, in quam primum inductus eſt a Durando ejuſdem Sedis Antiſtite *; 3. quia etſi olim quibuſdam in locis Evangelium legebatur a Diacono, ut Hippone, non tamen ubique locorum, ſed vel a Lectoribus, ut de Africa patet ex S. Cypriano Epiſt. 33. vel a Subdiaconis, ut de Hiſpania colligitur ex Can. 4. Concilii Toletani I. vel a ſolis Archidiaconis, uti de Alexandria docet Sozomenus Lib. 7. Hiſtor. cap. 19. Quin & diu celebrata eſt Miſſa ſine Epiſtola & Evangelio, ut probat Morinus part. 3. Exercit. 9. cap. 1. *Cui porro* ait idem n. 12. *fiet credibile Diaconum, primum & neceſſarium ſacrificii Miniſtrum, per illud inſtrumentum conſtitutum eſſe Altaris Miniſtrum, quod nec ad Altare, nec ad Sacrificium ullo modo pertinet*; & cujus exercitium non ipſi magis quam Lectori vel Subdiacono committebatur? Vide Morinum toto citato capite.

Non ſecundum, 1. quia nullibi legitur ſtolam primis Diaconis tra- 199
ditam fuiſſe; 2. quia de ſtola altum ſilent Ritualia multa antiquioris ævi, ut videris apud Martenium cap. 9. art. 9. n. 4. 3. quia traditioni ſtolæ nulla apud Græcos verba inſtar formæ reſpondent. Reſpondent quidem aliqua apud Latinos, ſed quæ Sacramenti effectum non indicant ſatis ut pro forma haberi valeant.

Non tertium; tum quia Dalmaticæ uſum neſcit Eccleſia Græca; tum 200
quia hæc apud Latinos recentis eſt inſtituti; tum quia ſi Medinam demas, vix quiſquam alicujus nominis occurret, qui veſtimentum illud uti Diaconatus materiam admittat.

Dixi in Concluſione, manus impoſitionem eſſe probabiliter ſolam 201
Diaconatus materiam; ne eos læderem Scholæ Theologos, qui cum ipſa traditionem inſtrumentorum in materiam adhibent. En ipſorum momenta, quæ forte nonnullis ſapient; quæque per modum objectionum proponam cum ſolutionibus. Itaque.

Objic. 1. ſatagendum eſt ut Synodi cum Synodis concilientur. Atqui 202
conciliatio hæc fieri nequit, niſi duplex aſſignetur Diaconatus materia. Siquidem Concilium Carthaginenſe IV. in materiam Ordinis hujus aſſignat manuum impoſitionem; quod & poſt ipſum fecere Concilia Hiſpalenſe II. Can. 4. & Meldenſe art. 845. ubi prohibetur ne Chorepiſcopi Ordines illos conferant, qui per impoſitionem manus traduntur, *id*

* Durandus a S. Porciano, Doctor Pariſienſis, exinde Dominicanus & ſacri palatii Magiſter, Anicienſis primum, ac deinceps Meldenſis Epiſcopus, obiit an. 1333.

eſt, inquit, *non niſi ad Subdiaconatum*. Aliunde vero Synodus Florentina docet cum Eugenio, quod *Diaconatus* traditur *per Libri Evangeliorum dationem*; quod & perinde docet Pontificale Romanum. Ergo.

203 Reſp. ad 1. neg. min. ut enim veteres Synodi cum Eugenii Decreto concilientur, ſufficit ut Decretum illud, quod ad ſolos Armenos, non vero ad omnem Eccleſiam dirigitur, indirecte aſſignet manus impoſitionem ut materiam Diaconatus, & in his quæ dicit de Libri Evangelici traditione intelligi poſſit de materia vel accidentali, vel integrante. Atqui Decretum illud 1. manus impoſitionem indirecte aſſignat; cum remittat ad Pontificale Romanum, ubi ea præſcribitur. 2. De materia ſolum accidentali intelligi poteſt; tum quia Armeni circa eſſentialem materiam, quæ ubique gentium recepta erat, erudiri non indigebant; tum quia jam pridem doctiores quique Theologi Decretum illud, nullo per Orbem reclamante Epiſcopo, noſtro hoc ſenſu intelligunt; tum quia ſi ſolam Evangelii traditionem pro genuina Diaconatus materia exhibuiſſet, neceſſario appoſuiſſet clauſulam irritantem, ut omnibus foret compertum Ordinationes alio ritu hactenus factas pro irritis tenendas eſse; tum denique quia adeo non intendit Eugenius accuratam præbere cujuſque Ordinis notitiam, ut plane ſiluerit de Epiſcopatu, a quo ceteri Ordines velut a radice profluunt; & loquens de Subdiaconatu, traditionem Libri Epiſtolarum penitus ſuppreſserit. Ergo non eſt cur Decretum illud veteribus Conciliis oppoſitum eſse fingatur: cum neque negaverit quæ illa adſtruunt ut eſsentialem Ordinum materiam; neque probari poſſit adſtruxiſse ut eſsentialem materiam, quæ illa non admiſerunt.

204 Nec eſt quod objicias, Decretum illud in aliis Sacramentis materiam eſsentialem aſſignaſse: Namque 1. in Sacramentis quæ unica materia conſtant, ut aqua Baptiſmus, & pane ac vino Euchariſtia, non aliam quam eſſentialem materiam aſſignare poterat. 2. In Confirmatione ſolam aſſignavit unctionem, & quidem cum Chriſmate factam; & tamen dubium eſt an materia hæc vel ſufficiat, vel tota ſit eſſentialis. 3. Pro forma Euchariſtiæ aſſignavit verba quibus Salvator, & Sacerdos in ejus perſona loquens hoc conficit Sacramentum. Atqui non omnia tamen verba quæ protulit Chriſtus, aut in ejus perſona loquens Sacerdos profert, ſunt de neceſſitate Sacramenti, ut oſtendimus Tom. V. pag 429. & 430. Ergo inquirenda eſt in Eugenii Decreto ſecura Eccleſiæ Romanæ praxis, non autem limata ad ſtrictos juris apices definitio.

205 Nihilo plus urget quod objicitur ex Pontificali Romano: iſtud enim ſollicite deſcribit ritus omnes in ſingulis Ordinationibus uſurpandos. Verum qui præciſe ſint eſſentiales, vel accidentarii ſolum, Theologice non expendit.

206 Objic. 2. Ordo quivis conſiſtit in ſpeciali poteſtate ſacram quidpiam exercendi; & hæc quidem poteſtas per materiam & formam exprimi debet. Atqui per impoſitionem manuum nec datur Diacono ſpecialis poteſtas, ſed aliquid Sacramentis omnibus commune; nec data exprimitur, ſeu per manus impoſitionem, ſeu per formam, quæ nihil a forma Confirmationis vere diverſum exprimit. Ergo.

Reſp.

Reſp. neg. min. hæc enim quæ manuum impoſitioni junguntur verba: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur*, &c. relativa ſunt tum & ad ea quæ jam protulit Pontifex, tum & ad ea quæ incontinenti profert. Ergo non exprimunt qualecumque robur, ſed robur neceſſarium Diacono, ad annuntiandum, invitis etiam poteſtatum ſæculi conatibus, Evangelium, prout fecit S. Stephanus; & ad digne miniſtrandum Altari, quidquid reluctentur tentationes. Ergo ſicut in Confirmatione datur vera & ſpecialis poteſtas, nimirum confitendæ Fidei coram tyrannis, quod Chriſtiani omnes debent; ſic & ſpecialis, neque omnibus competens, datur Diacono poteſtas, videlicet prædicandi Evangelium, & ſacris Altaribus pie & caſte miniſtrandi. 207

Objic. 3. argumenta omnia quibus probare nitimur phyſicam manuum impoſitionem eſſe Sacerdotii & Diaconatus materiam, inde deſumuntur, quod Patres & Concilia hanc manuum impoſitionem commemorent. Atqui probatio hæc nullius eſt momenti. Siquidem Patres per impoſitionem manuum, non ipſam manus actionem intellexerunt, ſed verba myſtica, quæ cum ab Epiſcopo proferuntur, eamdem vim habent ac factæ primum ab Apoſtolis manuum impoſitiones. Hæc autem expoſitio, licet primo intuitu contorta videatur, eo magis admittenda eſt, quod Patres ſymbolice & obſcure explicarent ea quæ ad Myſteria Religionis pertinent; & aliunde expreſſim declarent manus impoſitionem nihil eſſe præter myſtica verba, quæ Spiritum Sanctum advocant. Sic S. Clemens Romanus Lib. 7. Conſtit. Apoſtol. cap. 45. *Invocatio eſt virtus manus impoſitionis*. Sic S. Auguſtinus Lib. 3. de Bapt. *Impoſitio manuum .... quid eſt aliud niſi ſuper hominem oratio*. Sic & clarius Ambroſiaſter in Epiſt. ad Timoth. *Manus vero impoſitiones ſunt verba myſtica, quibus confirmatur ad hoc electus, accipiens auctoritatem, teſte conſcientia ſua, ut audeat vice Domini ſacrificium, Deo offerre*; quæ poſtrema verba manifeſte alludunt ad hodiernam hanc Eccleſiæ formam: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium*. Ita Carolus Merlin S. J. in Gallico Tractatu de formis ſacramentalibus, potiſſimum cap. 15. cujus tamen ſenſum in hac parte fateor me non ſatis aſſequi. Sed rebus penſatis ut ſonant, 208

Reſp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. maj. etſi enim objecti Patres ambigue locuti videntur, conſtat nihilominus ceteros de vera manus impoſitione, prout a verbis myſticis diſtincta, locutos eſſe. Qui enim impoſitionem manus una cum verbis recenſent, impoſitionem a verbis palam & evidenter diſtinguunt. Atqui Patres impoſitionem recenſent una cum verbis, ut patet in pleriſque textibus ſupra allatis. Et quid, quæſo, aliud ſibi volunt hæc Dionyſii verba, cap. 5. Lib. de Hierarch. *Diaconus dexteram manum Pontificis qui eum conſecrat, ſuper caput habet, ab eoque conſecratur iis precationibus, quibus Miniſtri conſecrari ſolent*. Quid hæc ipſius Clementis, ſi Clemens eſt, Lib. 8. ibid. cap. 17. *Diaconum efficies, Epiſcope, imponens ei manus, ... & orans dices*, &c. Et certe, ſi verba myſtica idem ſint cum manus impoſitione, quæ ſolum ſit pars integrans, ut pag. 343. ſubindicat Merlinus, neceſſarium non erit ut Sacramentum omne conſtet materia, ſicut & forma; cum pars mere integrans ad eſſentiam rei non pertineat. Id autem quam ſanæ Theologiæ adverſum ſit, nemo eſt qui non intelligat. Ergo Auguſtinus & 209

Am-

Ambroſiaſter eo ſunt intelligendi ſenſu quod manuum impoſitio non a ſe, ſed a verbis myſticis vim ſuam habeat, juxta tritum id Auguſtini de Baptiſmo: *Quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Atque id belle docet textus qui tamquam ex S. Clemente objicitur: *Invocatio eſt virtus manus impoſitionis*; quia ſcilicet impoſitio manus ab invocatione ſecluſa nihil habet virtutis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia ceterorum Ordinum.

210 MUlto minus difficultatis ingerunt ceteri Ordines, qui nunc communius ex Sacramentorum albo delentur. Quia tamen operæ pretium eſt ut recipiantur valide, de eorum etiam materia ſedulo, tametſi breviter, tractabimus. A Subdiaconis incipiendum: Sic autem illi ordinantur a Latinis.

211 „ 1. Epiſcopus præmiſſa gravi monitione tradit omnibus calicem vacuum, cum patena vacua ſuperpoſita, quem ſucceſſive manu dextera ſinguli tangunt, Pontifice dicente: *Videte cujus miniſterium vobis traditur: Ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis ut Deo placere poſſitis.*

212 „ 2. Archidiaconus tradit eis urceolos cum vino & aqua, ac bacile „ cum manutergio, quæ omnia ſimiliter tangere debent.

213 „ 3. Epiſcopus poſt orationem qua Deum precatur, *ut ſuper hos ſervos ſuos, quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus eſt, infundat benedictionem ſuam*, &c. amictum qui in collo ordinandorum jacet, imponit „ ſuper caput, ſingulis dicens: *Accipe amictum per quem deſignatur caſtigatio vocis, In nomine Patris*, &c.

214 „ 4. Immittit manipulum in ſiniſtrum brachium cuilibet, dicens: „ *Accipe manipulum, per quem deſignatur fructus bonorum operum, In nomine Patris*, &c.

215 „ 5. Poſt hæc induit quemlibet tunica .... dicens cuilibet: *Tunica jucunditatis & indumento lætitiæ induat te Dominus, In nomine*, &c.

216 „ 6. Tradit omnibus Librum Epiſtolarum, manu dextra ipſum ſimul „ tangentibus, dicens: *Accipite Librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis quam pro defunctis, In nomine*, &c.

217 Longe aliter ſe res habent in Eccleſia Græca. Ibi nempe Pontifex ter obſignans caput ordinandi, & imponens manum, recitat orationem, qua precatur ut Deus *irreprehenſibilem* ſervum ſuum *in omnibus* conſervet; ut per gratiam ejus *amet decorem domus Dei: ut aſſiſtat foribus templi*, &c. Et dicto *Amen*, accipiens Pontifex mantile, imponit ſiniſtro humero „ ejus qui ordinatur. Similiter præbet illi vas ad infundendam aquam „ pro lotione manuum .... & tandem accepta benedictione diſcedit. Ita Arcudius Lib. 6. cap. 2. p. mihi 481. & 482.

218 Quod ad minores Ordines ſpectat, Oſtiariatus qui omnium infimus eſt, ſic confertur a Latinis: Pontifex poſt recenſita Oſtiariorum munia „ tradit omnibus claves Eccleſiæ, quas ſucceſſive manu dextera ſinguli „ tangunt, Pontifice dicente: *Sic agite, quaſi Deo reddituri rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur*. Poſt hæc Archidiaconus, ſive alius „ Archi-

„ Archidiaconi vice fungens, ducit eos ad oſtium Eccleſiæ, & facit „ illos claudere & aperire: tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulſare: deinde illos reducit ad Pontificem, qui duplici oratione Deum precatur, *ut hos famulos ſuos benedicere dignetur, quos in officium Oſtiariorum eligere dignatus eſt*, &c.

Oſtiariatum ſequitur Lectoratus; is porro qui ex minoribus Ordinibus ſolus ſeorſim in Eccleſia Græca viget, ſic apud Latinos confertur. „ Pontifex præmiſſa monitione de iis quæ a Lectoribus præſtanda ſunt, „ tradit omnibus codicem de quo Lecturi ſunt, quem manu dextera tangunt, dicens: *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis qui verbum Dei bene adminiſtraverunt ab initio*. Tum & gemina prece orat, ut Ordinati munus ſuum fideliter adimpleant. 219

„ Apud Græcos Pontifex caput Ordinandi ter ſignat, eumque tondet „ ad modum crucis, dicens: *Tondetur ſervus Dei N. in nomine Patris*, „ &c. Ad ſingulas invocationes, qui adſunt, reſpondent, *Amen*. Deinde ab aliquo juxta figuram Clericorum perfecte tondetur. Sic denuo „ ad Pontificem adducitur, qui accepto camiſo eum induit, ejuſque caput ter ſignat, impoſitaque manu ſic precatur: *Domine Deus omnipotens, elige ſervum tuum hunc & eum ſanctifica. Da ei cum omni ſapientia „ & prudentia, ut divina eloquia tua exerceat ac legat*, &c. Et dicto *Amen*, „ datur Lectori Liber, in quo continentur Acta & Epiſtolæ Apoſtolorum; & paucis lectis.... dicit ei Pontifex: *Pax tibi*. Quod ſi Cantor „ ſit is qui ordinatur, aliquid recitat ex Pſalterio, quod Epiſtolis præmitti ſolet. „ Ita ibid. pag. 480. Arcudius; qui tamen paullo poſt obſervat, munus Cantoris hodie non ſpectare ad Ordines minores. *Sed fortaſſe*, inquit, *antiquitus enumerabatur inter Ordines ab Eccleſia conſtitutos*. 220

Ex his patet Græcos uno eodemque ritu tonſuram cum Lectoratu conferre. Unde merito idem Arcudius prædicto Lib. 6. cap. 8. p. 535. pro abuſu habet conſuetudinem paſſim apud Græcos hodie receptam, *tonſuram adhibendi pueris & infantibus, vel cum baptizantur, vel poſt octo dies a Baptiſmate*, idque eodem ritu, qui in Lectoris ordinatione uſurpatur. Quod, inquit, nec veteribus Euchologiis conſonat, nec a ſimplici Presbytero fieri decet, ut fit apud Græcos. 221

Exorciſtatum collaturus Pontifex, poſt prævia monita, „ tradit „ omnibus Librum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, cujus loco tradi „ poteſt Pontificale vel Miſſale, quem manu dextera tangunt, Pontifice dicente: *Accipite & commendate memoriæ, & habete poteſtatem „ imponendi manus ſuper energumenos, ſive Baptizatos, ſive catechumenos*. „ Ritum hunc pro more ſequitur oratio, qua precatur Pontifex, ut „ recens ordinati *ſint ſpirituales imperatores ad abjiciendos dæmones de corporibus obſeſſis*, &c. „ 222

Acolythatus poſt præviam de more adhortationem ſic confertur: 223
1. Pontifex tradit omnibus candelabrum cum candela extincta, quod ſucceſſive manu dextra ſinguli tangunt, eo dicente: *Accipite ceroferarium cum cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, in nomine Domini*.

„ 2. Tradit eis urceolum vacuum, quem ſimiliter tangere debent, 224

„ di-

„ dicens communiter omnibus: *Accipite urceolum ad ſuggerendum vinum* „ *& aquam, in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini.* " Ritum hunc ſequitur oratio multiplex, gratiæ ad officium iſtud neceſſariæ impetratoria. Hæc Pontificale Romanum.

225 Jam quæritur in quo conſtituenda ſit prædictorum quinque Ordinum materia. Lis potior de Subdiaconatu, quia gravioris eſt momenti: & licet moneat Tournelyus pag. 267. de eo non ita ſcrupuloſe ſtatuendum, ſicut de Presbyteratu & Diaconatu; e re tamen eſt ut ſciat quiſque rectene annon, ordinatus ſit.

226 Multiplex porro eſt ea de re opinio Theologorum, 1. enim docent aliqui ritus omnes in Pontificali præſcriptos ad eſſentiam Subdiaconatus pertinere. Ita Medina, cujus ſententia non improbabilis videtur Morino p. 3. Exercit. 12. cap. 1. n. 4.

227 2. Alii in ſola codicis Evangelici porrectione materiam Subdiaconatus reponunt. Ita Vviguerius in Summa.

228 3. Alii porrectioni huic Manipulum & Urceolum cum aquamanili & manutergio addunt: Ita Sicardus Cremonenſis, Lib. 2. cap. 2. Alii & his omnibus adjiciunt tunicam.

229 4. Plerique jam Scholaſtici materiam totam in calicis & patenæ contactu collocant. Sit

230 Conclusio I. Tutius quidem eſt ut caute obſerventur ritus omnes ad Subdiaconatum præſcripti. Attamen materia ejuſdem probabilius apud Latinos in ſolo calicis & patenæ tactu conſiſtit.

231 Prob. 1. pars, quia cum ex receptiori jam opinione Subdiaconatus, non a Chriſto, formaliter * ſed ab Eccleſia inſtitutus ſit, valor ipſius ab ejuſdem Eccleſiæ decretis totus pendet. Ergo cum utcumque incertum videri poſſit annon ea ritus omnes, aut ſaltem præcipuos, ad hujus Ordinis eſſentiam requirat, improvide conſuleret ſibi vel aliis, qui eorum nonnullos negligeret.

232 Prob. 2. pars, 1. ex Concilio Carthaginenſi IV. ubi ſic can. 5. (Tom. 2. Concil. pag. 1200.) *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum; de manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile & manutergium.* Hic porro ſaltem præcipua Subdiaconatus materia in calicis & patenæ traditione conſiſtit.

233 Idem docent tum Joannes Diaconus in Epiſtol. ad Senarium, ubi hunc *apud nos* ordinem eſſe dicit, *ut accepto ſacratiſſimo calice, in quo conſuevit Pontifex Dominici ſanguinis immolare myſterium, Subdiaconus jam dicatur*; tum S. Gregorius in Sacramentario; tum & Synodus Toletana VIII. quæ Can. 9. præcipit ut *cum Subdiacones ordinantur, cum vaſis miniſterii, benedictio eis ab Epiſcopo detur*, ubi præter vaſorum ſacrorum traditionem nihil in Subdiaconatus materiam requiritur.

234 Prob. 2. ex antiquis Ritualibus, quæ adducta Concilii Carthaginenſis auctoritate, illam vaſorum porrectionem, vel ut ſolum, vel ut præcipuum iſtius Ordinationis caput præſcribunt, uti ſcribit veterum char-

* Dico *formaliter*, quia nihil vetat quominus Ordines omnes a Chriſto radicaliter inſtituti dicantur, quatenus permiſit ut aſſignata primum Diaconis miniſteria dividerentur in plures.

chartarum devorator Morinus citat. Exercit. 12. cap. 1. numer. 5:

Prob. 3. ſi quid ad materiam Subdiaconatus præter porrectionem 235
inſtrumentorum eſſentialiter pertineat, vel traditio urceolorum, vel porrectio codicis Epiſtolarum, vel demum amictus, manipulus, & tunica. Atqui nullum ex his dici poteſt cum ſufficienti fundamento.

Non 1. quia etſi urceolorum traditio præſcribitur a Concilio Car- 236
thaginenſi, nihil eſt in ejuſdem Concilii textu, unde certo inferri poſſit eam eſse eſsentialem. Immo eſt unde inferatur contrarium; ſiquidem materiæ eſsentiali ſua ſemper reſpondet forma. Atqui nulla urceolorum traditioni forma reſpondet. Ergo. Addit Vvitaſſius futurum alioqui ut Archidiaconus ex parte foret hujus Ordinis Miniſter; cum tamen Subdiaconatus collatio ad Epiſcopum tota pertineat. Verum, ait Morinus ibid. *Si quis negaverit hoc principium, quomodo probabitur?* præſertim cum juxta Vvitaſſium, ſermo ſit de re quam Eccleſia hoc vel illo modo ad arbitrium ſuum inſtituere potuit.

Non 2. ſiquidem ritus, cujus recens eſt in Eccleſia inſtitutio, ad 237
eſsentiam Subdiaconatus referri non poteſt, niſi conſtet hanc fuiſse Eccleſiæ voluntatem. Atqui porrectio Codicis Epiſtolarum in Eccleſia recens inſtituta eſt, cum de ea nihil habeant Concilium Carthaginenſe, antiqua quotquot extant Ritualia, Iſidorus & Rabanus Maurus, qui ſingulos ſingulorum Ordinum ritus minute evolvunt. Neque hic ex ſolo Ritualium vel Auctorum ſilentio, quod tamen non minimi foret ponderis, pugnamus, ſed ex diſertis textibus Amalarii & Micrologi; quorum prior ſæculo IX. florebat, poſterior X. Amalarius itaque Lib. 1. de divinis officiis cap. 11. *Miror*, inquit, *qua de re ſumptus uſus in Eccleſia noſtra, ut Subdiaconus frequentiſſime legat lectionem ad Miſſam, cum hoc non reperiatur ex miniſterio ſibi dato in Conſecratione commiſſum, neque ex Litteris Canonicis, neque ex nomine ſuo*. Ergo neque ſub ipſum Amalarii tempus Subdiaconi ſemper Evangelium legebant, ſed *frequentiſſime*; nec in omnibus Eccleſiis legebant, ſed *in Eccleſia noſtra*, quod quidem mirabatur Amalarius; nec ſemper legerant: *Nam primi ævi tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod non erat ſcriptum: ſed poſtquam ſtatutum eſt a patribus noſtris ut Diaconus legeret Evangelium*, quod nec ab initio, nec ubique ſtatim invaluit (ſup. n. 198.) *ſtatuerunt ut & Subdiaconus legeret Epiſtolam, ſive lectionem*. Hæc ille, cui conſentiunt Micrologus Lib. 2. de obſervat. Eccleſ. cap. 8. Stephanus Æduenſis, Hugo Victorin. & alii apud Morinum ibid. n. 7. quibus jungi poteſt vel ipſe Durandus Mimatenſis, Lib. 2. Ration. cap. 8. n. 4.

Sed neque probari poteſt Eccleſiam, quoties novos quoſdam ritus 238
antiquis addidit, voluiſse ut ii haberentur pro eſsentialibus: nulla enim extat, ſeu Rom. Pontificis, ſeu generalis Concilii ſanctio, quæ Subdiaconatum, niſi ritu novo conferatur, irritum declaret. Ergo.

Non 3. ob rationem mox propoſitam. Amictus enim, Manipulus, 239
& tunica, nec ubique, nec ſemper Subdiaconis data fuere. Hinc nulla eorum mentio in Conciliis Carthaginenſi & Florentino.

Conclusio II. Materia Subdiaconatus apud Græcos ſola eſt 240
manuum impoſitio.

Prob. quia præter hanc manuum impoſitionem, nihil eſt in toto 241
Græ-

Græcorum ritu, ſeu antiquo, ſeu recentiore, quod materiæ locum gerere poſſit. Equidem Subdiaconis tradit Epiſcopus mantile & pollabrum abluendis manibus; multaque alia miniſteria exercere jubentur: Verum fiunt hæc Ordinatione jam completa, ſaltem qua parte munus Subdiaconi reſpicit.

242 Conclusio III. Materia Ordinum minorum ſunt inſtrumenta, per quæ ſub certa verborum forma iidem Ordines conferuntur. Unde

243 Materia Oſtiariatus ſunt claves traditæ ſub his verbis: *Sic agite* &c. Patet id ex Concilio Carthag. IV. can. 9. ubi hæc: *Oſtiarius cum ordinatur .... tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ de Altario, dicens: Sic age*, &c. Addunt aliqui velut partialem materiam contactum funis. Verum præterquam traditio funis non fit ab Epiſcopo, ſed ab Archidiacono, aut alio vices ipſius gerente; quæ ratio non eſt forte admodum efficax; vix fieri poteſt ut ritus, de quo nihil habet Concilium Carthag. & qui verba ejus tranſcripſere Rituales Libri antiqui, pro eſſentiali habeatur.

244 Materia Lectoratus apud Latinos eſt Codex ſacer candidato porrectus. *Lector cum ordinatur*, ait idem Concilium can. 8. *Epiſcopus, ſpectante plebe, tradat ei Codicem de quo lecturus eſt, dicens: Accipe & eſto Lector*, ſeu *relator verbi Dei, habiturus*, &c. ut ſupra in Pontificali Romano.

Dixi, *apud Latinos*, quia Græci Lectores ſuos inſtituunt, ter ſignando eorum capita, hiſque manum imponendo cum oratione, ſupra n. 220.

245 Materia Exorciſtatus ipſe eſt Exorciſmorum Liber. *Exorciſta cum ordinatur*, ait can. 7. citata toties Carthaginenſis Synodus, *accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe & commenda memoriæ*, &c. ut ſupra n. 222.

246 Demum materia Acolythatus eſt probabiliter duplex, nempe traditio tum ceroferarii cum cereo, tum & urceoli vacui. Ratio eſt quia cum utraque ex æquo præſcribatur, ſeu ab eodem Concilio Carthag. can. 6. ſeu a Pontificali Romano, non eſt cur prior accidentaria judicetur, poſterior eſſentialis.

Nec obeſt quod juxta S. Thomam q. 37. Supplem. art. 5. ad 5. *in da-*
247 *tione urceoli imprimitur Acolytho character*. Præterquam enim caracterem hunc ſacramentalem minoribus Ordinibus abnegant plerique hodie Theologi; nihil repugnat quin per cerei traditionem inchoetur utcumque caracter ille, & per urceoli traditionem, quæ potiſſimum Acolythi munus indicat, omnino compleatur.

248 Difficilius forte fuerit ſtatuere, an inſtrumenta hæc ab Epiſcopo ordinante neceſſario porrigi debeant. Affirmarent plerique propter Romani Pontificalis auctoritatem. Aliud tamen ſanxit, ideoque aliud obſervavit Carthaginenſis Eccleſia, ut conſtat ex eodem Concilio Can. 6. ubi: *Acolythus cum ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur, qualiter in officio ſuo agere debeat: ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo .... & urceolum vacuum*, &c. Unde confirmatur Morini reſponſio ſupra nu. 236. Ceterum ex dictis intelligit unuſquiſque materiam remotam ipſa eſſe inſtrumenta, proximam vero actionem, per quam eadem inſtrumenta porriguntur. Quod ſi manuum impoſitio ſola in materiam aſſignetur, ipſa manus, remotæ, impoſitio autem proximæ materiæ officium exercebit. Ut ſolvantur practicæ quædam difficultates,

Quæ-

Quæres 1. an inſtrumenta realiter & phyſice contingi debeant. 249

Reſp. Exiſtimarunt Albertus in 4. diſt.24. Cajetanus, Victoria, & alii quos ſequitur Vaſquez, ſufficere tactum moralem, in eo ſcilicet poſitum, ut initiandus exteriori ſigno teſtetur ſe inſtrumenta ſibi porrecta acceptare, puta extendendo manum verſus eadem inſtrumenta, licet non contingantur. Horum Ratio eſt quod ſæcularia Officia ſic aliquando conferantur. Verum ut multo tutior, ita & probabilior videtur opinio contraria quæ contactum phyſicum requirit; 1. quia, ut bene S. Thomas hic q.34. art.5. ad 3. licet aliter ſentientes non redarguat, *ipſa verba formæ videntur oſtendere quod realis tactus materiæ ſit de eſſentia Sacramenti* hujus: *quia dicitur*, *Accipe hoc vel illud*. Porro in uſu communi non cenſetur accipere vinum v.g. aut aquam, qui ſolo capitis nutu teſtatur ea ſibi placere, 2. quia traditio & acceptio ſunt correlativæ. Ergo quemadmodum requiritur traditio phyſica ex parte Miniſtri; licet ea non requiratur in donatione equi, libri, &c. ita requiritur & phyſica acceptatio, ſeu tactus realis ex parte Ordinandi; licet hæc in ſæcularibus Officiis neceſſaria non ſit. 3. quia idipſum probat anxia illa ſollicitudo, qua curant Epiſcopi ut Candidati omnes phyſice tangant inſtrumenta; 4. demum, quia in Baptiſmo, Confirmatione, Unctione-Extrema requiritur contactus realis. Ergo & in Ordine, niſi hunc aliunde conſtet communi a lege fuiſſe exemptum: Id autem non conſtat. Immo notat Sylvius ibid. opinionem hanc in Aphoriſmis Emman. Sa, verbo *Ordo*, Romæ fuiſſe correctam. Atque hinc cum eodem Sylvio hic p.138. colliges, eum qui moraliter ſolum tetigiſſet inſtrumenta cujuſcumque Ordinis, ſaltem ſub conditione denuo fore ordinandum. Aliter quidem de Ordinibus Hierarchicis ſtatuent ii quibus perſuaſum eſt eorum materiam in ſola manus impoſitione ſitam eſſe. Verum a tutiori noſtra opinione non recedent, qui ambiguis Scholæ diſceptationibus non præfracte innitentur.

Quæres 2. an ſufficiat contactus, realis quidem, ſed mediatus. Pro 250
ſolutione.

Not. contactum bifariam mediatum intelligi poſſe. Vel enim mediatus eſt ratione manus quæ tangit, ut ſi chirotechis munita ſit, aut calicem velo coopertum tangat; vel eſt mediatus ratione rei, quæ nuda quidem manu tangitur, ſed ratione alterius, non vero in ſe; ut ſi quis non tangat hoſtiam, ſed ſolum patenam, cui inſidet hoſtia, &c. His poſitis,

Reſp. in priori caſu ſufficere probabiliter contactum mediatum; in poſteriori autem certo ſufficere.

Ratio primæ partis eſt, 1. quod ſicut Epiſcopus in uſu communi 251
vere cenſetur manus imponere, vel initiandorum capita tangere, ſive manus nudas imponat, ſive inſtructas chirotechis; ſic & pari jure vere tetigiſſe cenſendus eſt, qui eodem modo tetigit; 2. quod Græci presbyterandis manus interjecto pallio imponunt, ſi Gobatio fides ſit; 3. quod tangere dicitur, qui indutam veſte perſonam tangit. Abſit tamen ut hæc, quæ ſemper neſcio quid dubii & anxietatis relinquerent, caute non vitentur in praxi.

Ratio ſecundæ partis eſt, quod ex uſu Eccleſiæ vere cenſetur tangi 252
id quod tangitur in ſuo continente. Unde ſicut tacto calice vinum

tangi-

tangitur quantum ſatis eſt; ſic & tacta cum calice patena cenſetur tangi quæ eidem ſuperpoſita eſt hoſtia. Et is eſt unanimis Doctorum ſenſus. Utique Pontificale Romanum id unum exigit ut Ordinandi *Cuppam calicis & patenam ſimul tangant*. Eadem de cauſſa qui unam ſolum clavem, urceolumve unum, immo & vas ſolum in quo ſunt claves tangit, communiter judicatur valide Ordinatus. Forte tamen quantum ad vas clavium reclamarent, qui calicis tactum ſine tactu patenæ vel hoſtiæ ſufficere negant cum Diana & la Croix hic n. 2154. Dixi patenæ vel hoſtiæ; quia ſi quis calicem cum patena, non tacta hoſtia, vel calicem cum hoſtia, non tacta patena, contigerit, veri admodum ſimile eſt valere Ordinationem, uti docet Sylvius in reſolutionibus, v. *Presbyteratus*. Idem ſenſerunt Doctores tres a prædicto la Croix conſulti, quibus aſſentirem ego, licet Ordinationem, in qua tacta quidem erat cum Calice hoſtia, non autem patena, dubiam Doctores alii duo judicaverint.

253 Quæres 3. quid juris, ſi vel in Ordinatione Presbyteri porrigatur calix ſine vino, vel cum aqua; aut patena ſine hoſtia; vel in Ordinatione Subdiaconi tradatur calix cum vino.

Reſp. in ſententia eorum qui inſtrumenta partialem utriuſque hujus Ordinationis materiam faciunt, Ordinem in priori caſu irritum eſſe, ſaltem quantum ad ſacrificii poteſtatem; in poſteriori vero eſſe validum.

254 Ratio primæ partis eſt, quod, juxta communiorem Doctorum ſententiam, calix ſine vino non ſufficienter exprimit poteſtatem conſecrandi ſanguinis Chriſti; cum hujuſmodi calix Subdiacono etiam tradatur. Atqui tamen poteſtas conſecrandi ſanguinis in Ordinatione Presbyteri, non modo per formam, ſed & per materiam neceſſario exprimenda videtur; cum ita habeat totius Eccleſiæ conſuetudo; & in Sacramentis non liceat ſequi ſententiam probabilem, relicta tutiore, uti definiit Innocentius XI. Hinc, teſte Gobat, Sacerdos ſic dubie Ordinatus peccat contra juſtitiam, ſi antequam defectum hunc ſuppleri curaverit, pro alio, recepta ſtipe, celebret. Gobat. Tract. 8. n. 98.

255 Dixi, *ſaltem quantum ad ſacrificii poteſtatem*, quia dubitant Theologi an valeat, vel non, quæ paullo poſt traditur poteſtas remittendi peccata.

256 Ratio ſecundæ partis eſt, quod vinum in calice per accidens ſe habet ad Ordinationem Subdiaconi; neque impedire poteſt quin calix ad eam inſervire valeat. Porro ex ubique recepta juris Regula 37. in 6. *Utile per inutile non vitiatur*.

257 Quæres 4. an valeat Ordinatio, ſi cui porrigatur calix non conſecratus, aut qui a conſecratione ſua exciderit.

Reſp. 1. illicitam fore Ordinationem, tum ex parte conſecrantis, tum ex parte conſecrati, niſi ex bona fide excuſentur. Ratio eſt quia violaretur conſtans Eccleſiæ praxis in ritu gravis momenti.

258 Reſp. 2. controverti inter Auctores an valida foret iſta hæc Ordinatio. Aſſerunt Ledeſma, Sotus, Henriquez, & alii non pauci; 1. quia licet in uſu ſit ut Ordinandis porrigantur vaſa conſecrata, nullibi tamen conſecratio hæc præſcribitur uti ad Ordinationis valorem neceſſaria. Sane Confirmatio nonniſi cum Chriſmate benedicto adminiſtratur; & tamen

docent

docent graviores Theologi benedictionem hanc ad Confirmationis valorem non requiri. 2. Quia calix & patena, licet needum conſecrata, ſatis ad Sacrificium referuntur per verba formæ, 3. quia utrumque iſtud vas non propter ſe, ſed propter vinum & panem decenter tradenda, Sacerdoti initiando porriguntur. Unde, ajunt nonnulli, valeret Ordinatio, ſi cui panis & vinum immediate in manus traderentur. Addunt aliqui Chriſtum ſacra peregiſſe in vaſis minime conſecratis. Sed quidni dicatur ea ſacrum in uſum ſpeciali nutu conſecraſſe. Id profecto facere potuit, etſi non quæcumque tangebat manu ſanctificaret.

Nihilominus Sylveſter & alii quidam Ordinationem hanc caſſam fore docent; quia vaſa hæc citra conſecrationem nec ſacra ſunt, nec Eccleſiaſtica. Ergo non plus habent relationis ad ſacrificium, quam alia quæcumque vaſa. Ergo nec apta ſunt quæ ſignificent poteſtatem in Ordine ad Sacrificium. Ergo, ait la Croix hic n. 2150. ſententia hæc, ut quæ dubia ſit, in re Sacramentaria practice teneri non poteſt: adeoque Ordinatio hæc ſub conditione reparanda foret. 259

Quæres 5. an ſufficiat materiam una tantum manu contigiſſe. 260

R. affirmat. & ſic Pariſiis, ubi omnia graviter fiunt & ponderantur, peractum vidi. Ratio eſt, tum quia ſic verificatur forma; tum quia nec Scripturæ, nec Eccleſiæ auctoritas jubet nos amplius quidquam requirere: neque gratis omnino multiplicanda ſunt Sacramentorum ſubſtantialia. Addit Lugo, ſatis futurum ſi quis digito, quin & ſolo manus ungue tangat; quia ſi ſolo ungue vultum alterius laceres, utique diceris tetigiſſe. Mihi tamen res incerta eſt: ſi enim vere tangit, qui digito tangit, an etiam vere *Accipit*, qui digito vel ungue tangit? Fateor equidem verbum, *Accipe*, non eſſe nimis urgendum: alioqui enim, ut advertit Henno p. 403. inſtrumenta, non contingenda ſolum, ſed & manu comprehendenda forent, quod Eccleſiæ praxi repugnat: Verum aliud eſt verba latius extendi, aliud eadem ſic imminuere, ut a nativa ſignificatione prorſus excidant.

Quæres 6. quomodo & quando ſuppleri debeat ritus in Ordinatione omiſſus. 261

R. 1. ſi ritus omiſſus ad eſſentiam Ordinis pertineat, *tota Ordinatio eſt iteranda, ac ſi nihil eſſet actum*. Ita Hoſtienſis, Joannes Andreas, & *omnes* apud Fagnan. in Cap. *Presbyter*, 3. *De Sacramentis non iterandis*. Nec obeſt citatum caput *Presbyter*, quo vetatur iteratio Ordinis totius, propter ritus alicujus omiſſionem: Quia, ut obſervat idem Fagnan. *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum*; & multo minus quod certo factum non eſt; Cap. *Veniens*, *de Presb. non baptizato*. Idem docet Collator Andegav. pag. mihi 412.

R. 2. ſi ritus omiſſus certo accidentalis ſit, qualis communiter cenſetur unctio manuum in Presbyteratu, tunc id unum ſuppleri debet quod omiſsum eſt. Semper autem cum actu iterari debent verba, & orationes eidem annexæ repeti debent. Quod ſi pars formæ omiſsa fuerit, debet hæc tota repeti. 262

R. 3. ſi pars quæpiam notabilis omiſsa fuerit, debet hæc, ſi fieri poteſt, ſuppleri ab eodem Epiſcopo, idque *ſtatuto tempore ad Ordines* 263

conferendos, prout citato cap. *Presbyter* decernit Greg. IX. Haud tamen palam ſupplenda foret illa hæc omiſſio, ſi hinc Ordinanti aut Miniſtris ejus immineret infamia, ſcandalumve, aut aliorum tunc Ordinatorum perturbatio. Unde publicus defectus publice reparandus eſt; occultus autem occulte; ſemperque cavendum ne divulgetur; Ita monet Gibertus Tom. 2. Conſult. de Ordine, Conſult. 8. Addit idem poſſe Presbyterum cum calice vacuo initiatum Miſſam celebrare; niſi id ſpeciali locorum lege, vel Epiſcopi juſſu ſibi prohibitum ſit. Ratio ejus eſt quod calicis porrectio ritus ſit mere & certo accidentalis. Id ego quidem in praxi nuſquam auſim, ſicut nec ex ejuſdem Doctoris auctoritate poſt comeſtam amigdalam auſim celebrare.

264 Sed quid ſi ob ſolum dubium Ordo vel cæremonia ſub conditione iteretur, an expectandum erit tempus *ad Ordines conferendos* ſtatutum? Negant Averſa, Gobat, Elbel pag. mihi 501. & docent ſeu Ordinem, ſeu ceremoniam in præſenti caſu iterari poſſe a quovis Epiſcopo, quovis die, in privato ſacello, & quidem uno eodemque die, quantum ad Ordines omnes ſimul, tam majores, quam minores. Hujus eorum dicti ratio hæc eſſe poteſt, quod in materia favorabili permiſſum cenſeri poſſit id quod non eſt prohibitum. Atqui non eſt prohibitum ut Ordinatio dubia, puta quia ambigit quis an materiam congrue tetigerit, extra ſtatutum tempus conditionate repetatur. Neque enim caſum hunc attingit Gregorius XI. ſed eum dumtaxat in quo ritus aliquis certo prætermiſſus eſt.

265 Quia tamen iteratio Ordinationis in qua ritus accidentalis prætermiſſus eſt, non differtur in ſtatutum tempus, niſi ut Ordinandi geminatis fidelium precibus & jejuniis efficacius adjuventur: quæ ratio æque vel plus urget in Ordinatione dubia, idcirco opinionem primam ſequi nollem, niſi & in loco communiter recepta foret, & ad ejus praxim determinarer ex ſpecialibus circumſtantiis: v. g. ſcandali, penuriæ Sacerdotum, futuræ populorum commotionis. Quod ſi ipſa Ordinationis die, ut contingere ſolet, detegeretur error, ei quacumque ejuſdem diei hora, ſi fieri poſſet, mederi conarer.

266 Ceterum non abs re fuerit admonere, anxietates quibus nonnumquam diſcruciantur aliqui, num ocius vel ſerius ſacra vaſa, num calicem aut patenam tetigerint, inanes inter ſcrupulos ablegandas eſſe, tum quia & Epiſcopus, & qui eidem aſſident Miniſtri, attentis oculis inſpiciunt quæcumque peraguntur; tum quia in longa actionum ſerie facilius nihil eſt, quam ut ex eis quædam excidant e memoria ordinandi; præſertim cum qui ad unum quid attendit graviter, minus, ac ne vix quidem moveatur ceteris. Multo minus ſuſpicari poteſt ſe Ordine inferiori prætermiſſo ad ſuperiorem fuiſſe promotum, qui nonniſi poſt annos plures hujuſmodi dubio laborare incipit, forte quia Ordinis unius litteras cum aliis reperire non poteſt. Ecquis, niſi hominem perditum fingas, poſt tantum crimen pluribus annis tranquillus remanſiſſet? Quis, niſi inferiori Ordine donatus fuiſse intelligatur, ad ſuperiorem promoveatur ab Epiſcopo? Vide Pontas, *v. Ordres*, caſ. 33.

C A-

CAPUT QUINTUM.

De forma Ordinationis.

QUemadmodum multiplex eſt circa materiam Ordinationis Theologorum ſententia, ſic & multiplex volvitur opinio de forma. Atque id utcumque neceſſario contigit; quia cum forma materiæ applicationem comitari ſoleat, quiſque ea vulgo in formam admiſit verba, quæ materiæ ab ipſo admiſſæ correſpondent. Unde qui materiam in ſola manuum impoſitione conſtituunt, formam in precibus eidem adjunctis collocant. Qui materiam in ſola reponunt inſtrumentorum porrectione, formam totam in his quæ abſoluta ſunt verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*, apud Latinos contineri exiſtimant. Sed & iidem paſſim formam Græcorum abſolutam eſſe opinantur, utpote, ajunt, in his poſitam verbis: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat... promovet N. in Diaconum, vel Presbyterum*, &c. Qui duplicem cujuſque Ordinis materiam, videlicet manus impoſitionem una cum inſtrumentorum porrectione, admittunt, geminam quoque formam, abſolutam aliam, aliam deprecativam tuentur. Demum qui aliam Petro pro Occidente, aliam Paulo pro Orientalibus Eccleſiis materiam a Chriſto traditam fuiſſe cenſent cum Harduino; imperativam formam aſſignant Occidenti, Orienti vero indicativam; quam tamen & deprecativam facile admitterent. Ut litis hujus inſtrumenta evolvamus per partes, dicemus 1. de forma Græcorum, 2. de forma Latinorum. Sit itaque 1

CONCLUSIO I. Forma Ordinationis apud Græcos non conſiſtit in his verbis: *Divina Gratia... promovet N. venerabilem Subdiaconum in Diaconum; N. venerabilem Diaconum in Presbyterum Dei; N. amabiliſſimum Presbyterum in Epiſcopum.* Eſt contra Latinos plures, & Arcudium ipſum Lib. 6. c. 8. 2

Prob. 1. verba quæ merum continent electionis decretum, ſeu quæ ſolum denuntiant hunc vel illum hominem dignum judicari qui ad talem gradum promoveatur, Ordinationis formam conſtituere non poſſunt. Atqui verba hæc, *Divina gratia*, &c. merum continent decretum electionis. Siquidem verba quæ tunc etiam proferuntur cum quis minime Ordinandus eſt, ſed jam plene Ordinatus, ad aliam Sedem transferri debet, nonniſi decretum electionis de eodem factæ continere valent. Atqui verba hæc, *Divina Gratia*, &c. tunc etiam proferuntur, cum quis jam plene Ordinatus... Siquidem, referente Theophane, cum ad Conſtantinopolitanam Sedem translatus eſt S. Germanus, Cyzicenus Antiſtes, adhibita fuit eadem formula: *Divina Gratia quæ ſemper infirma curat*, uſque ad hæc verba: *Oremus ut veniat ſuper eum Gratia Spiritus Sancti*, quæ cum Ordinationem modo faciendam denotent, homini pridem Ordinato minime conveniebant. Ergo. Mihi tamen probatio hæc ex dicendis num. 9. imminui videtur. 3

Confirm. 1. ex verbis quæ formulam hanc in Ordinatione Epiſcopi præcedunt; quæque ſic habent: *Suffragiis & conſenſu ſanctiſſimorum Me-* 4

tropolitarum, *& Archiepiſcoporum*, *&c. Divina Gratia*, *quæ ſemper infirma curat*, ubi liquet, non conſecrationis formam, quæ ab humano conſenſu non pendet, ſed electionis Decretum promulgari.

5 Confirm. 2. quia eædem voces, *Divina Gratia*, &c. nomine *proclamationis* vocantur, tum S. Maximo in cap. 5. Lib. de Eccleſ. Hierarchia; tum in Pontificali Maronitarum; de quo videris Doctiſſ. Aſſemani Tom. 2. Bibliothecæ Orientalis, ubi de Monophyſitis, num. 9. §. 10. Porro promulgatio Ordinationis ab Ordinatione ipſa toto cælo diſcrepat.

6 Prob. 2. ideo verba hæc, *Divina Gratia*, velut Ordinationis formam admittunt plures cum Arcudio, quia eadem verba ab Epiſcopo, ſuper initiandum tunc temporis manum imponente, proferuntur: ſic enim, inquiunt, forma cohæret materiæ, eique geminæ; cum initiandus & fronte tangat aram, cui inſident inſtrumenta, & ſuper ſe manum habeat Epiſcopi Ordinantis impoſitam. Atqui, quod capitale eſt, nec verba hæc ubique ab Epiſcopo proferuntur, nec in ſola ſacra & vera Ordinatione proferuntur, nec demum ubique ſub tempus impoſitionis manuum proferuntur. 1. Non ubique proferuntur ab Epiſcopo, ſed apud Cophtitas ab Archidiano; quod etiam apud Jacobitas Syrios locum habet, in Ordinatione Diaconi & Presbyteri. Equidem in Ordinatione Epiſcopi eadem verba ab Epiſcopo proferuntur, ſed non ab ipſo conſecratore, bene vero ab uno ex Epiſcopis qui eidem aſſiſtunt. 2. Nec eadem verba in ſola ſacra & vera Ordinatione proferuntur. Ubique enim proferuntur in inauguratione Lectorum, Oeconomorum, Archidiaconorum, & Archipresbyterorum. Neque tamen vel Lectoris, vel Oeconomi inſtitutio Sacramentum eſt. 3. Neque ſemper ſubeſt materia, ſeu manuum impoſitio, cum eadem verba proferuntur, uti male ſupponit Merlinus. Siquidem poſt Decretum, *Divina Gratia*, &c. ſollemniter lectum, ter ſigno crucis ab Archiepiſcopo ſignatur Ordinandus: deinde, ſi ſit Presbyter aut Epiſcopus, duo genua flectit prope altare, unum vero ſi Diaconus; poſtea ſi in Epiſcopum creandus ſit, imponitur ipſi Evangelium, tum demum ſequitur manuum impoſitio. Non equidem deſunt Euchologia, quæ indicent Epiſcopum, quando verba hæc, *Divina Gratia*, &c. recitat, manum habere ſuper caput Ordinandi impoſitam: verum hæc & recentiora ſunt, & aliis Euchologiis hoc in puncto contraria; & id ita in conſceratione Epiſcopi exprimunt, nihil ut tale in Ordinatione Presbyteri & Diaconi aſſignent. Quid vero ex iſta Euchologiorum varietate colligi poteſt, niſi quod ritus iſte neceſſarius non ſit, & ad Ordinationis ſubſtantiam minime pertineat.

7 Prob. 3. quia Decretum illud ſemper his deſinit verbis: *Oremus igitur pro eo, ut in eum veniat Sanctiſſimi Spiritus Gratia*. Atqui verba hæc quæ S. Spiritus deſcenſum adprecantur, de Electo rite dicuntur, non autem æque de jam Ordinato. Is enim jam ex Ordinatione ſuſcepit gratiam Spiritus Sancti: cujus proinde non ſuſceptio, ſed conſervatio vel augmentum eidem a Deo poſtulari debet. Ergo. Plura de his vide apud Morinum p. 3. Exercit. 2. c. 3. & nobis olim amicum R. P. le Quien,

e ſa-

e familia Prædicatorum, Tom. 2. Operis inſcripti: *La nullitè des Ordinations Anglicanes demontrèe de nouveau*, c. 3. p. 77. & ſeq. & obiter adverte, hæc opinioni de quadam apud Orientales inſtrumentorum traditione non admodum opitulari.

Obj. 1. cum Arcudio, vox Græca, quam Latine reddimus per verbum *promovet*, idem proprie eſt ac *creat*, ſeu *conſtituit*. Atqui creatio Sacerdotis vel Diaconi, nihil eſt aliud quam ipſius Ordinatio. Ergo iſtud, *Divina Gratia*, ſeu Deus promovet, idem eſt ac Deus per miniſterium meum conſtituit hunc vel illum, Diaconum, Sacerdotem, &c. 8

R. neg. maj. vox enim Græca longe frequentius electionem, deſignationem, propoſitionem, ac promotionem ſignificat, quam creationem, ut patet, tum ex pluribus exemplis quæ refert Budæus; tum ex S. Clemente, qui eadem voce utitur Lib. 8. c. 20. cum de Diaconiſſa loquens, ait, *Reſpice hanc ancillam tuam electam ad miniſterium*; tum ex Nicœnis Patribus, qui in Epiſt. ad Eccleſiam Alexandrinam eodem utuntur verbo, ut exprimant Meletium *nullam habere auctoritatem*, *ſeu eligendi*, *ſeu manus imponendi*. Quia tamen in citato ſupra n. 3. Theophanis textu non legitur, *Divina Gratia promovet*, ſed *Divina Gratia transfert Germanum* &c. probatio ex eo deducta mihi nonnihil nutare videtur: verum non ideo concidunt aliæ. 9

Obj. 2. ritus conſtanter in Eccleſia Græca obſervatus, pro forma Ordinationis haberi debet. Atqui phraſis hæc: *Divina gratia*, &c. ritus eſt in Eccleſia Græca conſtanter obſervatus; cum ejus meminerint antiqui Patres, puta Gregorius Nazianzenus, qui oratione in laudem Patris ſui: *Nunc*, inquit, *parum deeſt quin exiſtimem, publicos Magiſtratus præſtantiore Ordine adminiſtrari quam noſtros, quibus Divina Gratia acclamatur*. Chryſoſtom. qui orat. 4. de Sacerdotio pravas Ordinationes ſic carpit: *Multæ harum Ordinationum a Divina Gratia non fiunt, ſed ab humano ſtudio*: Ubi uterque S. Doctor palam alludit ad hæc verba: *Divina Gratia*. Ergo. 10

R. neg. maj. etſi enim ex citatis Gregorii & Chryſoſtomi textibus non male deducitur prædictam acclamationem eſſe apud Græcos forte non paucos antiquam, inepte tamen colligeretur in ea ſitam eſſe formam Græcæ Ordinationis; quia ſicut non omne quod in Ordinatione Græca efficitur, ad materiam ipſius pertinet, ſic nec ad formam ejus pertinere dici poteſt quidquid in ea recitatur. Ut ergo verba quædam rationem formæ ſibi certo vindicent, neceſſum eſt ad minus ut ubique ſemper, ut ſemper ab Ordinationis Miniſtro, ut in ipſa Ordinatione ſemper adhibita fuerint. Atqui temere divinat, 1. qui prædicta verba ubique ſemper viguiſſe aſſerit; cum de iis ne apex quidem ſit in Scriptura, aut etiam in Conſtitutionibus Apoſtolicis; quæ tamen ſigillatim & fuſe recenſent quidquid ad primarias Ordinationes ſpectat; 2. qui eadem verba nuſquam ab alio quam Ordinis Miniſtro pronuntiata fuiſſe contendit; cum ex dictis certo conſtet ea quandoque ab ipſis etiam Archidiaconis recitata fuiſſe; 3. qui ea quoque in ipſo incœptæ jam Ordinationis decurſu ſemper prolata fuiſſe comminiſcitur: quandoquidem ex Græco Euchologio apud Morinum part. 2. & Simeone Theſſalonicenſi in Opuſculo de ſacris Ordinationibus c. 5. colligere eſt, 11

verba hæc ante fuiſſe pronuntiata, quam initiandus Sanctuarium ingreſſus eſſet. Non nego eamdem formulam rurſus, Ordinando jam Sanctuarium ingreſſo, fuiſſe recitatam. At ſi prima vice pro forma haberi non potuit, cur pro tali haberetur vice ſecunda?

12 Obj. 3. S. Dionyſius verba hæc inſtar formæ habet; ut & Simeon Theſſalonicenſis, qui ib. c. 4. ſic loquitur: *Cum hoc dicit Epiſcopus, & gratiam donat; & qui Ordinatur, Diaconatum, Epiſcopi verbo, ſtatim accipit:* Ergo.

13 R. ad 1. de S. Dionyſio neg. Ant. immo vero manifeſte indicat ille verba hæc meram eſſe declarationem electionis, quæ jam a Deo facta eſſe pie præſumitur. Sic enim habet c. 5. Libri de Eccleſ. Hier. *Sanctam conſecrationum, & gradus, nominumque eorum qui conſecrantur, renuntiationem exclamans effert: quod quidem Myſterium declarat Pontificem eſſe interpretem divinæ electionis; ipſumque non ſuo munere & favore eos, qui conſecrantur, ad Eccleſiaſtici Ordinis perfectionem efferre, ſed divini Numinis inſtinctu in omnibus conſecrationibus agi*: quæ verba expendens S. Maximus Martyr, *Hæc*, inquit, *proclamationem nominis vocat* Dionyſius, *cum in ipſa Ordinatione prædicat Ordinandum, dicens: Divina Gratia*, &c. quibus concinit in eumdem locum Pachimeres. Atqui verba quæ ſolum proferuntur, ut intelligant omnes, hunc vel illum ad talem Ordinis gradum promoveri, quia creditur a Deo electus; quæque *Ordinandum* reſpiciunt, nec ſunt, nec eſſe poſſunt forma Ordinationis ejuſdem. Ergo.

14 Quod ad Simeonem Theſſalonicenſem ſpectat, ei quidem cum uſitatos in Eccleſia ſua ritus promit, fides haberi poteſt: At cum proprias opiniones effert vir recens & e Schiſmaticorum grege, penſanda ſunt ejus momenta: Atqui dicit quidem, ſed nec probat, nec probare poteſt, abrupta hæc verba; *Divina gratia*, hominem *ſtatim* efficere Diaconum, eique gratiam largiri. Immo dubitari poſſit, an ſibi bene cohæreat Simeon. Sic enim proſequitur apud Morinum pag. mihi 113. *Nihilominus tamen opus adhuc habet myſterio & perfectione precum Epiſcopalium, & ceterorum omnium quæ in Ordinationum paradigmate continentur. Non enim vox ſola ſufficit ut Subdiaconus promoveatur*, nec ſufficit *dicere in Diaconum, vel quemvis alium gradum promoveatur; ſed cum hoc oportet etiam caput ejus ſacræ menſæ imponere, & flectentem genu manum Epiſcopi impoſitam habere, & deſcriptas preces & orationes recitari, & cruce ſignari, & dignum proclamari, & ſacram ſalutationem fieri, hæc enim omnia* ORDINANDUM *perficiunt, & omnia quæ præſcripta ſunt, fieri neceſſe eſt, cum in ceteris Sacramentis res ita ſe habeant*. Ubi duo videre eſt, 1. vocem *Divina Gratia*, quæ in objecto textu ſufficit ut quis e Subdiacono *ſtatim* Diaconus efficiatur; non tamen ſufficere ut idem Subdiaconus in Daconum promoveatur; quæ duo contradictionis ſpeciem præferunt; 2. ad Ordinationis valorem requiri a Simeone ut fiant omnia quæ in Rituali Græco exprimuntur; quod &, teſte Witaſſio, Tom. 2. p. 55. commenti ſunt quidam Juris Canonici interpretes. Hæc autem opinio cum abſona ſit, & ſanioribus Theologis omnino adverſa, quantum Simeonis auctoritati detrahat, nemo non videt. Si tamen honorifice eum tractare velis, repones cum eodem Pa-

riſien-

riſienſi Doctore, Diſt. Epiſcopus, cum dicit, *Divina Gratia*, &c. gratiam donat inchoative, C. perfecte & complete, ita ut ceteri qui ſequuntur ritus mere ſint accidentales, & illæſa Ordinis eſſentia prætermitti queant, N. Contrarium ſane indicat Theſſalonicenſis Epiſcopus per verba paullo ante relata.

Obj. 4. ſi prædictæ voces, *Divina Gratia*, &c. ne partialiter quidem ad Ordinationis formam pertineant, fieri jam nequit ut tactus inſtrumentorum ſit partialis Ordinum materia. Atqui tamen juxta nos ſupra non omnino improbabilis eſt ſententia, quæ contactum hunc habet pro materia ſacræ Ordinationis. 15

R. id a nobis optando potius, quam vere probatum hactenus credendo, dictum eſſe. Interim reſponderi poſſit, preces quæ contactum hunc ſequuntur, ſatis cum eo moraliter eſſe conjunctas, ut is materiæ rationem habeat, dum iſtæ rationem habent formæ. Quæ ſi cui non ſapiant, aveo ut inveniat meliora. Interim pene mihi certum eſt, Græcorum formam, ut quæ in indicativa phraſi, *Divina Gratia*, conſtitui non poſſit, in precibus quæ eum ſequuntur, neceſſario eſſe reponendam. Videndum nunc quæ ſit Latinæ Eccleſiæ forma. Sit igitur 16

CONCLUSIO II. Probabilius eſt Ordinationis Hierarchicæ formam conſiſtere in Oratione ſeu precibus, per quas Sacramenti miniſter gratiam ſuper initiandum advocat ut functiones ſuas rite & ſancte adimpleat. Unde Ordinationis forma non eſt imperativa; proinde nec in his conſiſtit verbis, pro Diaconatu: *Accipe poteſtatem Legendi Evangelium*, pro Presbyteratu, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium* ... *Accipe Spiritum Sanctum*, *quorum remiſeris*, &c. pro Epiſcopatu, *Accipe Spiritum Sanctum*. 17

Prob. 1. illud pro forma Ordinis admitti non debet, quod nec ubique, nec ſemper adhibitum fuit. Atqui imperativæ formæ, de quibus mox, nec ubique etiam quoad ſenſum, nec ſemper in Eccleſia adhibitæ fuerunt, 1. non ubique fuerunt in uſu; cum neque nunc extent apud Græcos, neque in ullis ipſorum Euchologiis compareant, 2. nec ſemper in Eccleſia Latina adhibitæ ſunt; cum nulla de his occurrat mentio, ſeu in antiquis Latinæ Eccleſiæ Pontificalibus; ſeu in Sacramentariis Gelaſii & Gregorii Magni; ſeu in Liturgia Gallicana, Pontificali ve Egberti; ſeu in antiquis monumentis quæ pervolverunt Morinus, Martenius, & ſubinde P. le Quien; ſeu demum in Scriptoribus, qui res Eccleſiaſticas latius tractavere, ut Iſidorus, Amalarius, Rabanus Maurus, Micrologus, quibus addi poſſunt Hugo a S. Victore, Magiſter Sentent. &c. Neque vero ſi quæ alicubi earum occurrant veſtigia, concludi illico poſſit eaſdem ubique obſervatas fuiſse; ſed ſolum eas, quemadmodum in ritibus Miſsæ factum eſt, certis in locis emerſiſse, donec paullatim omnem Occidentalis Plagæ Eccleſiam pervaſerint; quemadmodum ex ſupra dictis ſenſim invaluit uſus ut futuris Diaconis porrigeretur Liber Evangeliorum; qui nequidem ineunte ſæculo XIV. in Anicienſi Eccleſia porrigebatur. 18

Prob. 2. ratione contraria in eo reponenda eſt Ordinationis forma, quod ab initio & in omnibus Eccleſiis uſurpatum eſt tamquam 19

cauſsa gratiæ productrix. Atqui oratio, gratiam Spiritus Sancti relative ad ſacra munia invocans...

20 1. Ab ipſis Eccleſiæ primordiis adhibita eſt in Ordinationibus. Siquidem Act. 6. v. 6. ubi de Diaconorum promotione agitur, ſic habet ſacer textus: *Orantes impoſuerunt eis manus*. Ibid. c. 14. 22. Græce habetur: *Cum per ſingulas Eccleſias Presbyteros orando conſtituiſſent*. Nec dubium quin eodem ritu conſecrati ſint Epiſcopi, niſi Presbyterorum nomine & ipſi veniant in textu mox citato, de quo jam ſupra.

21 2. Oratio ab omnibus mundi Eccleſiis in ſacris Ordinationibus conſtanter adhibita eſt. Atque id liquet 1. ex Conſtit. Apoſtol. Lib. 8. c. mihi 2. & 3. aliis 4. & 5. ubi Epiſcopus Epiſcopum conſecrans, *Diaconis divina Evangelia ſuper caput ejus qui ordinatur, aperta tenentibus, dicit converſus ad Deum: Domine Deus omnipotens... qui a principio ad gubernationem populi tui Sacerdotes deſignaſti... qui Samuelem in Sacerdotem & Prophetam elegiſti... da... huic ſervo tuo, quem elegiſti Epiſcopum, paſcere gregem ſanctum tuum... & offerre tibi dona Eccleſiæ ſanctæ tuæ*, &c.

22 Ibid. cap. mihi 24. *Cum Ordinas Presbyterum, o Epiſcope, manum ſuper caput Presbyteri ipſe impone.... & orando dic: Domine omnipotens Deus... reſpice ſuper hunc famulum tuum... ut repletus operibus curationum & ſermone doctrinæ, in manſuetudine inſtruat populum tuum... & ſacrificia pro populo tuo immaculata perficiat*.

23 Et c. ſeq. *Diaconum conſtituas, Epiſcope, imponens ei manus... & orando dices: Deus omnipotens verus... oſtende faciem tuam ſuper hunc ſervum tuum electum tibi ad Diaconatum*, &c. Atqui iis in textibus tota ſacri Ordinis forma conſiſtit in Oratione, eaque, ut patet, ad Sacerdotium & Sacrificium relativa; ut ſuo loco contra Courayerum ponderabimus. Jam vero Auctorem Conſtitutionum in enumerandis Ordinationum ritibus, eos omiſiſse qui eſsentiales erant, ut iis inhæreret qui mere accidentarii forent, nemo unus intelliget. Ergo.

24 2. Ex Dionyſio qui c. 5. Libri de Eccl. Hier. ſic de Epiſcopi inauguratione loquitur: *A conſecrante eum Pontifice ſanctiſſimis invocationibus conſecratur... ſanctis precibus ſanctificatur*. Porro preces quæ conſecrant & ſanctificant, utique gratiam producunt: quod autem gratiam producit in Ordinatione, ejuſdem forma eſse debet, niſi ad materiam pertineat, quod in præſenti locum non habet.

25 3. Ex Concilio Carthag. IV. quod Canonibus 2. 3. & 4. pluries jam citatis, ſtatuit ut Epiſcopus, Presbyter & Diaconus Ordinentur *Epiſcopo* eos *benedicente*, ſeu, ut dicitur Can. 2. *fundente benedictionem*. Atqui benedictio hæc nihil aliud eſt quam oratio ad Deum fuſa; tum quia id ſonat nomen benedictionis; tum quia id docent coævi Patres. Sic Hieron. in c. 58. Iſaiæ: *Ordinatio Clericorum, non tantum ad imprecationem vocis, ſed ad impoſitionem impletur manus*. Sic Auguſtinus Lib. de Geſtis cum Emerito: *Invocatio nominis Dei ſuper caput ipſorum, quando Ordinantur Epiſcopi, invocatio illa Dei eſt, non Donati. Non enim ſuſcipio Epiſcopum, ſi quando eſt Ordinatus, ſuper caput ejus Donatus eſt invocatus*. Gemina habet S. Doctor Lib. 2. contra Creſconium, c. 10. Sic Auctor Operis de dignitate Sacerdotali apud Ambroſium, c. 5. *Homo... imponit*

ſup-

ſupplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextra. Quid porro dextra ſupplex, niſi impoſitio manus Orationi conjuncta? Sic demum Synodus Hiſpalenſis II. Can. 5. Ordinationem quamdam reprobat, quia dum manum Ordinando imponeret Epiſcopus, non ipſe, ſed in locum ejus, oculo laborantis, ſimplex Presbyter orationem pronuntiaverat. Ubi nihil quidem deerat ex parte formæ, niſi quod ab ipſo Ordinationis Miniſtro pronuntiata non fuiſſet.

Prob. 3. ſi quibus in verbis ſtatuenda ſit Ordinationis forma, in iis ſane quæ apud veteres vocantur *conſecratio* & *conſummatio Presbyterii*; quæque Sacerdotalis poteſtatis collationem exprimunt; & aliunde materiam proximam, nempe manus impoſitionem comitantur. Atqui tria hæc orationi ſuper Presbyterum fuſæ conveniunt. Ea ſcilicet in Sacramentario D. Gregorii vocatur *conſecratio*, &c. Ea rurſum collationem ſacræ poteſtatis exprimit; ut ex his ejuſdem Sacramentarii verbis conſtat: *Da, quæſumus, omnipotens Pater, in hunc famulum tuum Presbyterii dignitatem*, &c. Ea demum materiam comitatur, cum ab Epiſcopo manus imponente proferatur. 26

Prob. 4. in re ambigua ſatius eſt eam teneri opinionem, quæ Græcam Eccleſiam felicius conciliat cum Latina, & incertis opinationibus aditum præcludit. Atqui per opinionem noſtram utraque Eccleſia facile conciliatur; quia utraque per orationem ſemper Ordines contulit. Aliunde incertis opinationibus præcluditur via; ut quod duplex ab initio fuerit Græcos apud & Latinos ordinandi ritus; quod Latina Eccleſia per factam ſibi a Deo poteſtatem, ubi neſcio, deprecativæ formæ ſubſtituerit abſolutam, &c. Merito igitur Innocentius IV. in c. *Presbyter 3. de Sacramentis non iterandis: De ritu*, inquit, *Apoſtolico invenitur quod manus imponebant Ordinandis, & quod orationem fundebant ſuper eos: aliam autem formam non invenimus ab eis ſervatam.* 27

Dixi in Concluſione, *Probabilius eſt*; neque enim opinioni huic quiſquam ita inniti debet, ut vel Ordinando poſſit a tritis in Eccleſia Latina ritibus abſcedere; vel Ordinatus tuto ſe Diaconum aut Presbyterum confidere poſſit, ſi per ſolas preces, omiſſis formis imperativis, inauguratus fuerit. Quapropter, ut prudenter monet Jueninus hic cap. 3. in ipſo fine, etſi opinio noſtra ſpeculative videtur admodum probabilis; ei tamen in praxi anteferenda eſt ſententia, quæ cum oratione verba porrectionem inſtrumentorum comitantia requirit; præſertim cum in Sacramentorum negotio numquam liceat opinionem probabilem de eorum valore ſequi, ea, quæ tutior fuerit, relicta. Ut vero contrariæ ſententiæ momenta, quanta ſunt, appareant, 28

Obj. 1. cum Goneto hic diſp. 2. nu. 45. id Decreti Florentini: *Forma Sacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificii*. Ergo. 29

R. Ut ſupra, Decretum illud 1. remittere ad Pontificale Romanum, in quo oratio præſcribitur; 2. Auctoris ejus, Eugenii videlicet, mentem fuiſſe ut Eccleſiæ Romanæ ritus edoceret Armenos, non ut ad amuſſim definiret quæ cuique Sacramento eſſentialia ſint. Neque alio umquam ſenſu intellectum eſt a tota Eccleſia, quæ ubique locorum permittit ut opinio noſtra modeſte, ut decet, tradatur in Scholis. 30

Obj. 2.

31 Obj. 2. cum eodem ibid. n.46. ex Tridentino ſeſſ. 22. c. 1. Chriſtus Apoſtolos *novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituit*, *cum corpus & ſanguinem ſuum*, *ut ſumerent tradidit*, *& eiſdem ac eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus offerrent*, *præcepit per hæc verba*: *Hoc facite in meam commemorationem*. Atqui horum verborum loco, in Sacerdotis Ordinatione ponuntur hæc verba: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium*, &c. Ergo.

32 R. neg. min. quæ gratis aſſeritur. Dicat, amabo, Gonetus, quo primum tempore verba, *Accipe*, &c. in formam Ordinationis invecta ſint; cujus plenarii Concilii, vel ſaltem Pontificii Decreti auctoritate; an ubique ſimul & ſemel acceptata fuerint; cur qui ſingulas Ordinationis partes evolvunt Scriptores antiqui, de his nequidem murmuraverint, &c.

33 Obj. 3. cum Harduino in Opere ſuperius citato: Oratio, quam in formam Ordinationis erigimus, dicitur per modum Præfationis. Atqui Præfatio illa non magis in Ordinatione eſſe poteſt ipſius forma, quam Præfatio in Miſſa eſſe poſſit forma Euchariſtiæ. Ergo.

34 R. neg. min. nihil enim eſt cur oratio Sacerdotalem gratiam, ejuſve augmentum, invocans, ſive per modum Præfationis dicatur, ſive aliter, non ſit forma Ordinationis: Eſt vero cur Præfatio in Miſſa, non dicatur Euchariſtiæ forma, ſed ſollemnis ad conſecrationem præparatio; quia nempe ex Scriptura & traditione conſtat formam conſecrationis Euchariſticæ in ipſis Chriſti verbis poſitam eſſe.

35 Inſt. forma Sacramentorum debuit ſaltem prioribus ſæculis eſſe ſecreta; debuit & ſemper eſſe ſimplex, materiæ applicationi conjuncta, ac demum cuilibet Ordini peculiaris eſſe. Atqui nulla ex his conditionibus orationi & Præfationi, quam pro forma admittimus, convenit. 1. Enim ſecreta eſſe non poterat; neque enim ſecretum eſt, quod cantatur in Eccleſia. 2. Non eſt ſimplex, ut ſunt verba *Accipe*; ſed prolixa; 3. non comitatur materiam; cum impoſitio manus tunc deſinat, cum incipit Præfatio. 4. Demum nec cujuſque Ordinis propria eſt, ſed Epiſcopali & Presbyterali Ordinationi communis.

36 R. neg. min. quoad omnes partes. 1. Enim cantus non eſt de eſſentia formæ. Potuit ergo Præfatio hæc forma eſſe, nec cantari. Certe nec Macedonius, nec aſceta ille, cognomento Salamanus, quos commemorat Theodoretus in Philotheo, c. 13. & 19. & quorum alter neſciens, alter in domuncula ſua, cujus pars quædam perfoſſa fuit, Presbyteratu initiatus eſt, cum cantu Ordinati fuerunt. Potuit etiam cantari; & tamen ſecreta eſſe quoad infideles: immo potuit quoad Fideles ipſos eſſe ſecreta magis in ratione formæ, per cantum, quam per meram & publicam recitationem. Hæc enim in collatione Sacramenti ſtatim formam indicat: ille pſalmodiam redolens, myſterium celat.

37 2. Non ideo ſimplex eſſe deſinit forma, quia aliis paullo longior ſit: nec ulla Chriſti lege cautum eſt ut eadem ſit formarum omnium brevitas. Et vero ſi Ordinationis forma paucis illis conſtitiſſet verbis: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium*; quæ vel ipſi infantes memoriter ſtatim tenere poſſint, nihil fuiſſet facilius, quam ut Antiſtes ille oculis laborans, cujus Ordinationem irritam declaravit Synodus II. Hiſpalenſis, abſque Sacerdotis alterius auxilio Presbyterum ſuum conſecraret.

3. Ora-

3. Oratio, cujus pars eſt Præfatio iſthæc, manuum impoſitioni con- 38
juncta eſt Phyſice. Ergo & ipſa Præfatio eidem impoſitioni moraliter
connexa eſt, quod abunde ſufficit.

4. Diſcrepat Ordinationis Presbyteralis forma ab Epiſcopali; in 39
hac enim petitur Spiritus Sancti effuſio ad Summum Sacerdotii mini-
ſterium: in illa minime.

Obj. 4. Forma Ordinationis effectum ſuum, ſicut & aliorum Sacra- 40
mentorum formæ, ex opere operato producit. Atqui forma depreca-
tiva, qualis eſt oratio, effectum ſuum ex opere operato non produ-
cit: quin & operi operato contraria eſt, tantumque agit ex opere
operantis. Ergo.

R. neg. min. quam temere & gratis ſupponit Harduinus; gratis, 41
quia non probat; temere, quia, ut omittam varias de Pœnitentiæ for-
ma opiniones, major Theologorum pars formam Confirmationis ad
minimum ex parte deprecativam eſſe contendit; & omnes ferme cum
S. Thoma Supplem. qu. 29. art. 7. ſtatuunt, quod *Forma* Ext. Unctio-
nis *eſt oratio deprecativa*. Mirum ſane quod refricet Harduinus obje-
ctionem a Spalatenſi Apoſtata propoſitam. Contra utrumque igitur
dicendum, quod jam diximus Tom. V. pag. 67. orationem humanam
agere quidem ex opere operantis; at Sacramentalem ex opere opera-
to agere. Nonne vero potuit Deus eamdem certæ orationi vim alli-
gare, quam verbis imperativis annexuit?

An autem æque proſit oratio hæc, ſi ab homine voluntarie diſtra- 42
cto fundatur, ac ſi pie, definiri a pari poteſt ex iis quæ dicta ſunt in
Tract. de Extr. Unctione cap. 4. num. 14.

Obj. 5. verba quæ conferunt Spiritum Sanctum, ipſa ſunt Ordina- 43
tionis forma. Atqui verba hæc imperativa, *Accipe Spiritum Sanctum*,
eumdem Spiritum Sanctum in Ordinatione Hierarchica conferunt: Mi-
nor patet ex Tridentino ſeſſ. 23. Can. 4. ubi: *Si quis dixerit per Sa-
cram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſco-
pos dicere: Accipe Spiritum Sanctum.... anathema ſit*.

R. neg. min. nam definit quidem Tridentina Synodus *per Ordinatio-* 44
nem dari Spiritum Sanctum; at neutiquam definit illum dari per hæc
verba, *Accipe Spiritum Sanctum*. Ut autem non fruſtra dicantur verba
hæc, ſatis eſt ut exprimant rem certiſſimam, nimirum Sanctum Spiri-
tum dari in Ordinatione. Adde quod eadem verba ſuo modo ad infu-
ſionem S. Spiritus concurrant, nempe ob merita & fidem Eccleſiæ: ne-
que enim nullum eſt in ſacris quibuslibet functionibus meritum fidei.

Et vero, ſi verba hæc *Accipe Spiritum*, &c. juxta Tridentinum, gra- 45
tiam ex opere operato pariant, utique in omni Ordinatione, in qua
proferuntur, proinde in ipſa etiam Ordinatione Diaconi: cur enim
voces Concilii generaliter prolatæ, ad unum potius Ordinem, quam
ad alium pertinerent? Atqui tamen, fatente Goneto cit. diſp. 2. n. 50.
verba hæc in Ordinatione Diaconi gratiam non pariunt; *quia*, inquit,
nec admodum recte, *nullum per ea miniſterium Diaconi ſpeciali ſignifica-
tur; ſuntque generalia, & cuilibet Ordinationi poſſunt convenire*.

Obj. 6. verba hæc: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium*; hæc item, 46
Accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata, &c. tribuunt id quod

ſigni-

ſignificant. Atqui diſerte ſignificant conſecrandi & abſolvendi facultatem tunc temporis datam.

47 R. neg. maj. & min. utraque enim hæc formula adhibetur ab Eccleſia tamquam ſignum poteſtatis conceſſæ, non ut cauſſa ejuſdem poteſtatis efficiens; alioqui antequam adhiberetur, nullum fuiſſet in Eccleſia Latina Sacerdotium; neque nunc probabiliſſime foret apud Græcos, formulam hanc ignorantes; cum probabiliſſimum ſit, eamdem ſemper, quantum ad ſubſtantialia, fuiſſe Eccleſiæ utriuſque in Ordinationibus formam.

Utrum Oratio, quæ formam Ordinis Hierarchici conſtituit, ejuſdem Ordinis finem, ſeu Sacerdotium & Sacrificium exprimere debeat, quæſtio eſt tunc agitanda, cum ad Ordinationes Anglicanas devenerimus.

48 Conclusio III. Forma Subdiaconatus apud Græcos eſt Oratio manuum impoſitioni conjuncta, apud Latinos autem Oratio cum verbis, quæ inſtrumentorum porrectioni reſpondent.

49 Prob. 1. pars, quia apud Græcos tota Subdiaconorum Ordinatio fit per orationem impoſitioni manuum conjunctam. Ergo vel apud eos nulla eſt forma, vel hæc, ſi quæ ſit, in prædicta oratione conſtitui debet.

50 Prob. 2. pars, 1. quia oratio conjuncta verbis, quæ inſtrumentorum porrectionem comitantur, totum Subdiaconatus finem indicat. 2. Quia ſola hæc in antiquis Sacramentariis, Gelaſiano, Gregoriano, &c. comparet. 3. Quia Synodus Toletana VIII. Can. 9. *Id*, ait, *præcipimus obſervari, ut cum Subdiaconos ordinantur, cum vaſis miniſterii benedictio eis ab Epiſcopo detur, ſicut in quibuſdam Eccleſiis vetuſtas tradit.*

51 Non deſunt qui ex Canonis hujus contextu exiſtiment dubitari poſſe, annon olim alicubi Subdiaconatus per ſolam materiæ porrectionem ſine ulla forma traderetur. Nempe vero Subdiaconi, qui Decreto illi occaſionem dederunt, *non ſolum carnis immunditia ſordidari.... ſed etiam, quod dictu nefas eſt, novis uxoribus copulari* auſi erant; *aſſerentes hoc ideo ſibi licere, quia benedictionem a Pontifice ſe* neſciebant *percepiſſe*. Unde præcipit Synodus, ut nemo jam in Subdiaconum Ordinetur, niſi ei *cum vaſis benedictio ab Epiſcopo detur, ſicut in quibuſdam Eccleſiis*, (non dicit Concilium, *in omnibus*, quod ſane non omiſiſſet, ut potentius laſcivientes Subdiaconos inſectaretur) *vetuſtas tradit*.

52 Huic conjecturæ favet, 1. quod Concilium Carthag. IV. Can. 5. ubi Subdiaconi ordinandi ritum præſcribit, de quacumque forma omnino ſilet; 2. Quod Joannes Diaconus in Epiſt. ad Senarium: *Hic*, inquit, *apud nos eſt Ordo, ut accepto ſacratiſſimo calice,.... Subdiaconus jam dicatur*. Ubi etiam altum eſt de quibuslibet verbis ſilentium.

53 Vix tamen concipi poteſt factum aliquando eſſe, ut cuipiam Ordo ab elingui conferretur. Unde forte ſuppreſſa eſt a Concilio Carthaginenſi forma Subdiaconatus, quia is in Eccleſia Africana per benedictionem, Superiorum Ordinum more, non conferebatur. Alibi tamen tradebatur per *benedictionem*, ut patet ex Sacramentario S. Gregorii, ubi extat *benedictio Subdiaconi*. Cum autem ritum hunc non ſequerentur omnes Hiſpaniarum Eccleſiæ, contigit, ut qui benedictione hac donati non fuerant, crediderint ſe non plusquam antea ad continen-

tiam

tiam fuiſſe obſtrictos. Forte etiam non ab Epiſcopo, ſed a Chorepiſcopis ſimplicibus, vel ſine inſtrumentorum porrectione inſtituti erant. Unde jubet expreſſim Concilium neminem jam ordinari, niſi *cum vaſis miniſterii benedictio eis ab Epiſcopo detur*.

CONCLUSIO IV. Forma minorum Ordinum apud Latinos con- 54
ſiſtit in verbis quæ profert Epiſcopus, cum inſtrumenta cujuſque Ordinis porrigit; & oratione quæ verba hæc ſubſequitur. Vide ſupra pagin. 170.

Prob. In eo conſtituenda eſt Ordinum minorum forma, quod præ- 55
ſcribunt Ritualia univerſa, quod poteſtatem *Minoriſtis* collatam exprimit, quod in eos allicit gratiam ad Officia ſua digne & ut par eſt obeunda. Atqui tria hæc præſtant, tum verba inſtrumentorum traditioni annexa, tum & ſubſequens oratio.

Confirm. Vel minores Ordines ſunt Sacramenta; vel cum Subdia- 56
conatu quædam ſunt Diaconatus participatio; (uti ſapienter monet & probat Thomaſſinus part. 4. diſcipl. Eccleſ. Lib. 1. cap. 31. nu. 5. & 6. tum ex SS. Bonaventura & Thoma, quorum poſterior in 4. diſt. 24. qu. 2. art. 1. hæc habet: *In primitiva Eccleſia propter paucitatem Miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconis committebantur, ut patet per Dionyſium*, &c. *Nihilominus erant omnes prædictæ poteſtates, ſed implicite in una Diaconi poteſtate; ſed poſtea ampliatus eſt cultus divinus, & Eccleſia quod habebat implicite in uno Ordine, explicite tradidit diverſis*; tum ex Tridentino, quod, cum ſeſſ. 23. Can. 6. docet *Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam* conſtare *ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris*, per Miniſtros intelligere videtur, non Diaconos ſimpliciter ſumptos, ſed ſumptos prout in ſe continent plenitudinem ac veluti eſſentiam illius portionis Sacerdotii, quæ in inferiores Ordines diffunditur;) vel demum ſunt tam radicaliter, quam in ſe cæremonia pure Eccleſiaſtica. Atqui quæcumque pars eligatur, horumce Ordinum forma multo melius in ipſa etiam oratione conſtituitur, quam in ſolis verbis quæ porrectioni inſtrumentorum reſpondent. Quia Chriſtus, ſi Minores Ordines formaliter, aut ſaltem radicaliter in Diaconatu inſtituerit, præſumi poteſt iis aſſignaſſe formam a ceterorum Ordinum forma non abſimilem: hæc autem ex dictis probabilius in oratione conſiſtit. Si vero eoſdem inſtituerit Eccleſia, debuit hæc utique præſcriptos a Chriſto pro aliis Ordinibus ritus æmulari, & e veſtigio premere. Ergo.

Immo, ſi inter verba deprecativa & imperativa eligendum foret, 57
tatius utcumque videretur deprecativa imperativis præferre. Semper quippe in id enitendum eſt, ut, quantum fieri licet Occidentalis Eccleſia cohæreat cum Orientali. Atqui Orientalis Eccleſia Lectoratum tradit per orationem impoſitioni manuum conjunctam. Ergo, ſi nihil obſit ut in præſens nihil obeſt, Lectoratus, & ex conſequenti aliorum minorum Ordinum forma in oratione non immerito conſtituitur.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Miniſtro Ordinis.

UT in materia plures in ramuſculos ſecta, methodice progrediamur, agemus 1. de Miniſtro Epiſcopatus; 2. de Miniſtro Presbyteratus & Diaconatus, qui Ordines iiſdem & difficultatibus ſubjacent, & principiis reguntur; 3. de Miniſtro Subdiaconatus, & inferiorum Ordinum.

1 Ante vero quam penitius quæſtionem ingrediamur, revocandum eſt in mentem, quod alibi paſſim, præcipue autem in Tract. de Confirmatione dictum eſt, nempe Miniſtrum Sacramenti alium eſſe *Ordinarium*, qui ex caractere ſuo habet integram Sacramenti valide conferendi poteſtatem; licet hæc ejus poteſtas aliquando ſuperiori auctoritate coarctari poſſit, ut in ipſo etiam Epiſcopo reſpectu Pœnitentiæ reſtringi poteſt; alium *extraordinarium*, qui virtute Ordinis ſui aliquam habet Sacramenti conferendi poteſtatem, ſed ea vel licite, vel etiam valide uti non poteſt, niſi ſuper adjecta ſuperioris auctoritatis deputatione. Sit jam

ARTICULUS PRIMUS

De Miniſtro Epiſcopatus.

2 JOannes Wiclefus varios inter errores hunc evomuit, videlicet *Confirmationem juvenum, Clericorum Ordinationem, locorum conſecrationem reſervari Papæ & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis*; quod commentum a Conſtantienſi Synodo proſcriptum eſt, ſeſſ. 8.

3 An eidem errori adhæſerit Calvinus incertum videri poſſit. Sic enim Paſtorum ſortem aliquando toti plebi adſcribit, ut tamen Lib. 4. Inſtit. cap. 3. §. 16. *non univerſam multitudinem manus impoſuiſſe ſuis Miniſtris, ſed ſolos Paſtores* ſponte confiteatur. Quamquam, ſi quid ex ambigua ejus locutione decerpi poteſt, hanc manuum impoſitionem uti conſuetudine potius introductam, quam ex lege neceſſariam admittere videtur. Sic enim paullo antea ſcribit: *Licet nullum extet certum præceptum de manuum impoſitione, quia tamen fuiſſe in perpetuo uſu Apoſtolis videmus, illa tam accurata eorum obſervatio præcepti vice eſſe debet*. Verum hæc pluribus indagare ſuperfluum fuerit. Quæ enim Paſtoris effigies in Calvino, quæ manuum impoſitio ex parte hominis, qui in Eccleſia Catholica ne Subdiaconatu quidem inſignitus erat. His ergo neglectis, duo expendenda veniunt, 1. An ſolus Epiſcopus Epiſcopalis Ordinationis Miniſter ſit; 2. an ad eam neceſſario concurrere debeant plures Epiſcopi.

4 Circa primum caput nulla eſt Orthodoxos inter diſſenſio: verum de ſecundo non modice, licet pacifice, diſputant. Tres aut ad minus duos Epiſcopos ad novi Epiſcopi conſecrationem eſſentialiter requiri docent Cajetanus 3. p. qu. 67. art. 6. Bellarminus Tract. de notis Eccleſiæ, cap. 8. Vaſquez in 3. part. diſp. 243. cap. 6. num. 63. Iſaac

Ha-

Habertus obſervat. 2. in conſecrationem Epiſcopi, pag. 80. & ſeq. & alii quorum ſententia Tournelyo hic pag. 186. probabilior videtur. Cenſent tamen vulgo iidem Auctores valere Ordinationem ab uno Epiſcopo factam ex prævia Pontificis diſpenſatione. Contra vero ad inaugurationem Epiſcopi ſatis eſſe Epiſcopum illum, qui Conſecrator appellatur; alios autem, qui dicuntur Aſſiſtentes, ad ſollemnitatem tantum, & ex lege mere Eccleſiaſtica requiri exiſtimant Paludanus Lib. de poteſtate Papæ, Sylveſter v. *Conſecratio*, Hallerius Lib. de ſacris electionib. ſect. 5. cap. 2. art. 2. a pag. 582. ad 599. Witaſſius part. 2. quæſt. 1. art. 4. pag 251. Ludov. Habertus pag. 1. cap. 8. quæſt. 3. &c. Sit

CONCLUSIO I. Epiſcopus eſt ſolus Epiſcopatus Miniſter. 5

Prob. 1. Ut Epiſcopus ſit ſolus Miniſter Epiſcopatus, duo ſufficiunt, 6
1. ut Epiſcopatus ſit indubie Ordo Hierarchicus, 2. ut Epiſcopus ſolus ſit Ordinis Hierarchici Miniſter. Atqui utrumque conſtat.

Et quidem 1. Epiſcopatus eſt Ordo Hierarchicus, Quod ſit Ordo, 7
conſtat ex dictis cap. 3. potiſſime num. 134. & ſeq. Quod autem ſit Ordo Hierarchicus, immo primum in Hierarchia ſacra gradum obtinens, liquebit ex dicendis in ſecunda hujuſce Tractatus parte.

2. Epiſcopus ſolus eſt Hierarchici Ordinis Miniſter. Sic enim, ut 8
præcipuas Apoſtolici ævi Ordinationes breviter decurram, ſic Apoſtoli Diaconos ordinarunt, Act. 67. Sic iidem per ſingulas Eccleſias Presbyteros conſtituerunt, Act. 14. 22. Sic Paulus Timotheo manus impoſuit, I. Timoth. 4. 14. & II. ad eumdem 1. 6. Sic idem Timotheus, quo ritu inauguratus fuerat, alios conſecrare juſſus eſt, ibid. cap. 5. v. 22. Atque hæc conſtans fuit jam ab initio doctrina Eccleſiæ. Unde id ubique receptum Libri III. Conſtitut. Apoſtol. cap. 11. *Poteſtatem non damus nomine Apoſtolorum Presbyteris Ordinandi Diaconos.... vel Lectores, vel Miniſtros,.... ſed ſolis Epiſcopis*. Porro ſi Presbyteris ne Diaconos quidem ordinare conceſſum erat, quanto minus vel Presbyteros alios, vel his ſuperiores Epiſcopos ordinare potuiſſent?

Idem vel in terminis, vel a fortiori docent ceteri Patres. *Epiſco-* 9
pus, ait Canon primus ex iis qui Apoſtolici dicuntur, *a duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur: Presbyter ab uno Epiſcopo: item Diaconus & reliqui Clerici*.

S. Cornelius Papa in Epiſt. ad Fabium Antiochenum, quam re- 10
fert Euſebius Lib. 6. Hiſt. cap. 43. ſcribit Novatianum Hæreſiarcham, cum Romanum Epiſcopatum ambiret, tres ex Italia Epiſcopos, homines plane rudes, acciviſſe, quos vino oppreſſos & crapula, ſibi per vim manus in Epiſcopatum imponere coegit. Ut quid porro tantus labor in accerſendis procul Epiſcopis, & extorquenda ab eis manuum impoſitione, niſi quia ipſis etiam hæreticis perſuaſum erat, Epiſcopum niſi ab Epiſcopis conſecrari non poſſe.

Alexandrina Synodus, quæ an. 339. ex tota Ægypto, Lybia; The- 11
baide, & Pentapoli coacta eſt, in Epiſtola, quæ cum in re graviſſima *omnibus ubique Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis* inſcripta foret, verba ſua ad amuſſim ponderare debuit, probat Iſchyram numquam fuiſſe Presbyterum,

Tom. 2. Conc. p. 550. A. rum, quia a Colutho ordinatus erat: hunc vero *Coluthum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum impoſitionem reſciſſam, omneſque ab eo conſtitutos in laicorum Ordinem redactos eſſe.... apud omnes* conſtabat. Idem argumentum pari efficacia urgent Clerici Mareotæ apud Athanaſium, in Apologia contra Arianos Tom. I. pag. 616. Ergo toto in Orbe receptum erat Presbyterum a Presbytero conſecrari non poſſe. Atqui ſi ne Presbyter quidem, a fortiori nec Epiſcopus. Quod & mage magiſque ex dicendis confirmabitur.

22 Nec eſt quod reponas cum Blondello in *Apologia S. Hieronymi*, Iſchyram, cum a Presbyteratu depoſitus fuerit, reipſa pro Presbytero habitum fuiſſe. Neque enim a vero Presbyteratu dejectus eſt Iſchyras, ſed a falſo, quo inſolenter gloriabatur, Presbyteratus phantaſmate, ſeu *a falſa quoque Presbyteratus ſuſpicione*, prout loquuntur iidem Mareotæ Sacerdotes apud Athanaſium in eadem Apologia 1. Tom. 1. pag. 191. num. 74. Vide Diſſertationem quintam ex iis quæ Dugueto tribuuntur, Tom. 1. pag. 86.

23 Obj. 1. Timotheus in Epiſcopum conſecratus eſt *cum impoſitione manuum Presbyterii*, 1. ad Timoth. 4. v. 4. Ergo Presbyteri Epiſcopum conſecrare poſſunt.

24 R. nego conſeq. Siquidem Timotheus a S. Paulo principaliter conſecratus eſt, juxta id 11. ad eumdem Timotheum Epiſtolæ cap. 1. v. 6. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Jam vero Paulum fuiſſe Epiſcopum nemo ambigit, niſi qui Epiſcopatum omnem negat. Quia tamen Paulo Timotheum conſecranti adfuerunt Epiſcopi alii pro more in Eccleſia communi, hinc idem Timotheus *cum impoſitione manuum Presbyterii* conſecratus fuiſſe merito dicitur. Epiſcopi enim non raro ſeniores, ſeu Presbyteri in Scriptura nominantur, ut cap 2. n. 90. vidimus, & ideo Presbyterium, de quo hic loquitur Apoſtolus, de Epiſcoporum cœtu interpretantur Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophilactus, & cœteri. Et vero cur tam inviolata lege vel ab Eccleſiæ primordiis ſancitum eſſet, ut Presbyter ne quidem Presbyterum ordinaret, ſi vidente & approbante Paulo Presbyter Epiſcopum conſecrare potuiſſet?

25 Obj. 2. vetus Sacerdotium figura fuit novi Sacerdotii. Atqui in veteri Sacerdotio Aaron ordinatus eſt in Sacerdotem a Moyſe, qui Sacerdos non erat.

26 R. vetus Sacerdotium novi quidem figuram extitiſſe, ſed admodum imperfectam; ideoque a veteri Sacerdotio nihil inferri poſſe ad novum, quod ut ſumme perfectius plura requirit. Quamquam non immerito exiſtimat S. Leo Epiſt. 88. (Tom. 2. pag. 633.) Moyſen ipſum a Deo conſtitutum fuiſſe Sacerdotem, ſecundum id Pſalmi 98. v. 6. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus*; ſic tamen ut non a Moyſe, ſed a ſolo Aaron Sacerdotium in poſteros ejus transfundi deberet. Et vero Moyſes Sacerdotalia munia obiit Exodi 24. v. 6. 29. v. 24. Levit. 8. v. 6. &c.

27 Ob 3. qui poteſt plus, poteſt & minus. Atqui ſimplex Presbyter poteſt Euchariſtiam conſecrare, quod longe plus eſt quam conferre Ordines.

R. ut

R. ut jam pluries, diſt. qui poteſt plus poteſt & minus in rebus 18
ſubordinatis & ejuſdem ſpeciei; Eſto, neque enim in rebus quæ a libera Dei voluntate pendent, argumentandum eſt a majori ad minus. Qui poteſt plus in materie omnino diſparata, qualis eſt conſecratio Euchariſtiæ & Ordinatio, N. Sane plus eſt hominem e gentili facere Chriſtianum per Baptiſma, quam hominem e Chriſtiano facere Oſtiarium aut Lectorem. Et tamen primum in caſu neceſſitatis poteſt etiam mulier, quæ ne Tonſuram quidem conferre poteſt.

Inſt. poteſt quis in Ordinationis negotio, id quod primitus potuiſſe 19
probatur. Atqui certis exemplis probatur ſimplices Presbyteros, tum Presbyteros alios, tum & Epiſcopos ordinaſſe. Quod Presbyteros ordinaverint, liquet ex facto Abbatis Paphnutii, qui teſte Caſſiano Collat. 4. cap. 1. Danielem, diſcipulum ſuum, Diaconum primo, deinde Presbyterum inſtituit. Quod autem Epiſcopos creaverint, conſtat ex S. Gregorio Turonenſi Lib. 10. Hiſt. cap. 31. ubi refert Clerum Turonenſem, ejecto S. Brixio, Juſtinianum ſibi præfixiſſe Antiſtitem. Idem diu ante, ſub Ariani Valentis perſecutione præſtiterant Clerici, præcipue vero Flavianus & Diodorus Presbyteri, qui amandatis in exilium paſtoribus ſuis, puta Euſebio Samoſatenſi, Meletio & aliis, Paſtores alios ſubſtituebant; quos quidem conſecrabant ipſi, non autem per Epiſcopos Catholicos, qui procul exulantes Ordinationi eorum præeſſe non poterant.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dico, nec Paphnutium, de quo art. ſeq. 20
nec Turonenſes Clericos, alioſve qui in objectione recenſiti ſunt, aut recenſeri potuiſſent, ullos per ſe, ſeu Presbyteros, ſeu Antiſtites, ordinaſſe; ſed per Epiſcopos, qui quos ſibi Clerus elegerat, ſolito ritu conſecrabant. Iidem tamen Clerici hunc vel illum ſibi conſtituiſſe Epiſcopum dicebantur; quomodo Rex Chriſtianiſſimus hunc vel illum Epiſcopum effeciſſe dicitur; & qui etiam Laicus ad Parochialem Eccleſiam nominat, Paſtorem illi conſtituiſſe, trito ſermone perhibetur: & tamen qui ſic nominati ſunt nullum Ordinis miniſterium exercere valent, niſi ante fuerint conſecrati.

Quod autem res ita ſe habuerint, patet ex Theodoreto, qui Lib. 4. 21
Hiſt. c. 12. de ipſo Euſebio Samoſatenſi ſic loquitur: *Cum multas Eccleſias Paſtoribus privatas eſſe comperiret, militarem habitum ſumens, & tiara capiti impoſita, Syriam, Phœnicem ac Paleſtinam peragravit, Presbyteros Ordinans, ac Diaconos, alioſque Ordines Eccleſiæ ſupplens.*

Conclusio II. Antiqua lege præſcriptum eſt, ut Epiſcopus nemo, 22
niſi a tribus, vel ut minimum a duobus Epiſcopis conſecretur. Valet tamen ex prævia Pontificis Romani diſpenſatione conſecratio ab uno Epiſcopo facta: immo & probabilius valet ſine eadem diſpenſatione. Tres ſunt partes.

Prob. 1. pars, 1. ex Facto S. Pauli, qui Timotheum non ſolus, ſed 23
cum impoſitionem manuum Presbyterii, ſeu cœtus Epiſcoporum, ordinavit, uti in hunc locum docent Chryſoſtomus & alii. Idem in Ordinatione S. Jacobi obſervatum eſt: hunc enim *ordinatum fuiſſe Hieroſolymorum Epiſcopum a Petro, Jacobo Seniore, & Joanne*, refert ex Clemente Alexand. Lib. 6. Inſtitutionum, Theodoretus Lib. 2. Hiſtor. c. 1. Porro

formam ab utroque Apoſtolo datam inſtar legis habuit tota retro antiquitas. Unde

24 Prob. 2. ex Canone 1. inter Apoſtolicos (Tom. 1. Conc. p. 26.) ubi ſic : *Epiſcopus a duobus vel tribus Epiſcopis conſecretur.*

25 Idem præſcribunt Conſtitutiones S. Clementi affictæ, Lib. 3. cap. 20. (ibid. p. 325.) *Jubemus*, inquiunt, *ut a tribus Epiſcopis Epiſcopus ordinetur, &, ut minimum a duobus, ita ut ab uno conſtitui non poſſit : Teſtimonium enim duorum & trium firmius eſt & certum.*

26 His concinunt potiſſima priorum ſæculorum Concilia. Arelatenſe I. an. 314. Can. 20. (ibid. p. 1425.) *De his qui uſurpant ſibi, quod ſoli debeant Epiſcopos ordinare, placuit ut nullus hoc ſibi præſumat, niſi aſſumptis ſecum aliis ſeptem Epiſcopis ; ſi tamen non potuerit ſeptem, infra tres non audeat ordinare.*

27 Nicœnum I. an. 325. Can. 2. (Tom. 2. Concil. pag. 40.) *Epiſcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in Provincia, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem ; tribus tamen omnimodis in idipſum convenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc Ordinatio celebretur.*

28 Idem decretum renovant Concilia, Antiochenum an. 341. Can. 19. Sardicenſe an. 347. Can. 5. Carthaginenſe II. an. 397. Can. 12. Carthaginenſe III. an. 397. Can. 39. (Tom. 2. Concil. p. 1172.) ubi Patres per Aurelium ſic ſtatuerunt : *Forma antiqua ſervabitur, ut non minus quam tres ſufficiant, qui fuerint deſtinati ad Epiſcopum ordinandum.* Jam vero ex his omnibus aperte ſequitur plures ad Epiſcopi unius inaugurationem concurrere debere Epiſcopos ; horumce vero numerum, etſi major aliquando, aliquando minor præſcriptus eſt, numquam trium, vel ad minus duorum numero inferiorem præſcriptum eſſe.

29 Prob. 2. pars : Ut certo valere judicetur Ordinatio Epiſcopi ab uno tantum Epiſcopo facta ex S. Pontificis diſpenſatione, duo ſufficiunt, 1. ut hujuſmodi diſpenſationes non raro conceſſerit Sedes Apoſtolica ; 2. ut eædem legitime conceſſæ merito judicentur. Atqui utrumque certum videtur.

30 Et quidem hujuſmodi diſpenſationes non raro ab Apoſtolica Sede conceſſas fuiſſe liquet ex certis monumentis. 1. Enim Sanctus Gregorius Magnus Lib. II. Epiſt. 64. (Tom. 2. pag. 1155.) ad octavam Auguſtini interrogationem, quæ ſic erat : *Peto ſi longinquitas itineris magna interjacet, ut Epiſcopi facile non poſſint convenire, an debeat ſine aliorum Epiſcoporum præſentia Epiſcopus ordinari*, ſic reſpondet : *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter niſi ſine Epiſcopis potes.* Ubi vel Gregorius diſpenſat ut Epiſcopus quis ab uno conſecretur ; vel, uti volunt plures, ſupponit ex natura rei valere, quin & licitam eſſe in caſu neceſſitatis conſecrationem ab uno factam ; de quo infra.

31 2. Henriquez Tom. I. Lib. 10. cap. 24. & alii, referunt Gregorium XIII. Æthiopum Patriarchæ, qui erat e Societate Jeſu, conceſſiſſe ut ſolus Ediſcopos conſecraret.

32 3. Herinx, apud P. Henno Tom. VIII. p. 411. teſtatur vidiſſe ſe & re-

retinuiſſe Tranſumpta duo Innocentii X. quorum uno permittebat ut Jacobus de la Torre in Archiepiſcopum Alexandrinum conſecraretur a ſolo Epiſcopo Neritenſi, poſtea Alexandro VII. altero autem indulgebat, ut Leodienſis ſuffraganeus in Epiſcopum Dionyſienſem a quolibet Catholico Antiſtite conſtitueretur, *modo concurrerent Abbates duo mitrati*.

4. Ex Salmanticenſibus hic cap. 4. Alexander de Canapo, de licentia Alexandri VII. in Epiſcopum Magarenſem conſecratus eſt ab uno ſolum Carmelita Epiſcopo, cui adſtitere Luſitani duo Presbyteri. Ergo ſtat in primis hujuſmodi diſpenſationes a Sede Romana pluries conceſſas fuiſſe. 33

Quod autem merito conceſſæ ſint, probat tum prudens Sedis illius ſagacitas, quæ in rebus tanti momenti lento admodum gradu procedit; Deumque & eruditos ante conſulit, quam definiat; tum quia ne ipſi quidem Sedis illius obtrectatores adverſus diſpenſationes illas uſquam inſurrexerunt; tum quia longe probabilius eſt humano ſolum, non autem divino jure, tres ad Epiſcopi unius conſecrationem Epiſcopos requiri. Quapropter 34

Prob. 3. pars, 1. ex Conſtitutionibus vulgo Apoſtolicis Lib. 8. cap. 27. (Tom. 1. Concil. p. 493.) *Epiſcopus debet ordinari a duobus aut tribus Epiſcopis. Sin vero aliquis ab uno Epiſcopo ordinatus fuerit, tum is qui ordinatus eſt, tum is qui eum ordinavit, deponatur. Quod ſi neceſſitas coegerit ab uno ordinari, quod propter perſecutionem, aut aliam cauſſam, plures adeſse non poſſint, afferatur decretum commiſſionis plurium Epiſcoporum*. Atqui ex eo textu, qui Orientalis Eccleſiæ diſciplinam exhibet, liquido conſtat, 1. Epiſcopum quocumque in caſu a duobus tantum Epiſcopis ordinari potuiſſe; quod & confirmat Canon Apoſtolicus ſupra nu. 24. 2. Eumdem in caſu neceſſitatis ab uno ſolum potuiſſe ordinari, non valide tantum, ſed & licite, modo interveniret decretum commiſſionis plurium Epiſcoporum. 35

Reponit 1. Tournelyus pag. 202 textum hunc nec Clementis eſſe, quod lubenter fatemur; nec ævi illius morem ſapere, quod gratis dici evincent argumenta ſequentia. 36

Reponit 2. Gonet. pag. 513. textum eumdem eſſe corruptum: cum ſaltem ex Eccleſiæ lege tres requirantur Epiſcopi ad unius inſtitutionem; & tamen ex eo textu duo ſufficiant. Verum ſolutio hæc per ſe corruit; cum varia hoc de puncto variis in Eccleſiis fuerit diſciplina; licet ea ſemper fuerit communior, quæ tres Epiſcopos requirit. 37

Prob. 2. ex citata jam (ſupra n. 30.) Gregorii M. ad octavam Auguſtini interrogationem reſponſione, quæ tota ſic habet: *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter niſi ſine Epiſcopis potes. Nam quando de Galliis Epiſcopi venient, illi in Ordinationem Epiſcopi teſtes tibi aſſiſtent. Sed Fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Epiſcopos Ordinare, ut ipſi ſibi Epiſcopi longo intervallo minime disjungantur, quatenus nulla ſit neceſſitas, ut in Ordinatione alicujus Epiſcopi convenire non poſſint. Paſtorum quoque aliquorum præſentia valde eſt utilis ut facillime debeant convenire*. (Seu ut legebat Beda, cui conſentit Turonenſis codex: *ut in Ordinatione Epiſcopi Pa-* 38

ſtores quoque alii quorum præſentia valde eſt utilis, facile debeant conveni-re.) Cum igitur, Deo auctore, ita fuerint Epiſcopi etiam in propinquis ſibi locis ordinati, per omnia Epiſcoporum Ordinatio ſine aggregatis tribus vel quatuor Epiſcopis fieri non debet. Nam in ipſis rebus ſpiritualibus, ut ſapienter & mature diſponantur, exemplum trahere a rebus etiam carnalibus poſſumus. Certe enim dum conjugia in mundo celebrantur, conjugati quique convocantur, ut qui in via jam conjugii præceſſerunt, in ſubſequenti quoque gaudia miſceantur. Cur non ergo & in hac ſpirituali Ordinatione, qua per ſacrum myſterium homo Deo conjungitur, tales conveniant, qui vel in profectu Ordinati Epiſcopi gaudeant, vel pro ejus cuſtodia omnipotenti Deo preces fundant.

39 Reponunt Gonet ibid. & Tourneſy pag. 201. favere ſibi genuinam hujuſce textus lectionem quæ ſic habet: *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter niſi cum Epiſcopis potes. Nam quando de Galliis*, &c.

40 Verum reſponſio hæc tolerari non poteſt, nedum admitti. 1. Quia ridiculum plane ſenſum efficiunt verba hæc, *Tu, qui ſolus es in Anglia Epiſcopus, nonniſi cum aliis Epiſcopis Ordinare Epiſcopum potes*. Utique dicendum erat: *Tu quoniam ſolus es, neminem Ordinare Epiſcopum potes*. 2. Quia nobiſcum legit Beda, a quo primum Epiſtolam hanc accepimus. 3. Quia conſentiunt antiquæ editiones; Veneta an. 1504. Pariſienſis 1508. & 1518. ut & recentiores. 3. Quia concinunt melioris notæ Codices, Carnot. Bigot. Remigio-Remenſis, Vaticanus, & alii, ut videre eſt apud nuperos Gregorii Editores, Nota 1. Ergo ſtat tota ſua textui noſtro integritas. Hinc autem ſic arguo. Quod ex inſtitutione divina neceſſarium eſt ad valorem Ordinationis, nullo in caſu poteſt omitti. Atqui ex S. Gregorio plurium Epiſcoporum concurſus in Epiſcopali Ordinatione omitti poteſt, quando deſunt iidem Epiſcopi. Ergo.

41 Confirm. Si plures Epiſcopi ad Epiſcopi alterius conſecrationem eſſentialiter requiruntur, indubie requiruntur ut Miniſtri. Atqui ex S. Gregorio unus eſt tantum Epiſcopus qui ſe ſe habeat ut Miniſter, non item alii qui eidem aſſiſtunt. Qui enim ſolum teſtes ſunt; qui ſe habent ad Ordinationem novi Epiſcopi, ut conjugati ſe habent ad nova matrimonia quibus interſunt; qui non neceſſariam, ſed utilem duntaxat præſentiam ſpirituali novi Præſulis conjugio exhibent, quatenus *pro* ejuſdem *cuſtodia omnipotenti Deo preces fundunt*; ii profecto non ſunt Ordinationis Miniſtri. Atqui ex S. Gregorio, Epiſcopi Epiſcopo conſecranti aſſiſtentes, meri ſunt *teſtes*, quorum præſentia utilis quidem eſt, ſed, abſolute loquendo, non magis neceſſaria, quam conjugatorum, qui ad nuptias vocantur. Ergo.

42 Reponunt alii Auguſtino licitum fuiſſe ſoli Epiſcopos ordinare, ex diſpenſatione S. Gregorii. Verum & hæc quoque reſponſio caduca eſt; 1. quia nihil eſt in Auguſtini & Gregorii textu, quod diſpenſationem vel petitam, vel conceſſam ſonet. Id unum inquirit Auguſtinus, *an, ſi* propter longinquitatem itineris, *Epiſcopi facile non poſſint convenire, debeat ſine aliorum Epiſcoporum præſentia Epiſcopus Ordinari*. Reſpondet porro Gregorius in hoc caſu non requiri plures Epiſcopos; curandum tamen

ut

ut deinceps habeantur in vicinia, qui convenire facile poſſint; quia plurium *Paſtorum præſentia valde eſt utilis*. Ubi hic vel umbra indulgentiæ, ſeu diſpenſationis; 2. quia non is erat Gregorius qui in puncto ad eſſentiam Sacramenti pertinente diſpenſaret, ſine certa diſpenſandi facultate. Atqui Gregorius, neque ex Scriptura, neque ex antiquiori Traditione, neque ex Sedis ſuæ continua praxi, certam ſibi aſſerere poterat facultatem diſpenſandi, ut ritus a Chriſto tamquam eſſentialis inſtitutus, prout adverſariis placet, omitteretur; præſertim in caſu non adeo urgenti; cum uti indicat ipſe S. Pontifex, abſolute poſt aliquod tempus haberi potuiſſent Epiſcopi ex Galliis. Ergo.

Probant 3 nonnulli variis exemplis, quæ ſcrutari non pigebit. Primum ſuppeditat Theodoretus Lib. 5. Hiſt. cap. 23. (edit. Valeſ. Græco-Lat. pag. 230.) ubi referens diſſidium Orientales inter & Occidentales exortum occaſione Paulini, qui Evagrium *ſolus elegerat*, *multos Canones tranſgreſſus*: *Hi enim neque morienti Epiſcopo permittunt ut ſuo loco quemquam conſtituat; &c.... præterea abſque tribus Epiſcopis Ordinationem cujuſquam Epiſcopi fieri vetant*; ſic proſequitur: *Illi tamen*, Romani nimirum & Ægyptii, *cum nihil iſtorum conſiderare voluiſſent*, *Evagrii communionem amplexi ſunt*. Atqui amplexi non fuiſſent communionem Epiſcopi nullomodo Ordinati. Ergo valida, licet ceteroqui illicita, judicabatur Ordinatio Epiſcopi ab uno ſolum Epiſcopo facta. Atque hinc Theodoſius, cum Romæ ageret in gratiam Flaviani contra Evagrium, tantum cauſſatus eſt hunc *non legitime ordinatum eſſe* (ibid. pag. 231.) poteſt autem quis illegitime ſimul & validiſſime ordinari. 43

At Theodoretum partibus Flaviani addictum, vel decepiſſe, vel deceptum fuiſſe in eo quod Evagrii perſonam ſpectat, non immerito credit Baronius ad an. Chriſti 389. nu. 64. Siquidem Socrates Lib. 5. Hiſt. cap. 5. (edit. Valeſ. Græco-Lat. pag. 273.) hæc ſcribit: *Poſt mortem Paulini*, *populus qui eum ſequebatur*, *Flaviano parere detrectavit*; *eamque ob cauſſam Evagrium ſuæ partis Epiſcopum ordinandum curavit*. Quibus concinit Sozomenus Lib. 7. c. 15. (ibid. pag. 723.) his verbis: *Per idem tempus mortuo Antiochiæ Paulino... Flavianum averſari perſeveraverunt.... Et Evagrinus eorum eſt Epiſcopus Ordinatus*. Ergo non a Paulino, uti Theodoretus ſatis aperte dicit, ſed poſt mortem Paulini, ad populi votum, ordinatus eſt Evagrius. Etſi autem tunc temporis ab uno ſolum ordinari potuit, ut ſcribit Theodoretus; potuit quoque a pluribus ordinari; & ita factum eſſe, vel ex ipſo Socratis & Sozomeni ſilentio non inepte conjicitur: neuter enim vitioſam illam Ordinationis formam prætermiſiſſet. Non ergo hinc natum Orientales inter & Occidentales ſchiſma, quod Evagrius ab uno conſecratus eſſet; ſed quod Orientales unum legitimum agnoſcerent Epiſcopum Antiochenſem Flavianum, magni Meletii ſucceſſorem; Occidentales vero Paulinum, & qui eidem ſucceſſerat, Evagrium. 44

Addit Tournelyus pag. 200. Ordinationem Evagrii, ſi ab Occidentalibus atque Ægyptiis approbata ſit, ideo approbatam fuiſſe, quia rei ſeriem plane ignorarent, ſecundum id S. Baſilii Epiſt. 349. ad Terentium Comitem: *Illi*, Occidentales, *penitus ignorant noſtrarum rerum conditionem*; *& illi qui videri volunt cognoſcere*, *contentioſe* ma- 45

magis, quam vere referunt. Verum etſi fieri potuit ut Occidentales per aliquod tempus rem totam non cognoverint; vix potuit fieri ut mutuis partium relationibus eruditi, per diuturnum longi ſchiſmatis tempus, centies non audierint Evagrium contra Canones ab uno dumtaxat Epiſcopo fuiſſe ordinatum; quod nec Ægyptios multo viciniores latere potuit. Ergo qui contra nos ſentiunt, primæ ſolutioni adhærere debent.

46 Secundum exemplum offert Concilium Regenſe ann. 439. (Tom. 3. Concil. pag. 1285.) in quo Armentarii in Ebredunenſem Epiſcopum Can. 2. conſecratio declarata eſt *irrita*, & *nihil* habens *quod Epiſcopum faceret*, quia facta erat *prætermiſſa trium præſentia*, *nec expetitis Comprovincialium litteris*, *Metropolitani quoque voluntate neglecta*. Atqui tamen Armentarium hunc uti valide conſecratum habuit eadem Synodus Regenſis; P. 1287. B. C. cum ei Can. 3. permiſerit *Epiſcopalibus Officiis* fungi *in Eccleſia* ſibi a quopiam miſericorditer conceſſa, *Neophytos confirmare*, *& ante Presbyteros offerre*. Quin & Can. 4. ratæ haberi videntur Ordinationes ab eo factæ; cum Ordinati ab ipſo, *aut in Eccleſiæ ſuæ miniſterio* a novo Ebredunenſi Epiſcopo teneri poſſint; *aut ad ipſum*, Armentarium, *quacumque habitaſſet*, transferri præcipiantur.

47 Hæc probatio invicta eſt adverſus eos, qui ad Epiſcopi unius conſecrationem Epiſcopos tres requirunt. Quod enim reponunt aliqui Armentarium ex diſpenſatione Pontificis Neophytos confirmaſſe; & ab eo Ordinatos novam recepiſſe conſecrationem, pro utraque parte falſum eſt. Pro prima, quia in totis Concilii actis ne unus quidem eſt apex, qui Pontificiam diſpenſationem exprimat: nec veri eſt ſimile Epiſcopos favorem hunc apud Apoſtolicam Sedem ſollicitaſſe in gratiam ſimplicis Presbyteri, qui Canones temere violaverat. Pro ſecunda autem, uti ex Canone quarto, licet nonnihil obſcuro, conſtat.

48 Nec obeſt quod Ordinatio Armentarii *irrita* dicatur. Neque enim id ſolum ſacri Canones irritum dicunt, quod invalidum eſt quoad ſubſtantiam; ſed & illud etiam, quod nullum aut pene nullum quoad Officia & honores effectum habet. Et vero quo jure irrita dicetur Armentarii Ordinatio, quia *a duobus* ſolum Epiſcopis facta eſſet; eodem irrita dicetur, quia facta erat *abſque Comprovincialium litteris*, *& ſine Metropolitani auctoritate*: Ex his enim univerſis capitibus Ordinationis Armentarii defectum arguunt Patres Regenſes. Atqui ne ipſi etiam adverſarii litteras Comprovincilium, & Metropolitæ auctoritatem ad Epiſcopalis conſecrationis eſſentiam pertinere opinantur. Ergo.

49 Ceterum probatio hæc iis non nocet, qui cum Tournelyo duos ad alterius conſecrationem Epiſcopos requirunt; niſi quatenus vocem *irrita*, eodem quo nos ſenſu, id eſt de Officio, non de ſubſtantia exponere coacti, ſolutionem nobis contra eos quos objiciunt Canones, ſuppeditant, ut ſtatim liquebit.

50 Tertio Ordinationis ab uno Epiſcopo factæ exemplum refert Syne- P. 210. A. ſius Epiſt. 67. ad Theophylum; ubi narrat Siderium a Solo Phylone Cyrenenſi; *Palebiſcæ Epiſcopum creatum*, *contra omnia jura*, adeoque citra ullam Pontificis vel Eccleſiæ diſpenſationem. Atqui tamen Ordinatio Siderii a S. Athanaſio rata & valida judicata eſt. Ibidem enim

ſcri-

ſcribit Syneſius, *formidoloſis temporibus ſummum jus*, ſeu Canonum rigorem *prætermitti oportere; ideoque magnum Athanaſium tempori id dediſſe, ac non multo poſt, cum exiguam adhuc Orthodoxæ fidei ſcintillam, quæ in Ptolemaide erat, fovere ac magis magiſque accendere oporteret, hominem illum*, Siderium, *majoribus regendis idoneum, eo commigrare juſſiſſe, ut Metropolitanam Eccleſiam gubernaret*. Ergo quamvis minime Canonica eſſet, rata tamen habebatur Ordinatio Epiſcopi ab uno ſolum Epiſcopo facta.

Reponit Tournelyus pag. 462. vel poſtmodo correctum fuiſſe quod in Ordinatione Siderii defuerat; vel exiſtimaſſe Athanaſium in illo urgentiſſimæ utilitatis Eccleſiæ caſu, poſſe ab uno aliquem in Epiſcopum conſecrari, ſupplente Deo quod ex parte hominum defuerit. 51

Verum ſolutio hæc, pro priori parte improbabilis eſt; neque enim vel rem tanti momenti, qualis eſt iterata viri celeberrimi Ordinatio, prætermiſiſſet Syneſius; vel adeo mirum fuiſſet, quod quis denuo conſecratus, regendæ Ptolemaidi ab Athanaſio præfectus eſſet. Pro poſteriori vero parte habet nonnihil abſurdi. Certe non is erat Athanaſius, qui ex fiducia miraculi pluſquam incerti Epiſcopale Officium ſimplici Presbytero committeret. 52

In quartum exemplum eſſe poſſit recepta olim apud Hibernos conſuetudo Epiſcopos per Epiſcopum unum conſecrandi; quam quidem reprehendit Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus; ſed ita ut nec Epiſcopos illos, nec Ordinatos ab iis Sacerdotes denuo conſecrari juſſerit. Vide Baronium ad an. 1089. n. 16. ubi Lanfranci ea de re Epiſtolam refert, ex qua attente perlecta dubium mihi eſt an certi quid inferri poſſit. Quamquam difficile eſt, ut a natione tota admiſſum ſit illud conſecrationis genus, quod paſſim nullum & invalidum cenſeretur. Contra vero facile fuit ut crederent Hiberni licitum eſſe ſibi unum dumtaxat adhibere conſecratorem, quia vel procul abeſſent Epiſcopi, vel nonniſi difficulter convocari poſſent. Favebat utcumque exiſtimationi illi citata S. Gregorii ad Auguſtinum reſponſio. Et hæc dicta ſint, ne quis dubiis hujuſmodi probationibus multum innitatur. 53

Prob. 4. variis rationibus. Et quidem 1. ut notat Hallerius, difficile eſt ut primis Eccleſiæ temporibus ſemper adfuerint Epiſcopi tres, qui unum conſecrarent. Neque hic recurrendum ad diſpenſationem, quæ nulli Apoſtolorum ſucceſſori data fuiſſe legitur. 54

2. In Pontificali Romano unus tantum Epiſcopus vocatur *Conſecrator*, alii vero *Aſſiſtentes*; ut & ſupra *teſtes* a S. Gregorio. Ad quid vero denominatio tam diverſa, ſi tres vel duo Epiſcopi pari gradu in conſecrationem influant. 55

3. Can. 2. Concilii IV. Carthaginenſis (Tom. 2. Concil. pag. 1199.) *ſtatuit, ut Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput & cervicem ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant*. Jam vero ſolus ille Sacramenti Miniſter eſt, qui benedictionem ſeu formam, adhibita materia pronuntiat. Potuit quidem Chriſtus res aliter conſtituere; ſed in præſenti conſtituiſſe non probatur. 56

57 4. Unus Epiſcopus plenam habet Ordinis poteſtatem, quæ ex aliorum concurſu non augetur. Ergo ſolus quantum ad Ordinationem id valet quod duo vel tres. Ergo rurſum ſicut ad alia Sacramenta, ad alias item Ordinationes ſufficit Miniſter unus; ſic & ad Epiſcopi conſecrationem. Recurrent quidem adverſarii ad Chriſti inſtituentis voluntatem: at eam ſupponent pro more ſuo, ſed numquam probabunt efficaciter. Quod ut magis pateat, excutienda ſunt eorum momenta. Itaque

58 Obj. 1. ex Apoſtolo Hebr. 7. *Quod minus eſt a meliore benedicitur*. Atqui Epiſcopus unus non eſt melior ſeu dignior alio. Ergo ad Epiſcopi benedictionem plures debent concurrere Epiſcopi, qui dubio procul uno ſolo digniores ſunt.

59 R. 1. hinc probari duos Epiſcopos, utpote uno digniores, ſufficere ad hujus conſecrationem; quod tamen negant ex adverſariis plures.

60 R. 2. neg. min. tum quia qui non ſua, ſed Dei auctoritate benedicit, eatenus eo qui benedicitur dignior eſt; unde & ſic ipſo Papa dignior eſt, qui eum abſolvit a peccatis; tum quia Epiſcopus benedicendus, necdum vero benedictus, minor eſt Epiſcopo benedicente. Neque qui eidem aſſiſtunt, ejus dignitatem intenſive augent; præſertim cum ipſi non benedicant, ſed is ſolum qui conſecratoris perſonam agit, ut videre eſt in citato ſupra num. 56. Canone Carthaginenſi.

61 Obj. 2. ex Anacleto Epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ, quæ refertur Can. *Porro*, 2. final. diſt. 66. *Jeroſolymitarum primus Archiepiſcopus B. Jacobus .... a Petro, Jacobo & Joanne Apoſtolis eſt ordinatus, ſucceſſoribus videlicet ſuis dantibus formam, ut non minus quam a tribus Epiſcopis, reliquiſque omnibus aſſenſum præbentibus, ullatenus Epiſcopus ordinetur*. Eamdem a tribus iiſdem Apoſtolis factam eſſe Jacobi hujus Ordinationem ſcribit ex Clemente Alexandrino Euſebius ſupra n. 23. unde ſic. Ubi deeſt forma ad Ordinationem præſcripta, deeſt & Ordinatio. Atqui ubi deſunt tres Epiſcopi, deeſt forma ab Apoſtolis præſcripta.

62 R. 1. incertum eſſe an Jacobus a tribus prædictis Apoſtolis ordinatus fuerit; quia incertum eſt an unus fuerit e duodecim Apoſtolis: ſi enim Apoſtolus fuit, ut cenſent Latini plerique, jam a Chriſto ipſo conſecratus eſt, nec magis a Petro, Jacobo & Joanne conſecrari indiguit, quam iſti ab illo. Vide paucula quæ ea de re obiter diximus in Tract. de legibus pag. nunc 102. in nota. Quod ſi cum Bollandiſtis credas Jacobum hunc a Petro & aliis, utpote qui Apoſtolus non eſſet, fuiſſe reipſa ordinatum,

63 R. 2. diſt. ubi deeſt forma præſcripta a Chriſto, & quidem tamquam eſſentialis, ibi Ordinatio deeſt, C. Forma præſcripta ab Apoſtolis tamquam Eccleſiaſticas leges condentibus, N. Porro nec ex citato textu, nec ex alio quopiam probari poteſt, trium Epiſcoporum cooperationem ad conſecrandum Epiſcopum veluti formam eſſentialem requiri; non ex citato textu, tum quia ipſius, utpote apocryphi & ad ſpurias Decretales pertinentis, nulla eſt auctoritas; tum quia non quiſquis exemplo ſuo dat formam, dat ſtatim eſſentialem. Non ex alio quopiam textu; quia nullus ferme affertur, qui plus non probet, quam intendant & intendere poſſint adverſarii. Sic v. g. Canon præcedens ead. diſt. 66.

quem Aniceto perperam tribuit Gratianus, ſtatuit ut *Archiepiſcopus* (cujus nomen tempore Aniceti ignotum erat) *ab omnibus ſuæ Provinciæ Epiſcopis ordinetur ... Sin*, inquit, *aliter præſumptum fuerit*, *viribus carere non dubium eſt*, *quia irrita erit ejus ſecus acta Ordinatio;* quæ ſane validius urgent, quam objecta pſeudo-Anacleti verba; cum hæc clauſulam irritantem non habeant, quam habent illa. Atqui tamen nemo hactenus ſenſit Ordinationem Metropolitæ ſubſtantialiter eſſe invalidam, niſi ab omnibus Provinciæ Epiſcopis perficiatur. Ergo voces, quæ Epiſcopi Ordinationem ab uno factam contra formam Eccleſiæ datam peragi docent, eamque viribus carere, & irritam haberi volunt, de nullitate quantum ad honores & munia, non autem quantum ad ſubſtantiam intelligi debent.

Obj. 3. cum Tournelyo p. 456. S. Cyprianus Ep. 68. ad Clerum & 64
plebem Hiſpaniæ graviter redarguit Ordinationes Baſilidis & Martialis, uti contra Divinam & Apoſtolicam Traditionem factas, quia non convocatis provinciæ Epiſcopis celebratæ fuerant. *Diligenter*, inquit, *de Traditione divina*, *& Apoſtolica obſervatione obſervandum eſt & tenendum*, *quod apud nos quoque & fere per Provincias univerſas tenetur*, *ut ad Ordinationes rite celebrandas*, *ad eam plebem*, *cui Præpoſitus ordinatur*, *Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant*, &c. Atqui quod divina & Apoſtolica traditione præcipitur, plane neceſſarium eſt. Ergo.

R. 1. objectionem hanc contra Tournelyum militare. Ei enim ſatis 65
eſt ut Epiſcopus unus a duobus ordinetur. Atqui plus quidpiam requirit Cyprianus; nempe ut proximi quique Provinciæ Epiſcopi conveniant. Neque enim uno præter Ordinantem contentus eſt, qui proximos quoſque requirit.

R. 2. diſt. quod divina & Apoſtolica Traditione requiritur, plane 66
neceſſarium eſt *ad Ordinationes rite*, ſeu omnino legitime *celebrandas*, C. ad celebrandas valide, in caſu præſenti, N. Alioqui Provinciæ, quæ teſte Cypriano, morem hunc non ſequebantur, veris caruiſſent Epiſcopis, quod non dicit S. Martyr; neque etiam valuiſſet Ordinatio a tribus facta, ſi propinqui tres aut quatuor Epiſcopi ad eam non veniſſent; quod nemo ſomniare auſit.

Obj. 4. cum Goneto p. 512. Damaſus Papa Ep. 5. (Tom. 2. Concil. 67
p. 877. C.) ut probet Chorepiſcopos, qui ab uno tantum Epiſcopo conſecrati erant, nullum Epiſcopi munus valide obire, ſubdit: *Quod enim Epiſcopi non ſint*, *qui minus quam a tribus ſunt ordinati Epiſcopi*, *omnibus patet*: *Quoniam*, *ut bene noſtis*, *prohibitum a ſanctis eſt Patribus*, *ut qui ab uno vel a duobus ſunt ordinati Epiſcopis*, *nec nominentur Epiſcopi*: *Si nomen non habent*, *qualiter officium habebunt*? Concinit Joannes III. in Ep. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, his verbis: *Omnia quoque magna Concilia affirmant eum non eſſe Epiſcopum*, *qui minus quam a tribus Epiſcopis*, *auctoritate etiam Metropolitani fuerit factus*. Atqui valide non ordinantur, qui poſt fictitiæ ſuæ Ordinationis ritum, Epiſcopi non ſunt, & ideo nullum Epiſcopi munus obire valent. Ergo.

Reſpondent vulgo Theologi, diſt. maj. qui minus quam a tribus 68
Epiſcopis ordinantur, Epiſcopi non ſunt quoad honorem & uſum juriſdictionis, C. quoad poteſtatem Ordinis, N. Itaque, inquiunt, qui

extra

extra graviſſimæ neceſſitatis caſum ab uno Epiſcopo conſecrantur; cum eo ipſo ab omni collatæ ſibi poteſtatis uſu ſuſpenſi ſint, eo ferme modo ſe habent poſt Ordinationem, ac antea; quia nihil plus, & aliquando minus poſſunt, quam ſimplices Presbyteri; niſi eis pars aliqua meritæ pœnæ relaxetur, uti Armentario, propter conceptum ex culpa ſua dolorem, ex Regenſis Synodi indulgentia contigit. At non ideo Epiſcopalis caracteris expertes ſunt: cum horum nonnulli aliquando ad Pontificium Eccleſiæ regimen aſſumpti ſint, ut Siderius ab Athanaſio; aliquando propria quædam Epiſcoporum munia exercere permiſſi fuerint, uti erga eumdem Armentarium factum eſt. Vera quidem ſolutio, ſed extra rem. Unde

69 R. 2. neutram quæ objicitur Epiſtolam, vel Damaſi eſſe, vel Joannis III. Non hanc, quæ teſte (pag. 158.) Simonneto, viro intemperantioris critices neſcio, *ab omnibus doctis rejicitur ut ſpuria;* puta a Baronio ad an. 572. n. 3. a Poſſevino in Apparatu, a Binnio *in notis* ad ipſam, ut omittam Blondellum ubi infra p. 613. & ſeq. Hujus abjiciendæ ratio multiplex, 1. quod data reperitur 14. Kalend. Auguſti ſub Conſulatu Juſtini 7. quo tempore mortuus erat Joannes III. 2. quod ſupponat plures tunc in Germania & Gallis Chorepiſcopos fuiſſe, qui tunc in iis aboliti erant; unde nulla per hoc tempus de iis mentio in Conciliis; 3. quod Linum & Cletum Chorepiſcopos fuiſſe, non vere Rom. Pontifices, contra omnium, præcipue vero Sedis Apoſtolicæ ſenſum, mentiatur; 4. quod in ea plures ſint laciniæ e ſequentibus Pontificibus vel Conciliis deſumptæ. Non eam quæ Damaſo affingitur; ut multis oſtendit Morinus part. 3. exercit. 4. c. 1. n. 5. & quidem 1. quia ſupponitur Damaſus ad Africanos Epiſcopos ſcribere, quaſi ab iis de Chorepiſcopis, qui in Africa frequentiſſimi eſſent, conſultus. Atqui in tot Africæ Conciliis, & numeroſiſſimis eorum Canonibus ne ſemel quidem fit mentio Chorepiſcoporum; 2. quia teſtatur pſeudo-Damaſus, ſe *nihil certius reſpondere poſſe, quam quod olim a prædeceſſoribus ſuis decretum* repererit. Atqui in prædeceſſorum ipſius Epiſtolis & Decretis, ſive veris, ſive ſuſpectis, ne verbum quidem eſt de Chorepiſcopis; 3. quia dicit idem eos nunc neceſſarios non eſſe, *ſicut in primitiva Eccleſia, propter ſtudium quod erga pauperes exhibebant*. Atqui nec ſtudium erga pauperes impenderunt Chorepiſcopi in primitiva Eccleſia, ſed Diaconi; nec ulla eorum prioribus ſæculis fuit memoria in Oriente vel Occidente. Aliunde ſi primitus neceſſarii fuere, ut quid igitur *eorum inſtitutio* paullo ante *nimis improba, nimis & prava* dicitur; 4. aſſerit eoſdem tam *a ſancta Sede, quam ab omnibus totius Orbis Epiſcopis a Pontificalibus remotos eſſe officiis*. Atqui nullum hujuſmodi Decretum, ſeu a ſancta Sede, ſeu ab alio generali quopiam Concilio prodierat ante Damaſum. Accedit quod barbara Epiſtolæ hujus locutio ab eleganti Damaſi, Poetæ eloquentiſſimi, oratione prorſus aliena ſit. Plura in idem argumentum dabit Blondellus in pſeudo-Iſidoro, p. mihi 530. & ſeq. ſed cave a perfida hæretici lingua.

Objectionem ex vera vel falſa Leonis III. Epiſtolæ petitam diluemus in ſpeciali de Chorepiſcopis diſſertatione.

70 Obj. 5. Novatianus Antipapa, cum neminem a quo conſecraretur inve-

inveniſſet Romæ, ex aliqua Italiæ Provincia tres accerſivit Epiſcopos, a quibus temulentis per vim conſecratus eſt. Atqui vir Romani Pontificatus invadendi cupidiſſimus, non adeo in accerſendis procul Epiſcopis deſudaſſet, niſi ea tunc fuiſſet omnium opinio, Epiſcopum niſi a tribus conſecrari non poſſe.

R. neg. min. immo quia Romanum Pontificatum acriter inhiabat 71
Novatianus, e re ipſius erat ut a tribus Epiſcopis, quocumque tandem niſu, conſecraretur; quia alioqui ſanctæ & receptæ conſuetudinis temerator, majorem adverſariis ſuis triumphandi cauſſam præſtitiſſet, pluſque meruiſset repelli; quod & tandem detectis ejuſdem vi & fraudibus contigit.

Ceterum ſententia hæc mihi adeo certa eſt, contraria vero tam fu- 72
tilibus nixa ratiunculis, ut eam, licet a natura timidus, in praxi ſequerer facillime; quod tamen alii quidam non auſint, ne in re Sacramentaria partem minus tutam præferant tutiori.

ARTICULUS SECUNDUS

De Miniſtro Sacerdotii & Diaconatus.

DUo nobis in præſenti articulo diſcutienda ſunt, 1. an Epiſcopus 73
ſolus ſit Miniſter Presbyteratus & Diaconatus; 2. an Epiſcopus quilibet utrumque hunc Ordinem cuilibet licite conferre poſſit. *Licite* dico, an enim valide ordinent ſimoniaci, excommunicati, &c. gravis eſt quæſtio a nobis expendenda, cum de caractere per Ordinationem impreſso diſputabimus.

Circa primum caput duplex eſt opinio: Nonnulli enim Diaconatum, 74
immo & Presbyteratum a ſimplici Sacerdote, non quidem tamquam Ordinario utriuſque Miniſtro, ſed ut ad id muneris a Pontifice vel ab Eccleſia deputato, conferri poſse exiſtimant; Diaconatum quidem, quia id quantum ad Religioſos ſuos Ciſtercienſibus Prælatis conceſserit Innocentius VIII. cujus Bullam vidiſse ſe teſtatur Vaſquez in 3. p. q. 243. quem ea de re conſulas art. 3. & 4. Presbyteratum vero, quia Chorepiſcopi hujus conferendi poteſtatem olim habuerint, licet meri forent Presbyteri: Ita Morinus p. 3. Exercit. 4. c. 3.

De ſecundo capite; quod praxim quotidianam ſpectat, nulla gravis 75
eſt inter Scholaſticos diſceptatio. Sit

CONCLUSIO I. ſolus Epiſcopus ita jure proprio Miniſter eſt Preſ- 76
byteratus, ut is numquam poſſit a ſimplici Sacerdote conferri.

Prob. in re graviſſima, unde pendet ſalus populorum, non alius ad- 77
mitti debet Miniſter, quam qui vel in Scriptura, vel in certiori priorum ſæculorum Traditione exhibetur. Atqui Scriptura, & certior priorum ſæculorum Traditio, non alium Presbyteratus Miniſtrum exhibent, quam Epiſcopum.

De Scriptura res conſtat. Siquidem Act. 14. v. 22. Paulus & Bar- 78
nabas, utique Epiſcopi, conſtituunt *per ſingulas Eccleſias Presbyteros*. Idem Paulus, qui tot in Eccleſiæ regimen leges ſanxit, nullibi permittit ut Presbyter Presbyterum ordinet, ſed Timotheo tantum & Tito

Tito, quia, licet Presbyteris multis juniores, Epiſcopli caractere inſigniti erant. Utrique declarat cui manus ad Epiſcopatum vel Sacerdotium imponere debeant; & in primis hortatur, ne id faciant *cito*, id eſt nimium præcipitanter, ſeu antequam Ordinandorum mores & ſanctam agendi conſuetudinem abunde probaverint. Vide I. ad Tim. c. 3. & 5. & c. 1. Ep. ad Titum.

79 Non minus conſtans eſt ea de re Traditio, & hæc quidem manifeſta eſt, tum a contrario ſenſu, quia licet centies in Conciliis actum ſit de Presbyterorum conſecratione, nuſquam in ullo, etiam urgentiſſimæ neceſſitatis caſu, permiſſum eſt ut Sacerdos Sacerdotem efficeret: tum & poſitive, quia quidquid ab audentiori quopiam hac in parte tentatum eſt, Eccleſiæ judicio reprobatum fuit.

80 Sic 1. Alexandrina Synodus an. 339. (Tom. 2. Concil. p. 547.) probat Iſchyram non eſſe Presbyterum, quia non ab alio potuit ordinari quam a Collutho. *Atqui*, inquiunt Patres, *Colluthum Presbyterum obiiſſe, ambaſque ejus manus ſine auctoritate fuiſſe . . . nulli dubium eſt*. Quod autem quarto ſeculo *nulli dubium* erat, quomodo nunc in dubium vocari poſſit?

81 Sic 2. cum Aerius Epiſcopis Presbyteros auctoritate pares feciſſet, hunc applaudente tota, qua patet Eccleſia, hinc præcipue confutavit Epiphanius hæreſi 75. (Tom. 1. pag. 908.) quod Epiſcoporum Ordo *vim gignendorum Patrum habet; nam Patres Eccleſiæ generat: at Ordo Presbyterorum, cum Patres generare nequeat, per regenerationis lavacrum filios gignit Eccleſiæ, non Patres aut Doctores. Et vero quinam fieri poteſt ut Presbyteros conſtituat, qui ad ordinandum manuum impoſitionem non habet*. Ergo Epiphanii ſeculo certa erat Eccleſiæ fides, Presbyterum vi Ordinis non habere unde Presbyteros inſtituere poſſet. Immo contraria aſſertio inſtar monſtri habebatur. De ea enim ſic præloquebatur Epiphanius: *Eſt illius*, Aerii, *dogma ſupra hominis captum, furioſum & immane. Quadam, inquit, in re Presbytero Epiſcopus antecellit?* &c.

82 Sic 3. S. Hieronym. in Ep. ad Evangelum 85. alias 91. (Tom. 4. part. 2. p. 303.) *Quid enim*, inquit, *facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Quod & his verbis docet Chryſoſtom. Hom. 21. in Ep. I. ad Timoth. *Sola Ordinatione Superiores ſunt Epiſcopi, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur*. Cur porro ſola Ordinatione, non autem ſimul & Confirmatione ſuperiores ſunt Presbyteris Epiſcopi, niſi quia Presbyter abſolute Confirmationem dare poteſt, ex Eccleſiæ permiſſu, non autem ex ipſius etiam Eccleſiæ licentia, Ordines a Chriſto inſtitutos conferre.

83 Prob. 2. ex omnium ætatum & Eccleſiarum conſenſu, tum in Latinorum Ritualibus, tum in Græcorum Euchologiis expreſſo, ubi Sacerdotalis conſecrationis officium ſolis Epiſcopis aſſeritur. Unde autem conſenſus ille Eccleſias inter ceteroqui diſſidentes in pluribus, niſi quia ſemper ſtrictiore ſenſu intellectum eſt id quod poſtmodum Conſtitutionibus Apoſtolicis inſertum fuit Lib. 3. cap. 11. *Poteſtatem non damus Presbyteris ordinandi Diaconos*; & a fortiori Sacerdotes.

84 Prob. 3. quia ſi quo jure, etiam extraordinario, poſſet Presbyter Presbyterum conſecrare, jus illud, ſaltem aliquando, ab Eccleſiæ pri-

primordiis in praxim redactum fuiſset; quemadmodum & ſæpe redactum eſt in praxim remotum illud jus quod habent Sacerdotes Neophytos confirmandi: ſicut enim jus illud in certis caſibus exercent Latini; ſic olim dum fureret impia Gentilium perſecutio, dum vel in ſpeluncis latitabant Epiſcopi, vel ſub gladio ceciderant; & plebi Paſtoribus univerſis prope diem deſtituendæ ſuccurrendum erat, Presbyteris mandatum fuiſset ut Presbyteros inſtituerent. Atqui ne tunc quidem ullum extitit Presbyteri a Presbytero alio conſecrati veſtigium. Immo qui jus illud Presbyteris affinxere vani homines, ſtatim hçreticis annumerati ſunt, ut ſçculo IV. Aerius, ſçculo XV. Wiclefus, ſçculo XVI. Lutherus. Merito igitur Tridentinum ſeſs.23. Can. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem... anathema ſit*. Idem in ſuo pro inſtruendis Armenis Decreto diu ante ab Eugenio IV. fuerat declaratum.

Prob. 4. nemini dubium eſse poteſt quin Eccleſia ad modum Reipublicæ ſapienter ordinatæ inſtituta fuerit. Atqui in Republica ſapienter ordinata, quæ ad præcipuum regimen ſpectant, potiſſime vero ad ſalutem totius multitudinis, iis ſolum committuntur, qui præcipuas ſedes habent. Ergo. Ita ferme S. Thom. Supplem. q. 38. art. 1. O. 85

Obj. 1. id Apoſtoli I. ad Timoth. *Noli negligere gratiam... quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterii*. Ergo ad minus Presbyteros creare poſsunt Presbyteri. 86

R. neg. conſeq. ſiquidem eo loci per Presbyterium intelligitur ipſe Epiſcoporum conventus, ut dixi ſupra n. 14. 87

Inſt. eo modo intelligi debet Apoſtolus, quo eum primævi Patres intellexere. Atqui ſic intellexere, ut Presbyter Diacono in Presbyterum ordinando manus imponere poſſit. 88

Prob. min. 1. ex Concilio Carthaginenſi IV. Can. 3. ubi hæc: *Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant*. Hunc porro ritum eſſentialem eſſe patet ex eo quod Can. 4. in Diaconorum conſecratione fieri prohibeatur. 89

2. Ex S. Leone Ep. 92. ad Ruſticum Narbonenſem, ubi ſic cap. 1. *Nulla ratio ſinit ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati: Unde cum ſæpe quæſtio de male accepto honore naſcatur, quis ambigat nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod nec docetur fuiſſe collatum? Si qui autem Clerici ab iſtis Pſeudoepiſcopis in eis Eccleſiis ordinati ſunt, quæ ad proprios Epiſcopos pertinebant, & Ordinatio eorum cum conſenſu & judicio Præſidentium facta eſt, poteſt rata haberi... aliter autem vana habenda eſt*. Hic ſanctus Pontifex ratam habet Ordinationem a Pſeudoepiſcopis factam. Porro Pſeudoepiſcopis, qui *nulla ratione Epiſcopos inter haberi* poſſunt, nihil aliud ſunt quam ſimplices Presbyteri. 90

3. Ex obſervata Nicœnis a Patribus agendi ratione erga Meletium & ab eo Ordinatos, apud Theodoretum Lib. 1. cap. 9. Socratem Lib. 1. c. 19. Nicephorum Lib. 8. c. 19. & 24. Sanciunt enim Patres, ut qui a Meletio ordinati ſchiſmati ejus adhæſerant, cum ad Eccleſiam 91

redie-

redierint, ſuſcipiantur tamquam Clerici, ſed ſine ulla Miniſtros a Clero & populo electos confirmandi facultate: *Illi autem, qui Dei Gratia ... ad nullum ſchiſma defeciſſe comperti ſunt ... jus habeant & ordinandi, & eos qui digni Clero fuerint, nominandi*: verba ſunt Epiſtolæ Concilii ad Eccleſiam Alexandrinam, &c. (Lab. Tom. 2. p. 251.) Hinc porro duplex in gratiam Presbyterii exurgit argumentum. 1. Enim qui a Meletio ordinati erant, pro veris Presbyteris habentur: & tamen Meletius, teſte ſacro Concilio, non erat Epiſcopus, ſed Epiſcopatus uſurpator; 2. Ordinati ab eo Presbyteri, modo ſchiſmati non adhæſiſſent, *jus habent*, non ſolum *nominandi*, ſed & *ordinandi eos qui Clero digni fuerint*.

92 R. ad 1. neg. min. intellectam de impoſitione manus eſſentiali & vere ordinatoria. Nec contrarium probant auctoritates objectæ.

93 Non 1. ſiquidem impoſitio manuum, quam a Presbyteris fieri jubet Concilium Carthaginenſe, eſt cæremonia mere accidentalis, non eſſentialis ritus, 1. Quia dum manus imponunt Presbyteri, Epiſcopus ſolus ordinandum benedicit, ſeu formam profert: forma autem præcipuam in Sacramentis efficaciam habet. 2. Quia ritus ille a Latinis quidem obſervatur, ſed non a Græcis, ceteriſque Orientalibus, qui tamen veros Presbyteros habent. 3. Quia ſi ritus ille eſsentialis diceretur, plus poſſent Presbyteri manus imponendo, quam ipſe Epiſcopus formam cum ipſa etiam manuum impoſitione proferens: cum Presbyteri prohibeantur imponere manus Diaconis, eo quod hi *non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur*. Plus autem poſse in Ordinatione Presbyteri Presbyteros quam Antiſtites, nemo huc uſque, delirando etiam, ſomniavit.

94 Non 2. ii enim de quibus loquitur S. Leo, etſi hoc ſenſu Pſeudo-epiſcopi erant, quod illegitime ordinati eſsent, vere tamen erant Epiſcopi, quia cum ritu quocumque eſsentiali conſecrati erant. Id namque unum in eorum Ordinatione redarguit S. Leo, quod *nec a Clericis electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati eſſent*. Atqui Clericorum electio, plebis ſuffragium, judicium Metropolitani, Provincialium Epiſcoporum conſenſus, ſunt quidem Eccleſiæ leges, ubicumque vigent, caſte obſervandæ, ſed quæ ad ſubſtantiam Ordinationis non pertinent. Alioqui ubi Clerus, plebs, & Metropolita hæreſi & ſchiſmati pertinaciter adhærerent, nemo niſi eadem lue infectus in Epiſcopum præfici poſset: quod quantum ab Apoſtolicæ Sedis praxi alienum ſit, nemo ignorat.

95 Non 3. ſiquidem Meletius ſacro & legitimo ritu in Epiſcopum Lycopolitanum conſecratus erat: verum in Alexandrina Synodo an. 305. depoſitus a Petro Alexandrino, ex eo inter alia crimina, quod vigente Maximini perſecutione ſacrificaſset idolis; junctis cum Ariano grege, antea ſibi inimico, viribus, ſchiſma fecit; neque tantum Alexandrini Patriarchæ obedientiam excuſſit, ſed in Thebaidis ac vicinæ Ægypti Provinciis, quæ Alexandrinæ Sedi ſubjacebant, novum ſe Patriarcham oſtentavit. Ergo licet novi juris uſurpator, vere tamen Epiſcopus erat. Eum porro qui ſemel Epiſcopus fuit, valide ordinare, licet, cum depoſitus eſt, legitime ordinare non poſſit, oſtendemus in decurſu.

Quod

Quod ſpectat ad Clericos a Meletio ordinatos, 1. plus probarent 96
Adverſarii quam intendant, nempe Presbyteros ab ipſis etiam Diaconis ordinari; Generatim quippe loquuntur Nicœni Patres de iis *qui ab eo*, Meletio, *in ſacrum Ordinem lecti* erant. Sub iis autem qui ad Ibid. p.
ſacrum Ordinem pertinent, indubie continentur Diaconi. 2. Per vo- 270. E.
cem ordinandi non intelligitur poteſtas proprie conſecrandi, ſed deſignandi atque nominandi eos *qui digni Clero* videbantur. Favet, quæ tamen ab aliquibus objicitur, Græca vox: hæc enim Act. 22. a Vulgato interprete vertitur per *præordinavit*, v. 14. ubi: *Deus patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem ejus*, &c. id eſt, elegit atque deſignavit.

Ergo, inquies, nullum erat diſcrimen inter Clericos qui Meletii 97
ſchiſma rejecerant, & eos qui idem ſchiſma fuerant amplexi. Hi enim, cum ex Concilii venia permanerent in Clero, poterant utique Miniſtros eligere, cum id poſſet ipſe populus. Quid ergo præ ipſis habebant, qui ſchiſma fuerant averſati?

R. 1. nihil mirum fore, ſi Clerici Meletianum ſchiſma olim am- 98
plexi exciderint a jure, quo fruebatur plebs conſtanter Catholica. Nihil certe ab iſta timendum erat in Electionibus Clericorum; contra vero timere erat, ne inter Clericos qui diu adhæſerant ſchiſmati, quidam, ut fieri ſolet, priſtinæ factionis guſtum intus retinentes, viros dubiæ fidei Clero cooptandos proponerent.

R. 2. Forſitan conceſſum fuiſſe Clericis a ſchiſmate ſemper averſis, 99
ut eos quos plebs elegerat, ſuffragio ſuo, aliis etiam Clericis abſentibus confirmarent: aliis vero permiſſum quidem fuiſſe, ut etiam eoſdem aſſenſu ſuo confirmarent, ſed nuſquam in aliorum Clericorum abſentia valituro.

Obj. 2. *Cum* in Concilio Hiſpalenſi II. * *relatio facta fuiſset de qui-* 100
buſdam Egabrenſis Eccleſiæ Clericis, quorum unus dum ad Presbyterium, duo ad Levitarum miniſterium ſacrarentur, Epiſcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantum poſuiſse, & Presbyter quidam illis, contra Eccleſiaſticum ordinem, benedictionem dediſſe, ſtatuit idem Concilium cap. 5. (Tom. 5. Concil. p. 1665. *ut a gradu Sacerdotalis vel Levitici Ordinis, quem perverſe adepti ſunt, depoſiti, æquo judicio abjiciantur: Tales enim merito judicati ſunt removendi, quia prave inventi ſunt conſtituti*. Sed non fuiſſent depoſiti ab Ordine, niſi hunc recepiſſent. Ergo illicite quidem, ſed nihilominus valide receperant.

R. 1. hic rurſum valere tritum iſtud: *Qui plus probat, nihil probat*. 101
Velint enim, nolint adverſarii, probant duo hæc, 1. valere Ordinationem in qua materiam alter præbet, alter formam pronuntiat. 2. Presbyterum ex ſolo cujuſque Epiſcopi juſſu poſse Diaconos & Presbyteros ordinare. Utrumque autem toti Theologiæ repugnat.

R. 2. neg. min. quandoque enim ab Ordine deponi dicitur ille 102
etiam qui licet Ordinem invalide receperit, ejuſdem gradum & functiones ſibi inique arrogat. Et vero quomodo deponi, proprie & ſtricte loquendo, potuiſsent, qui *conſecrationis titulum non* percepe-

* Decretum hoc refert Gratianus cap. *Quorum lam*, diſt. 23. & Toletano Concilio perperam adſcribit.

ceperant, ex ipſius Synodi confeſſo, ibid. Tom. 5. pag. 1665. C.

103 Obj. 3. ſtatuit in celebri ſuo Decreto Eugenius IV. Miniſtrum ordinarium Sacramenti Ordinis eſſe Epiſcopum; Atqui eo ipſo ſtatuit Sacerdotem ejuſdem Ordinis Miniſtrum eſſe extraordinarium. Prob. min. Ex eo quod idem Eugenius ſtatuat Epiſcopum eſſe Miniſtrum ordinarium Confirmationis, rite colligunt Theologi Sacerdotem eſſe extraordinarium ejuſdem Confirmationis Miniſtrum. Ergo a pari.

104 Et vero nihil eſt cur ſimplex Sacerdos Confirmationem dare poſſit, Ordines vero ex delegatione itidem conferre nequeat.

105 R. ad 1. 1. eſto totum: nihil inde contra nos. Neque enim nunc inquirimus an Sacerdos ſit extraordinarius Miniſter Ordinis; ſed an extraordinarius ſit Miniſter Presbyteratus. Fieri autem poteſt ut extraordinarius ſit Miniſter Ordinis alicujus, non tamen Presbyteratus.

106 R. 2. neg. min. generatim de quocumque, aut ſaltem de Presbyterali Ordine intellectam. Alioqui enim pari jure dici poſſet Sacerdotem extraordinarium eſſe ſacri Epiſcopatus Miniſtrum; quod nemo jam tueri auſit. Quapropter Eugenius veriſimiliter ideo Epiſcopum Ordinis Miniſtrum *ordinarium* dixit, ne ſi ſimpliciter cum Miniſtrum dixiſſet, cenſeretur damnaſſe Canoniſtas plures, atque etiam Theologos, qui Sacerdotem a Sacerdote aliquando Ordinari poſſe crediderunt; quos inter multi de Eccleſia bene meriti non parum indulgentiæ merebantur. Etſi porro ſententiam noſtram certiſſimis Theologiæ dogmatis accenſeri poſſe credimus, *non eam* tamen *dicimus fidei eſſe*, ait Auctor Lib. de re Sacramentaria, pag. mihi 252.

107 Ad 2. R. 1. parem eſſe utrinque cauſſam: ſicut enim Presbyter Catholice dici poteſt extraordinarius Confirmationis Miniſter; ſic &, donec aliter definiverit Eccleſia, Catholice dici poteſt extraordinarius Miniſter Ordinis, ſaltem alicujus.

108 R. 2. neg. ant. Non enim quia dixerit Eugenius Epiſcopum eſſe ordinarium Confirmationis Miniſtrum, ſtatim inferri poteſt Sacerdotes eſſe extraordinarios ejus Miniſtros; ſed ad ſummum opinionem quæ eoſdem Miniſtros extraordinarios facit, nulla poſse affici cenſura. Ideo igitur prodeſt Eugenii Decretum iis qui Sacerdotem ad Confirmandum deputari poſse credunt, quia ſummus ille Pontifex, poſtquam Epiſcopum aſseruit ordinarium eſse Miniſtrum Confirmationis, ſtatim ſubjicit, *aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili, & urgente admodum cauſſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*. Atqui nec ſimilia de Presbyteratu per ſimplicem Sacerdotem, quacumque urgente cauſsa, collato exempla refert Eugenius, nec referre potuiſset. Immo ſuppetunt diſerte contraria, non modo pro Eccleſia Occidentali, ſed & pro Orientali, quæ ſumma facilitate adminiſtrationem Confirmationis ſimplicibus Presbyteris committens, nuſquam eos Presbyteratus conferendi capaces credidit. 1. Enim, cum fureret Vandalica perſecutio, & in exilium mitterentur Epiſcopi, ingens fuit Catholicorum omnium commotio, eo præſertim quod nulli forent, qui alios jam ſacris Ordinibus poſsent initiare; uti referunt Victor Uticenſis Lib. 2. de ead. perſecutione, & Surius in vita S. Fulgentii ſub diem 1. Januarii.

Atqui

Atqui nulla fuiſset tantæ illius commotionis cauſsa, ſi ſuperſtites Preſbyteri Presbyteros alios conſecrare potuiſſent. Ergo conſtans erat tunc omnium Fides non poſse Presbyterum ab alio Presbytero, quæcumque urgeret neceſſitas, conſecrari. 2. Idem liquet de Orientalibus Eccleſiis. Nimirum, ut ſcribit Euſebius Renaudotius Tom. 5. Perpetuitatis Fidei, Lib. 5. c. 5. ex Patriarchatus Alexandrini Hiſtoria notum eſt, hujus gentis Chriſtianos Orthodoxos, inſtigantibus Coptis ſive Jacobitis, a Mahumetanis tam dire tamdiuque vexatos fuiſſe, ut per annos prope centum, nec Patriarchas, nec Epiſcopos habuerint; unde tanta apud eos Sacerdotum raritas emerſit, ut jam nec divinis Officiis, nec Sacramentorum adminiſtrationi locus ſupereſſet. Atqui tamen in eo urgentiſſimæ neceſſitatis caſu, in quo Eccleſia tota Juriſdictionis defectum ſupplet, nemini umquam in mentem venit privilegium Sacerdotis per alium Sacerdotem inaugurandi; nihilque in his rerum anguſtiis ſatius habuerunt Fideles, quam ut Tyrum, Conſtantinopolim, aut alio magnis ſumptibus mitterent Sacerdotii Candidatos, ut a Catholicis Epiſcopis ordinarentur.

Idem contigit Æthiopibus qui Jacobitæ ſunt, & ab octo & amplius 109
ſæculis ſubjacent Alexandrinis ejuſdem Sectæ Patriarchis: cum enim iſtorum malitia vel negligentia contigerit aliquando, ut Æthiopia nec Metropolitam, nec Epiſcopos haberet, tantaque eſſet Sacerdotum penuria, ut templa ſilerent, Sacrificium deſineret, Sacramenta omitterentur, ipſumque Religionis nomen quantocius perimendum videretur, commotus tanta neceſſitate Rex Æthiopum Presbyterum quemdam ſimplicem compulit, ut Epiſcopalia munia exercens, novos crearet Sacerdotes. Atqui licet factum hoc neceſſitas extrema, Regiſque imperium, non excuſare modo, ſed & in adverſariorum opinione, ratihabere viderentur, haſce tamen Ordinationes Alexandrini Patriarchæ irritas, ſacrilegas, & contra jus divinum attentatas ſeveriſſimis decretis renuntiarunt. Ergo tum apud Catholicos, tum & apud ſchiſmaticos indubium eſt, nullam prorſus eſse Sacerdotis a Sacerdote conſecrationem.

Perperam igitur ajunt nihil eſſe cur ſimplex Presbyter confirmare 110
magis, quam ordinare poſſit. Immo eſt cur admiſſo priori negetur poſterius, nempe divina inſtitutio per conſtantem Eccleſiæ totius, ſeu Catholicę, ſeu etiam Schiſmaticæ ſenſum declarata.

Inſt. veri non eſt ſimile Eccleſiam in neceſsariis a Sponſo ſuo deſe- 111
ri. Atqui hanc pluries deſereret Chriſtus, niſi Presbyter Presbyterum aliquando conſecrare poſset. Sit enim Eccleſia quæpiam, puta Sinenſis, ob peſtem aut perſecutionis æſtum, viduata Præſulibus, jam neceſsum eſt ut intra modicum tempus corruat Religio tota, niſi valeat Presbyteralis Conſecratio, &c.

Reſp. 1. ſi vanis hypotheſibus, quas fingendi nullus eſt finis, indul- 112
gere liceat, jam ſtatuendum erit, non modo Presbyterum a Presbytero, ſed & Epiſcopum a Diacono, ab Acolytho, quin & a laicis ordinari poſſe; puta ſi naſcens quæpiam Eccleſia, non Epiſcopis modo, ſed & Presbyteris, atque aliis Clericis inferioribus privetur. Redeundum igitur erit ad impiam Calvini novitatem; Neque hæc quacumque

facta hypotheſi proderit. Quid enim ſi novus quiſpiam Pharao mares omnes, quia Fidem amplexos, perimat, & unis mulieribus vitam ſervet: an hæc etiam aliæ ab aliis in Presbyteros conſecrabuntur?

113 Reſp. 2. neg. min. qui enim *potens eſt etiam de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ* (Matth. 3. 9.) potens eſt afflictis quibuſcumque Regionibus continuam Miniſtrorum legitimorum ſeriem, invitis etiam Tyrannorum molitionibus ſuppeditare; quod & quotidie in Anglia, & ubicumque miſericorditer præſtat. Sin vero Paſtores univerſos, ipſamque Fidem & cum ea Regnum ſuum Genti aufert, ut Judæis abſtulit, totique forſitan Japoniæ: id unum ſupereſt, ut, parem nobis ſortem veriti, exclamemus cum Apoſtolo Rom. 10. 33. *O altitudo divitiarum*, &c. *Quis cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?*

114 Obj. 4. non eſt facile rejicienda opinio, quæ fulcitur gravi Canoniſtarum primi nominis, quin & Theologorum auctoritate. Atqui ... Prob. min. quia ita ſentiunt Auctor Gloſsæ in cap. *munus*, de conſecr. diſt. 5. Innocentius IV. in cap. *quanto, de conſuetudine*, Sylveſter, Angelus de Clavaſio, v. *Ordo*, & ut plures alios apud Witaſſium Tom. 1. pag. 377. omittam, Panormitanus. Concinunt Guillelmus Altiſſiodorenſis, Aureolus, &c. ibid. pag. 379.

115 Reſp. neg. min. non enim gravi fulcitur auctoritate, quod fulcitur auctoritate quoad numerum longe inferiori, quoad pondus autem rationum omnino nulla. Atqui contraria noſtræ opinio & doctorum numero longe inferior eſt, cum pro nobis poſt S. Thomam & S. Bonaventuram, ſolidos utriuſque Sholæ principes, decertent Auctores ut minimum ſexaginta contra decem; & ex momentorum parte omnino vincitur. 1. Quia Canoniſtæ nec ex Scriptura, nec ex conſtanti Traditione; nec ex Conciliorum Canonibus arguunt; 2 Quia futilibus & omnino abſurdis principiis nituntur. Alii enim principii inſtar ſtatuunt, quod Epiſcopi & Presbyteri unum ſint jure divino. Ita Gloſſa, Guillelmus, Raymundi Gloſſator, & Panormitanus: Alii quod quilibet Clericus eum quem habet Ordinem conferre poſſit, Subdiaconus, Subdiaconatum, Diaconatum Diaconus, Presbyter Presbyteratum. Ita Sylveſter, Innocentius IV. Angelus de Clavaſio. Quod eo uſque extendunt nonnulli ut quivis e plebe Confirmatus Confirmationem dare poſſit. Ita Gloſſa in c. Pervenit diſt. 95. Alii quod tanta in Ordines poteſtate fruantur Presbyteri, ut Epiſcopos creare poſſint: Ita Guillelmus, Panormitanus, &c. Atqui omnia hæc propria ſua abſurditate corruunt, nec a quopiam Theologo jam defendi valent. Atque hinc grave nobis exurgit argumentum. Opinio enim, quæ adverſantem ſibi habet Scripturæ & Traditionis litteram, quamque potiſſimi ejus vindices nonniſi geminatis ineptiis atque paradoxis fulcire potuerunt, quæ jam ubique abſolevit, &c. citra temeritatis maximæ labem defendi jam non poteſt. Atqui &c.

116 Inſt. non eſt tantopere abſurda opinio, cui ſuffragantur varia ſanioris Hiſtoriæ exempla. Atqui ... Prob. min. ex Caſſiano, juxta quem Collat. 4. c. 1. *Daniel a B. Paphnutio ſolitudinis ejuſdem Presbytero, & quidem cum multis junior eſſet ætate, ad Diaconii eſt Prælatus Officium*. Idem vero Paphnutius *nequaquam ferens in inferiore eum miniſterio diutius immorari, optanſque ſucceſſorem ſibi digniſſimum providere, eum Presbyterii honore*

provexit. Atqui ecce hic Solitarium a ſimplici Presbytero, ad Diaconi, ac deinde ad Presbyteri honores provectum. Ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. Daniel ad Diaconi & Presbyterii gradum eſt provectus, id eſt electus & deſtinatus, C. Id eſt immediate conſecratus, N. Itaque deſtinavit Paphnutius atque ad ſuperiores gradus elegit Danielem; prout hodieque facere dicuntur in Monaſteriis Superiores, cum trito Sermone hunc ad Diaconatum, illum ad alium Ordinem promovere perhibentur. At eum nec conſecravit ipſe, nec per ſe conſecraſſe dicitur a Caſſiano. Et vero ſi tam graviter excanduerunt Epiſcopi quidam, eo quia Solitarii in eorum Diœceſibus degentes, ab alienis Epiſcopis conſecrati erant; quanto plus exarſiſſent, ſi ſimplex Cœnobii Superior manus cuipiam e ſuis ad Presbyterium, contra totius Eccleſiæ legem, imponere attentaſſet? 117

Eodem intelligendum modo quod narrat Epiphanius hær. 73. Fideles ſcilicet Nicœnæ Fidei aſſeclas, Epiſcopis ſuis exulantibus, Epiſcopos ſibi conſtituiſſe. Conſtituerunt enim non ordinando, ſed providendo ut quos elegerant, ab Epiſcopis, qui peregrina veſte urbes & pagos luſtrabant, conſecrarentur. Solis Calvini prodromis, Collutho, vel Aerio ab hac norma recedere permiſſum fuit. 118

Inſt. cum Blondello in Apologia Hieronymi, ubi quæſtionem hanc ad nauſeam uſque verſat ſect. 3. a pag. 309. uſque ad 379. Philoſtorgius in Eclogis Lib. 2. cap. 5. narrat, Scytas regnantibus Valeriano & Gallieno in Romanam Ditionem irruentes, multos ſecum Clericos abduxiſſe, qui e Barbaris plures pio convictu & Sermone ad Fidem adduxerunt, eorumque rexerunt Eccleſiam ſine Epiſcopis: cum Ulphilas primus eorum Epiſcopus conſecratus ſit ab Euſebio Nicogredienſi, qui ann. tantum 327. Nicomedienſem ſedem recuperavit. Ergo ſtetit illa Gothorum Eccleſia ſine Epiſcopis per annos 70. videlicet ab an. 260. uſque ad an. circiter 330. Atqui ſtare non potuit, niſi Presbyteri Preſbyteros ordinarent, vel nulli forent Presbyteri. 119

Reſp. 1. Scriptori Ariano, qui & Athæi cognomen meruit, modicam deberi Fidem in iis quæ in ſectæ ſuæ gratiam ſcripſit. Intererat autem Arianæ ſectæ ut primus Gothorum Epiſcopus Ulphilas crederetur: quia is ipſe fuit Ulphilas, qui Eudoxii donis corruptus Gothos Ariana lue infecit. Sic vero pronum erat exiſtimare Gothicam Eccleſiam ab Arianis fundatam fuiſſe. 120

Reſp. 2. falſo ſcripſiſſe Philoſtorgium, Ulphilam hunc primum fuiſſe Gothicæ Ditionis Epiſcopum; cum ex Socrate Lib. 2. c. 41. conſtet Theophilum gentis illius Epiſcopum Nicæno Concilio interfuiſſe & ſubſcripſiſſe. Porro Nicæna Synodus habita eſt ante tempus quod Ulphilæ conſecrationi aſſignat Philoſtorgius. Sed & in eo peccat idem ſcriptor, quod Ulphilæ legationem, cujus occaſione ad Epiſcopatum promotus eſt, referat ad tempus Conſtantini; cum eam ad Valentis tempora referant Socrates Lib. 4. cap. 33. Sozomenus Lib. 6. capit. 37. & Theodoretus Lib. 4. cap. 37. Quæ porro Fides Auctori tot mendaciorum conſcio? 121

Reſp. 3. neg. conſ. quæ ut valeat, tria Blondello neceſſaria ſunt. 1. ut probat inter Clericos a Scytis abductos ne unum quidem fuiſse 122

Epiſcopum, qui alios conſecrare potuerit; 2. e tot Epiſcopis, qui vel declinandæ perſecutionis cauſſa quoquoverſum tranſmigrabant, vel ubicumque ſublucebat Evangelii ſeminandi ſpes, eo ſtatim convolabant, neminem prorſus fuiſſe, qui de conſtituendis novo gregi Epiſcopis cogitaverit; 3. abductos in Scythiam Presbyteros, ſic non obſtante Neophytorum ſuorum affectu, ſolo ſuo affixos fuiſſe, ut ad tempus quæritandæ Ordinationis cauſſa, abeſſe non potuerint. Hæc vero tria nec facile, nec difficile a Blondellanis probatum iri confidimus.

123 Saltem, inquies, conſtat ex Gregorio Turonenſi Lib. 4. Hiſt. Francorum, n. 6. 7. 11. & 15. (apud Andræam Ducheſne Tom. 1. pag. 309. & ſeq.) Catonem, poſt obitum Galli Arvernorum Epiſcopi, Eccleſiam ipſius inſtar Epiſcopi adminiſtraſſe; ut patet ex his ad ipſum pauperum verbis; ibid. n. 11. *Cur nos deſeris, bone pater filios* &c. Atqui tamen Cato ſimplex erat Presbyter. Cum enim Epiſcopi qui ad S. Galli exequias convenerant, dixiſſent *Catoni Presbytero: Videmus quia te elegit pars maxima populorum: veni conſenti nobis, & benedicentes conſecremus te ad Epiſcopatum ... ille Cothurno vanæ conflatus gloriæ*, ab iiſdem Epiſcopis conſecrari recuſavit. Jam vero qui Epiſcopi in Arvernorum urbe munia exercebat, dubio procul Presbyteros, & alios Miniſtros ordinabat. Ergo.

124 Reſp. neg. maj. nam legitur quidem (ibid. n. 7.) quod Cato, licet *adhuc non ordinatus cunctis præeſſet*, quia ſcilicet eum elegerat *pars maxima populorum* (ib. n. 6.) At Epiſcopalia quæcumque jura, præſertim vero Clericorum Ordinationem exercuiſſe non legitur. Atque id nedum ſubindicet Gregorius Turonenſis, contrarium aperte indicat; ita ut tota ejus narratio ſyſtema Blondelli funditus devaſtet. Namque 1. eouſque omnibus tunc temporis perſuaſum erat, præter electionem & poſtulationem alicujus in Epiſcopum, neceſſario requiri conſecrationem ejus ab Epiſcopis faciendam, ut hanc Catoni obtulerint Antiſtites per hæc verba: *Veni, conſenti nobis*, &c. 2. neque id ipſe Cato in dubium vocabat: unde cum multis pietatem ſuam, jejunia, eleemoſynas jactanter prædicaſſet, reſpondit Epiſcopis: *Quid mihi nunc reſtat, niſi ut Epiſcopatum, quem fidelis ſervitus promeretur, accipiam? Vos igitur revertimini ad civitates veſtras ... Nam ego canonice aſſumpturus ſum hunc honorem.* Atqui nulla eſt alia ratio Epicopatum canonice recipiendi, quam per Epiſcopalem manus impoſitionem; 3. quia cum inſcio Catone ipſius inimico Cautinus Archidiaconus juſſu Theodovaldi Regis in Arvernorum Epiſcopatum ordinatus eſſet, & nulla ratione Catonem poſſet flectere, *ut ſibi eſſet ſubditus, tam ei quam amicis ejus, vel quicumque ei conſentiebant, omnes res Eccleſiæ abſtulit*, &c. An vero habet ſe ut Epiſcopum, qui tamquam rebellis, ſicut & alii quicumque Clerici, ab uno Epiſcopo rebus Eccleſiaſticis privatur? Sed de his jam nimio plura: Qui totam Gregorii narrationem vel currente oculo legerit, ne unam quidem in ea voculam deprehendet, unde colligat Catonem eo devenisse ut cuipiam ipſum Lectoris gradum conferre præſumeret.

125 Nec obeſt quod *cunctis* præfuiſſe dicatur. Id enim poteſt vacante Sede vir quicumque habetur pro gravi, & popularem auram ſibi promeritus eſt. Nec obeſt rurſus quod poſt Cautini Epiſcopi adventum, e

Cle-

Clericis alii eidem *Cautino Epiſcopo erant ſubditi, alii Catoni Presbytero*. Nihil enim frequentius quam ut derelictis Epiſcopi ſui partibus plures potenti cuidam Presbytero adhæreant. Nec demum obeſt, quod *adunata* ab homine *vanæ gloriæ* cupido *pauperum caterva* exclamaret: *Cur nos deſeris bone pater*? Namque eum pauperes patrem vocant, a quo *potu ciboque* reficiuntur: Non autem qui Presbyteros conſecrat.

Obj. 5. cum Aureolo: Omnis forma, ex quo eſt in actu, poteſt ſe communicare. Atqui Preſbyteratus eſt forma, quæ poſt Sacerdotis conſecrationem eſt in actu. Ergo. 126

Reſp. 1. mirum ac pudendum eſſe quod argutatores quidam ex puerilibus hujuſmodi ineptiis ſumma religionis capita, neglectis verbi divini fontibus, definire præſumant. 127

Reſp. 2. diſt. maj. omnis forma corporea, tranſeat, ſpiritalis ac ſupernaturalis, ſubd. Poteſt ſe communicare, ſi ad id deſtinata ſit a Deo, C. ſecus, N. Neque enim anima rationalis animam aliam producere; neque qui Confirmatus eſt, alterum confirmare; neque qui juſtitiam inhærentem habet, eamdem alteri infundere poteſt. Aliunde dare formam poteſt, qui eam non habet, puta baptizare, qui Baptiſmo non eſt initiatus. 128

CONCLUSIO II. Solus quoque Epiſcopus Miniſter eſt Diaconatus. Ita vulgo Theologi, a quibus tamen diſſentiunt Vaſq. hic diſp. 243. Gamachæus c. 7. Iſambertus diſp. 6. c. 1. Meratius diſp. 8. qui Diaconos ex conſenſu Eccleſiæ a Presbyteris ordinari poſſe exiſtimant. 129

Prob. 1. Ideo Presbyteratum ſolis ab Epiſcopis conferri poſſe docet ſanior ut & longe communior Theologorum opinio, quia nullum alium ejus Miniſtrum exhibent Scriptura & Traditio priorum ſæculorum; quæ in rebus tanti momenti potiſſimum interrogari debent. Atqui pariter neutra Miniſtrum alium Diaconatus exhibet, quam Epiſcopum. Ut enim omittam priores ſeptem Diaconos ab Apoſtolis ordinatos eſse, Paulus non aliis quam Epiſcopis, Timotheo ſcilicet & Tito demandat quid in Diaconorum promotione obſervare debeant. Et licet Apoſtoli in Epiſtolis ſuis multa paſſim Sacerdotibus præceperint, nihil umquam præcepere quod ad Diaconorum Ordinationem pertineret. Ergo quæ cauſſa movet ad tribuendam ſolis Epiſcopis Ordinationem Presbyterorum, debet & movere ad iis unis tribuendam Diaconorum inſtitutionem. 130

In idem conſpirat Traditio: 1. namque Auctor Conſtit. Apoſt. Lib. 3. c. 11. Apoſtolorum nomine ait: *Poteſtatem non damus Presbyteris ordinandi Diaconos, Diaconiſſas, Lectores, &c. Sed ſolis Epiſcopis: is eſt enim Ordo & harmonia Eccleſiaſtica.* 131

2. Canones 1. & 2. inter Apoſtolicos: *Epiſcopus a duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur: Presbyter ab uno Epiſcopo: item Diaconus & reliqui Clerici*. 132

3. Concilium Carthaginenſe IV. Can. 4. *Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat*, &c. In his omnibus & hujuſmodi ſexcentis Ordinatio Diaconi ſecundum harmoniam Eccleſiaſticam, quæ a Deo eſt, ſoli Epiſcopo reſervatur. Ergo niſi generalis hæc regula ex aliis ejuſdem momenti auctoritatibus limitationem 133

aliquam pati probetur, ut probatur pati quantum ad minores Ordines, neceſſario dicendum eſt Epiſcopum ſolum neceſſario & ſemper Diaconatus Miniſtrum eſſe. Atqui nulla ejuſdem aut pene ſimilis momenti auctoritate probari poteſt, regulam quæ Diaconatus collationem reſervat Epiſcopo, ſic aliquando limitatam eſſe, ut collatio hæc ad ipſos etiam Sacerdotes pertineret. Ergo.

134 Prob. 2. Ordinatio ipſius etiam Diaconi eſt vere Sacramentum, ut ſuo loco probavimus. Atqui Ordinatio Sacramentalis ſolos ad Epiſcopos pertinet. De hac enim ad minimum loquuntur Patres, cum ajunt, ſeu cum Hieronymo in Epiſt. 85. ad Evagrium: *Quid facit excepta Ordinatione Epiſcopus; quod Presbyter non faciat;* ſeu cum Chryſoſtomo Homil. II. in I. ad Timoth. *Epiſcopi ſola manuum impoſitione Presbyteris ſuperiores ſunt*. Ergo.

135 Prob. 3. quod Latini, Græci, & Orientales Libri Rituales Epiſcopo citra exceptionem reſervant, a nemine præter Epiſcopum, abſque evidenti nullitatis periculo fieri poteſt. Atqui Diaconorum Ordinationem Epiſcopis citra exceptionem quæcumque reſervant, &c.

136 Prob. 4. ſi Diaconi a Presbyteris ordinari aliquando poſſent, occurrerent indubie certa quædam hujuſmodi Ordinationis monumenta; nec dubium quin eo ſaltem tempore, quo, propter Sacerdotum penuriam, regendæ Diaconis committebantur Eccleſiæ, inferiores Clerici ad gradum hunc a ſuperſtitibus Presbyteris evecti fuiſſent. Atqui tamen nullo certo exemplo probari poteſt in ullo peſtilentiæ aut rapidæ perſecutionis caſu, inſtitutos fuiſſe a Presbyteris Diaconos. Ergo.

137 Prob. 5. ex longe communiori Theologorum ſenſu, quos inter eminet S. Thomas. Atqui, ut ſapienter ait & vere Hallerius pag. 572. A. *Doctorum communis iſte conſenſus in re quæ a Traditione pendet, maximi momenti cenſendus eſt. Nulla enim periculoſior via eſt indagandæ veritatis Catholicæ circa Sacramenta, & alia quæ a divina inſtitutione dependent, & aliter atque aliter contingere potuerunt abſque aliqua Fidei injuria,* abſque aliqua *divinæ providentiæ injuſta abſurditatis nota, quam humanis argutiolis, & ex Philoſophiæ petitis conjecturis eam expiſcari, quæ ſola Traditione conſtat.*

138 Obj. 1. ex S. Cypriano Epiſt. 49. Novatus, *diſcordiæ & ſchiſmatis parens, Feliciſſimum, ſatellitem ſuum, Diaconum, nec permittente me*, ait S. Martyr, *nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit*. Atqui ecce hic ſimplex Presbyter Diaconum conſtituit; neque hæc ejus Ordinatio a Cypriano irrita declarata eſt. Ergo.

139 Reſp. 1. hinc plus probari quam nonnulli ex Adverſariis velint, ſcilicet valere Ordinationem Diaconi a Presbytero factam renitente Eccleſia; quod qui a paritate Confirmationis argumentantur, nequaquam admittere poſſunt.

140 Reſp. 2. diſt. min. ſimplex Presbyter Diaconum conſtituit, id eſt ab aliquo factionis ſuæ Epiſcopo conſtituendum curavit, C. Id eſt propria manuum impoſitione ordinavit, N. Pergit enim Cyprianus: *Romam quoque ad evertendam Eccleſiam navigans* Feliciſſimus, *ſimilia illic & paria molitus eſt, a Clero portionem plebis avellens ... Plane quoniam præ magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora & graviora commiſit: qui iſthic adverſus Eccleſiam Diaconum fecerat, illic Epiſcopum fecit.*

Atqui

Atqui Novatus non fecit Epiſcopum Romæ, Novitianum ſuis manibus conſecrando, ſed ſchiſmatica factione agendo ut ab Epiſcopis ex ultimo Italiæ angulo vocatis, & mero madentibus, ſacrilega manuum impoſitione ordinaretur, & deturbato S. Cornelio, legitimo Pontifice Cathedram Petri invaderet. Ergo pari ſenſu intelligendum quod dicit S. Martyr, Feliciſſimum a Novato Carthagine Diaconum eſſe conſtitutum. Ita Tournelyus, Auctor Operis de re Sacram. &c.

Obj. 2. Innocentius VIII. an. 1489. diplomate V. Idus April. dato Ciſtercienſibus Abbatibus privilegium conceſſit Religioſos ſuos Diaconatu inſigniendi. *Ne*, inquit, *Monachi dicti Ordinis pro ſuſcipiendis Subdiaconatus & Diaconatus Ordinibus, extra clauſtrum diſcurrere cogantur, tibi & ſucceſſoribus tuis, ut quibuſcumque dicti Ordinis Monachis; aliis vero quatuor Abbatibus*, (qui quatuor, ut vocant, Ciſtercienſis Monaſterii filiabus præſunt) *ac eorum ſucceſſoribus, ut ſuorum Monaſteriorum Religioſis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus & Diaconatus Ordines rite conferre poſſitis, auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia: tenore præſentium ſpeciali dono gratię indulgemus*. Atqui privilegium iſtud, quo ſubruitur Theſis noſtra, extra omnem ſuſpicionis metam eſt. 1. Quia Vaſquez diſp. 143. cap. 4. pag. 596. teſtatur ſe ipſius exemplar vidiſſe *in quodam vetuſto Codice, qui inſcribitur* Collecta Bullarum Ordinis Ciſtercienſis, *atque in Bibliotheca Collegii Complutenſis S. J. ſervatur*. 2. Quia Navarrus ejuſdem privilegii meminit in Conſiliis, Lib. 5. Conſ. 13. ubi & ait Ciſtercienſes Abbates eo ſemper ante Tridentinam Synodum uſos eſſe. 3. Quia reipſa extat privilegium illud Lib. 5. privilegiorum ejuſdem Ordinis, privil. 118. & apud Em. Rodriguem in Bullario, n. 5. 4. Quia Major in 4. diſt. 7. q. unica, generatim, affirmat quandoque per Pontificum Bullas indultum eſſe Abbatibus ut Ordines omnes, dempto Presbyteratu, conferrent. Et vero refert ibid. Vaſq. teſtificari Auctores multos, ſimile privilegium Benedictinis Abbatibus conceſſum eſſe, quin & Prælatis Franciſcanis in India: quod & ultimum docet Henriquez in additionibus ad 10. Summæ ſuæ Librum, qui eſt de Ordine. 141

Addit Henno Tom. 8. pag. 417. Ciſtercienſium Generalem vi privilegii hujus Romæ ann. 1662. ſciente & annuente Alexandro VII. & Gandavi in Flandria an. 1663. ſubditis ſuis Subdiaconatus & Diaconatus Ordines contuliſſe. 142

Reſpondent aliqui a facto ad jus nihil concludi poſſe, niſi jus validis probationibus innixum ſit; id eſt, quantum ad præſens caput, certa & conſtanti Traditione. Atqui, inquiunt, nulla eſt certa Traditio per quindecim ferme ſæcula, quæ uſque ad annum 1589. effluxerunt, cui inniti potuerit Innocentius VIII. qui certe nihil tale a Prædeceſſoribus ſuis conceſſum in Archiviis Romanis deprehendit: & ad minus ſanctæ Eccleſiæ Cardinales conſulere debuerat, prout eos conſuluit Benedictus IX. cum actum fuit de diſpenſando a Monachatus ſimul & Diaconatus vinculis Caſimiro. Ergo hic recurrit, quod in poſtremæ hujus diſpenſationis caſu, ſed principium male applicans, dicit Soto: *Pontificum geſta non ſunt habenda tamquam Canonicę leges*. Vide quæ Tom. 3. Gallici Tractatus de diſpenſ. dixi Epiſtol. 32. Ve- 143

rum ſolutione iſta, quomodocumque ea ſe habeat, nihil nobis opus eſt. Unde

144 Reſp. cum Hallerio, Tournelyo, & Auctore Operis de re Sacramentaria, quod & Italis typis impreſſum eſt, & ab Ultramontanis plurimis & merito æſtimatur, privilegium illud, non dico ab Apoſtolica Sede, quod indubium eſt, ſed ab Innocentio VIII. numquam manaſſe. 1. Quia non eſt gratis, & temere credendum, Rom. Pontifices, a doctrina in Scholis longe communiori, niſi id exigerent momenta impendio ſuperiora, receſſiſſe. Atqui longe communior erat Innocentii tempore, ut & nunc eſt, doctrina, quæ negat Diaconatus conferendi poteſtatem ſimplici Presbytero committi poſſe. Quin & contrariam opinionem juri divino repugnare docet S. Thomas. *Dicendum*, inquit, Suppl. q. 38. art. 1. ad 3. *quod Papa, qui habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis, poteſt committere non Epiſcopo ea quæ ad Epiſcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Chriſti, & ideo ex ejus commiſſione aliquis Sacerdos ſimplex poteſt conferre minores Ordines & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos: nec iterum majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Chriſti, ſupra quod conſecrandum Papa non habet majorem poteſtatem quam ſimplex Sacerdos*. Iſtane porro ſub Pontificatu Innocentii VIII. vel prorſus ignota erant, vel contempta?

145 2. Quia nullum hactenus Bullæ illius authenticum exemplar, puta e ſcriniis Vaticanis aut Camera Apoſtolica proferri potuit. Nullum certe hujus veſtigium in Bullario Romano, ubi extant innumeræ aliæ longe minoris momenti. Sit ergo hujus exemplum in *Collecta Bullarum Ordinis Ciſtercienſis*, & alibi: num, quæſo, intentata coram judicibus lite, hujuſmodi tranſumptis, ſecluſo, quod non comparet, autographo, fides haberetur. Immo nec ſi prodiret codex, quem Archetypum dicunt, ſtatim ei credendum eſſet ut vere archetypo: cum nemini jam dubium ſit quin a deceptoribus vel a deceptis innumera ſub ementitis ſigillis & ſubſcriptionibus prodierint, ſeu privilegia, ſeu donationum & Indulgentiarum monumenta, contra quæ ut omnino falſa, aut ſaltem falſitatis ſuſpecta, ab eruditis & ab ipſa Sede Apoſtolica reclamatum eſt. Neſcit nemo peritum illum Diplomaticæ Mabillonium, circa titulum Bullioneæ domus aberraſſe. Vide d'Avrigni ad 15. Auguſti, an. 1671?

146 3. Quia qui Bullam hanc referunt, ſecum ipſi pugnant. Siquidem ait Victoria in Summa n. 235. ſe Bullam vidiſſe, quæ Ciſtercienſi Abbati jus tribuit conferendi Subdiaconatum; additque aliquos idem de Diaconatu aſſerere. Ergo Bulla quam legit Victoria non eſt eadem quam legit Vaſq. Ergo varia circumferuntur Bullæ hujus exemplaria. Atqui in hac varietate ei dubio procul credendum eſt exemplari, quod minus a Traditione deviat; vel forte, quod brevius fuerit, neutri credendum. Sane Hallerius, vir pari ad ſcientiam prudentia, rebus hinc & inde trutinatis ſect. 5. ar. 2. §. 2. n. 21. pag. 564. *Concludimus*, inquit, *totum iſtud privilegium* SALTEM *quoad Diaconatum, incertæ eſſe auctoritatis, & probabilius eſſe quod fictum, ac ſuppoſitum cenſendum ſit*. Eadem eſt æquiſſimi Sylvii ad cit. D. Thomæ quæſtionem & articulum ſententia. Sicut ergo non inepte diximus Tom. IX. p. 550. fictitium eſſe diploma,

quo

quo idem Innocentius VIII. Norvegis permiſiſſe dicitur ut propter vini ſtatim apud eos aceſcentis penuriam in ſolo pane conſecrarent: ſic & in præſenti, &c.

4. Quia in ſupplicatione unum id poſtulat Ciſtercienſis Abbas, ut renovetur conceſſum ſibi olim privilegium Tonſuram atque minores Ordines Monachis ſuis conferendi. Ergo id unum conceſſit Pontifex. Romæ enim ſolent negari multa, nihil ultra petitum concedi. 147

5. Rogatus ab Abbatibus Præmonſtratenſis Ordinis Pius V. ut his gratiam faceret ſubditos ſuos ad Subdiaconatum promovendi, plane id negavit; & refricans Ciſtercienſe privilegium, de ſolo loquitur Subdiaconatu. 148

6. Benſonius Lib. 2. *de anno Jubilæo* cap. 23. hanc Innocentii VIII. Bullam revolvens, aſſerit Pontificis illius mentem non aliam fuiſſe, quam ut Ciſtercii Abbates poſſent Religioſos ſuos per dimiſſorias litteras cuilibet Epiſcopo rite promoto initiandos offerre, non habita Diœceſeon ac Provinciarum ratione: Subdit idem Scriptor, rem non ſolum ita Romæ declaratam fuiſſe a ſacra Concilii Congregatione an. 1592. ſed & eo ſenſu explicatam a Clemente VIII. Quæ ſi ita ſunt, vel ipſum Bullæ proemium, uti nunc refertur, falſi ſuſpicionem habet. Quamquam Monachi eo privilegio muniti vix extra *Clauſtrum diſcurrere* poterant, ut qui non ægre Epiſcopos, ſeu *in partibus*, ſeu etiam vicinos in Monaſteria ſua accerſere valerent. Verum quantuſcumque fuerit in Ciſtercienſi familia rigor diſciplinæ ſub finem ſęculi xv. quo quidem tempore ea ubicumque adeo langueſcebat, ut quaſi ruinam minitaretur: an eo uſque in ſpeluncis ſuis tumulati erant; ſeu Ciſtercienſes, ſeu San-Dionyſiaci Monachi, qui teſte hic Gamachæo cap.7. ſimili privilegio gloriantur, ut ne ipſi quidem juvenes, a ſeniore ſtipati, per hebdomadam unam e domo abeſſe poſſent? An majoris coram Deo pretii erat illa in Clauſtro reſidentia, quam totius retro Eccleſiæ Canonum obſervatio, & periculum Ordinis invalide ſuſcipiendi? Si qui hac in parte privilegium meruiſſent, utique Carthuſienſes, qui hactenus, propitio Deo, non indiguerunt reformari; nec tamen ſimile quid vel ab eis uſpiam petitum, vel eis conceſſum legitur. Verum de his penes alios ſit judicium. Mihi hoc unum conſtare videtur, certi nihil ex privilegio tam incerto extundi poſſe. 149

Addit, quod in confirmationem eſſe queat, addit, inquam, Hallerius ibid. Ciſtercienſes noſtra aut patrum noſtrorum memoria eo privilegio uſos fuiſſe non dici: *Quod*, inquit, *ſi a ſancta Sede obtinuiſſent, numquam ab ejus uſu tamdiu ſe continuiſſent, præſertim in Gallia, in qua ſaltem a paucis annis Concilii Tridentini Decreta recepta, ſi tamen umquam in iis quæ ad diſciplinam particularem pertinent, recepta ſunt*. 150

Ut ut eſt, (potuerunt enim privilegio iſto non uti Ciſtercienſes, quia vi ejus promotos non admittunt Epiſcopi noſtri ad ſuperiores Ordines, & niſi me fallit memoria, audivi a Ciſtercienſi quodam, nonnullos in Germania Abbates ſuis in vim Apoſtolicæ diſpenſationis Diaconatum ipſum conferre) ea de re interrogatus, id unum reſponderem, quod in caſu minori Navarrus Lib. 5. Conſil. Conſil. 14. Quæſierat ab iſto Abbas quidam Ciſtercienſis in Germania, an virtute privile- 151

vile-

vilegii a multis Rom. Pontificibus ante Tridentinam Synodum conceſſi, & poſt eamdem Synodum a Gregorio XIII. confirmati in genere cum privilegiis aliis, *modo ſacri Concilii Tridentini Decretis minime repugnarent*, ſuos poſſet tuta conſcientia in Subdiaconos ordinare. Ille porro tantus Canoniſta triplicem ob cauſſam negative reſpondit; 1. Quia ſancta Synodus ſeſſ. 23. cap. 8. 10. & 12. ſtatuit ut Epiſcopus eos omnes, Regulares etiam, examinet *qui ad ſacrum miniſterium accedere voluerint*; & ut demptis Tonſura & Minoribus, Abbates *quantumvis exempti* Litteras dimiſſorias non concedant, ut quis ab alio, quam Diœceſano Epiſcopo ordinetur, idque *non obſtantibus quibuſvis privilegiis, præſcriptionibus & conſuetudinibus etiam immemorabilibus*. 2. Quia conſulta de eo privilegio Synodus ipſum dubio procul abrogandum cenſuiſſet; cum alia plura ſaniori diſciplinæ minus adverſa ſuſtulerit. 3. Quia probabile non eſt Summum Pontificem *privilegium tam exorbitans* generali confirmatione fuiſſe complexum. Hæc ille, quibus rurſum addiderim, in caſibus dubiis, eis præſertim qui ad Sacramenti valorem attinent, relicto incerto tenendum id quod certius, præſertim cum pars incertior vix alio quam neſcio cujus ſuperbiæ animo, præfertur certiori. Accedere poſſit quod ceſſante cauſſa ceſſet privilegium. Qui porro Regulares ita nunc ſunt Clauſtro alligati, ut inde aliquoties non exeant? Faxint ergo Abbates, nec umquam pigebit feciſſe, quod olim fecit Fr. Xaverius, qui, licet vix reſpirare poſſet, facta ſibi per Apoſtolicam diſpenſationem, Officii longe brevioris recitandi licentia, uti conſtanter recuſavit.

152 Quod addit Henno Ciſtercienſem Abbatem an. *1662*. Diaconos ordinaſſe approbante Papa, mihi plus quam dubium eſt. Quidquid enim ſenſerint de poteſtate illa Rom. Pontificis Canoniſtæ & Theologi, quos ante adduximus, & fuſe recenſet Morinus part. 3. Exercit. 4. cap. 3. tria tam Alexandro VII. quam cenſato cuique ſemper indubia fuerunt, 1. in dubiis tenendum id quod certius fuerit, præſertim in re Sacramentali; 2. Diaconatum probabiliſſime Sacramentis annumerandum eſſe; 3. nullo certæ antiquitatis aut Divinæ revelationis argumento fulciri eam quæ Papæ aſſeritur in præſens auctoritatem. Quod idem Abbas Gandavi Diaconos ordinaverit, res eſt tum ipſius, tum & Epiſcopi, ſeu qui id permiſit, ſeu qui ſic Ordinatos ad Sacerdotium obſequenter admiſit.

153 Obj. 3. plus diſtat Sacerdos a Diacono, quam Epiſcopus a Sacerdote. Atqui Epiſcopus Sacerdotem facere poteſt. Ergo a fortiori Sacerdos Diaconum.

154 R. diſt. maj. plus diſtat Sacerdos a Diacono, quam Epiſcopus a Sacerdote, ratione dignitatis, C. ratione poteſtatis ordinandi, N. Plus Diacono præcellit Sacerdos, quam Sacerdoti Epiſcopus ratione dignitatis: quia Sacerdos & Epiſcopus non diſtinguuntur penes oblationem ſacrificii, quo munere nullum habet præſtantius Religio. Verum multo plus quoad ordinandi poteſtatem præcellit Sacerdoti Epiſcopus, quam Sacerdos Diacono; quia Chriſto Sacramenti Ordinis inſtitutori placuit, ut penes Epiſcopos ſolos foret ordinandi poteſtas: idque ſapienter inſtitutum eſt, videlicet ut primarii rectores Gregis gregi toti melius provi-

de-

derent; neque multi, ut quotidie contingeret, a Presbyteris male promoti, tota vita in Diaconatu permanere cogerentur.

Obj. 4. cui committitur principale, committitur & acceſſorium. 155
Atqui Sacerdoti committitur principale, nimirum Euchariſtiæ conſecratio, ad quam ceteri Ordines referuntur ut acceſſorium ad principale. Ergo & eidem committuntur ceteri Ordines, adeoque & Diaconatus.

R. in humanis quidem commiſſo principali non raro committi & ac- 156
ceſſorium: verum aliud eſſe in his quæ ex ſola Dei voluntate pendent: Tunc enim non præſumitur concedi acceſſorium, niſi conceſſum probetur. Atqui e contra probatur, poteſtatem ordinandi Diaconos, nec Presbyteris conceſſam fuiſſe, ut ex Traditione liquet; nec debuiſſe concedi; quia non quiſquis ex ſingulari pietate idoneus eſt conſecrandæ Euchariſtiæ, idoneus eſt qui de ſcientia, de vocatione, aliiſque dotibus ad ſacra munia requiſitis dijudicet; qui publica miniſteria diſpenſet, &c.

Conclusio III. Quilibet Epiſcopus rite conſecratus Ordines va- 157
lide confert, ſed non ſemper licite.

Dixi, *rite conſecratus:* quia licet Epiſcopus, modo confirmatus, alte- 158
ri Epiſcopo committere poſſit Candidatorum ſuorum Ordinationem; cum commiſſio illa actus ſit juriſdictionis; non tamen eos ipſe initiare poteſt, quia Clericorum conſecratio eſt actus Ordinis. Jam

Prob. 1. pars: Si quis Epiſcopus Ordines valide non conferret, is 159
profecto qui vel hæreticus eſt, vel gradum ſuum ſimoniace acquiſivit, &c. Atqui & hujus etiam Ordinationes valere ſuo loco probabimus.

Prob. 2. pars, quia illicite ordinat, ſeu qui cenſura vel irregularita- 160
te ligatus, ſeu qui utraque labe infectus Ordines confert. Idem eſt de eo qui alienum ſubditum promovet, ut conſtat ex his Tridentini verbis ſeſſ. 23. de reform. cap. 8. *Unuſquiſque a proprio Epiſcopo ordinetur: Si ſecus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a ſuſceptorum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.* Hæc vero ut plenius intelligantur,

Solvuntur Variæ Quæstiones.

Quæres 1. quiſnam ſit, vel olim fuerit proprius Epiſcopus. 161

Reſp. aliter olim, non ubique tamen, judicatum fuiſſe de laicis, qui Clero inſcribendi eſſent; aliter de iis qui jam Clero adſcripti, ſuperiores ad gradus promovendi erant. Priores enim a quocumque Epiſcopo, multis in locis, Ordines recipere poterant: poſteriores vero ab eo ſolum Epiſcopo, a quo primum fuerant ordinati.

Reſponſionis hujus prima pars, quæ docet potuiſſe laicos multis in 162
locis a quocumque Epiſcopo ordinari, exemplo multiplici probatur. Siquidem S.Paulinus, exinde Nolenſis Antiſtes, etſi patria Burdigalenſis, a Lampio Barcinonenſi Epiſcopo Presbyter factus eſt. S.Martinus Sabariæ in Pannonia natus, a S.Hilario Pictavienſi Exorciſtæ gradum recepit. S.Hieronymus Antiochiæ, ubi nec natus erat, nec per Baptiſmum renatus, a Paulino Presbyter conſecratus eſt. Paulinianus Hieronymi frater ab Epiphanio Cyprio. Auguſtinus patria Tagaſtenſis, & Mediolani baptizatus, a Valerio Hypponenſi Presbyter ſacratus eſt.

Mit-

Mitto plura id genus facta, quæ dabit Hallerius ſect. 5. cap. 4. art. 1. n. 18. & 19. p. 608. quibus addit exempla tum Origenis Alexandrini, & Alexandriæ baptizati, qui tamen in Paleſtina a Theoctiſto & Alexandro, Cæſareæ & Hieroſolymorum Epiſcopis Presbyter creatus eſt; tum S. Epiphanii, qui prope Eutheropolim natus, in Salaminenſem Epiſcopum inſtitutus eſt. Verum etſi valere poteſt probatio ex Origenis inauguratione deprompta; quia licet contra ipſam vociferatus ſit Demetrius Alexandrinus; eam tamen hinc potiſſimum redarguit, quod Origenes ex voluntaria ſui mutilatione irregularitatem contraxiſſet: *Nihil namque aliud habebat, quod ei objiceret*, ait Euſebius Lib. 6. Hiſt. cap. 8. At dubium videri poſſit, an valeat probatio quæ ex Epiphanii Ordinatione eruitur. Hunc enim ab Eutichio, Eutheropolitano præſule, necdum ad Arii partes converſo, Presbyteratu donatum eſſe non male probat Gervaſius in ejuſdem Epiphanii vita, Lib. 1. cap. 23. p. 85. Quod autem Salaminæ Epiſcopus inſtitutus non ſit ab Eutichio, credi poſſit nihil ad rem pertinere; cum in Epiſcopatu non attendatur hodie Epiſcopus originis. Verum aliam fuiſſe hujus temporis diſciplinam certis in Regionibus, infra oſtendetur. Interim, cum ex modo citatis Ordinationibus duæ ſolum, Origenis videlicet & Pauliniani, tumultus ingentes excitaverint, perſpicuum videtur moris fuiſſe pluribus in locis ut laici a quocumque Epiſcopo in Clerum cooptarentur. Neque vero ii erant Valerius, Hilarius, &c. qui Eccleſiæ leges infringerent.

163 His favet Conſilium Arauſicanum, quod poſtquam Can. 8. confirmavit legem de non promovendo alterius Diœceſis Clerico ſine Epiſcopi ſui conſenſu, aliarum Diœceſeon laicos ordinari permittit ſeq. Can. 9. his verbis: *Si qui autem alienos cives aut alibi conſiſtentes ordinaverint, nec Ordinati in ullo accuſantur, aut ad ſe eos revocent, aut gratiam ipſis eorum impetrent cum quibus habitant*, (Tom. 3. Concil. pag. 1449.) Atqui Concilium neque Epiſcopos alienum civem ordinantes redarguit, neque hunc ſic Ordinatum a Clero arceri vult: immo ne vagetur, præcipit ut Ordinator ipſius hunc ad ſe revocet, vel ab Epiſcopo, cujus in Diœceſi habitat, recipi procuret, dummodo *in nullo accuſetur*, ſeu a ſuo originis Epiſcopo, ſeu aliunde; quia tunc deponi deberet. Inſuper Synodus iſtam ordinandi rationem velut uſitatam, ſuis utique in partibus proponit. Ergo.

164 Fatendum tamen contrariam diſciplinam multis in locis quoad Laicorum inſtitutionem viguiſſe. Siquidem in Concilio I. Carthaginenſi, ſub Julio 1. an. 347. (Tom. 2. Lab. pag. 715. D.) Can. 5. *Privatus Epiſcopus Vegeſilatinus dixit: Suggero ſanctitati veſtræ ut ſtatuatis, non licere Clericum alienum ab aliquo ſuſcipi ſine Litteris Epiſcopi ſui, neque apud ſe retinere; nec laicum uſurpare ſibi de plebe aliena, ut eum ordinet ſine conſcientia ejus Epiſcopi, de cujus plebe eſt. Gratus*, Carthaginenſis Epiſcopus, *dixit: Hæc obſervantia pacem cuſtodivit. Nam & memini, in ſanctiſſimo Concilio Sardicenſi ſtatutum* ſimiliter, *ut nemo alterius plebis hominem uſurpet. Sed ſi forte erit neceſſarius, petat a Collega ſuo, & per ejus conſenſum habeat*. Reipſa vero Canon 19. Sardicenſis Concilii ſic habet (ibid. p. 650.) *Oſius Epiſcopus dixit: Et hoc univerſi conſtituimus*,

mus, ut quicumque ex alia Parochia voluerit alienum Miniſtrum ſine conſenſu ipſius & ſine voluntate ordinare, non ſit rata, quoad uſum ſcilicet, *ordinatio ejus*. Ergo tunc temporis, & quidem ab ampliſſimis Conciliis ſancitum erat, ut Epiſcopus laicum alterius Diœceſis Clero non adſcriberet; tametſi hinc non æque ſatis inferat Tournelyus pag.148. diſciplinam hanc *ad ætatem uſque Concilii hujus Carthaginenſis obſervatam fuiſſe*. Multa enim, exigente caſu ſanciuntur, quæ hactenus in uſu non fuerant.

Idem, juxta multos, ſanciunt Calixti I. Decretum, & Epiſtola 2. Julii I. contra Orientales pro Athanaſio, ubi ſic n.6. (ibid. p.487.) *Nullus Epiſcopus alterius Parochianum præſumat retinere aut ordinare abſque ejus Epiſcopi voluntate, vel judicare, ſalva tamen in omnibus Apoſtolica auctoritate; quia ſicut irrita erit ejus Ordinatio, ita & dijudicatio*, &c. 165

Verum nedum Calixti prius, ſed ne poſterius quidem hoc Reſcriptum fœtus eſt Julii; cum & toto cælo differat a genuina Julii Epiſtola, quam nobis ſervavit Athanaſius; & datum dicatur ſub Feliciani & Maximiani Conſulatu, proinde an. 337. quo tempore nec Romam citati erant cum Athanaſio Euſebiani, nec nata Alexandriæ ſeditio: Prius enim an. 340. poſterius an. 341. contigiſſe certum eſt. 166

Quantæ porro utilitatis foret hæc diſciplina, nemo eſt qui primo intuitu non percipiat. 1. enim ſic fovebatur pax inter Epiſcopos, ut ſupra aiebat Gratus, & tollebatur murmurandi occaſio, de quo rurſus dicam n. 169. 2. ſic ab Ordinibus multo facilius arcebantur indigni. Quiſque enim eo in loco notior eſt, ubi diu vixit, quam in remota Diœceſi, ubi larvata pietate fucum facit, & Epiſcopo acceptum ſe præſtat. Nec deſunt ejus rei exempla in Cerdone, Valentino, Marcione, ipſo etiam Origene. Is enim ex ſui ſectione irregularis; niſi latuiſſet vitium ejus, ad Ordines, ſine expreſſo Epiſcopi ſui aſſenſu promotus non fuiſſet: illi vero hæretica lue pridem infecti Catholicam communionem, a qua tandem dijecti ſunt, nuſquam obtinuiſſent. 167

Pars reſponſionis ſecunda, quod nempe Clerici ab eo ſolum Epiſcopo ad ſuperiores Ordines evehi poſſent, a quo primum Clero fuerant addicti, probatur evidenter 1. ex Can. 16. Nicæni Concilii I. (Tom. 2. Lab. pag. 43) ubi hæc de Clericis ſanciuntur: *Si quis ad alium pertinentem audacter invadere, & in ſua Eccleſia ordinare tentaverit, non conſentiente Epiſcopo a quo diſceſſit is qui regulæ mancipatur, Ordinatio bujuſmodi irrita comprobetur*. 2. ex Can 18. Concilii Sardicenſis, qui ſtatuit *ut nulli Epiſcopo liceat alterius Epiſcopi civitatis Miniſtrum Eccleſiaſticum ſollicitare, & in ſuis Parochiis ordinare*. 3 Ex Can.21. Concilii Carthaginenſis III. an. 397. ubi ſic legere eſt (ibid. pag. 1170.) *ut Clericum alienum, niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita. Clericorum autem nomen etiam Lectores, & Pſalmiſtæ & Oſtiarii retinent*. 4. Ex Can. 7. Concilii Arauſicani I. an. 441. cujus hæc ſunt verba (Tom 3. Lab. pag.1449.) *Si quis alibi conſiſtentem Clericum ordinandum putaverit, prius definiat ut cum ipſo habitet. Sic quoque non ſine conſultatione ejus Epiſcopi, cum quo ante habitavit, eum, qui fortaſſe non ſine cauſſa diu ab alio ordinatus non eſt, ordinare præſumat*. Concinit Decretum iſtud S. Leonis Papæ Epiſt. 84. *Alienum Clericum, invito ipſius Epiſcopo, nemo* 168

nemo ſuſcipiat, & nemo ſollicitet; niſi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque conveniat.

169 Hujus autem inſtituendæ legis ratio fuit multiplex, prout ibid. nu. 28. & ſeq. obſervat Hallerius ibid. pag. 613. Prima neceſſitas ſervandæ pacis inter Eccleſiæ Antiſtites. Cuique enim grave eſt quod Clericos, quibus per ſe aut per ſuos inſtituendis operam multam dedit, alter ſibi invideat & ſpem meſſis rapiat in ſemine. Hinc Venetica * Synodus an. circiter 465. (Tom.4. Lab. pag.1056.) ideo vetat ne *Epiſcopi ab aliis Epiſcopis ordinatos Clericos, ſine permiſſu eorum a quibus fuerint ordinati, promovere ad ſuperiorem Ordinem præſumant; ne*, inquit, *concordiam fraternam injuria illata contaminet*. Sane neminem fugit, Orientem totum miſere commotum fuiſſe, ex nata Hieronimum inter, Joannem Hieroſolymitanum & Epiphanium diſſenſione; eo quod is Paulinianum Hieronymi fratrem ad Ordines promoviſſet.

*Vannes.

170 Secunda, quod alieni Clerici Ordinatio injuriam facit ei a quo primum initiatus eſt, ut dicit mox citata Synodus. Quemadmodum enim injuriam facit domino, qui ſervum ejus ſollicitat; patri, qui filium eripit; fundi alicujus poſſeſſori, qui arborem ab ipſo per multum tempus magno ſtudio excultam, in poſſeſſionem ſuam transfert; ita & Epiſcopo maximam injuriam irrogat, qui eidem ſuum ex collato gradu Miniſtrum, ex tenera caritate filium, ex cura diſcipulum, ex ſpe concepta feracem ramuſculum ſubripit. Ergo *gravis injuriæ reus eſt, qui de fratris Eccleſia id quod eſt utilius aut pretioſius audet vel allicere vel tenere:* S. Leo Epiſt. 12. alias 82. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, Tom. 1. pag. 442. cap. 9.

171 Tertia, quam Can. 17. tradit Synodus Trullana, hæc eſt, quod ex illa uſurpatione ſæpius contingeret Clericos inſoleſcere, & in proprios Epiſcopos rebelles fieri. Qui enim ab unius caſtro in alterius caſtrum tranſmeare poteſt, ibique majora ſperare, vix poterit contineri, & levioris moniti impatiens defectionem comminabitur.

172 Quarta ratio, quam Can. 8. & 9. ſubindicat Arauſicana Synodus I. hæc eſt, quod ordinari nemo debeat, niſi mores ejus, ſtudia, indoles, Ordinanti bene innotuerint: Alioqui enim facile continget ut admittatur immorigerus, pervicax, aut Canonico quodam impedimento detentus: hæc autem omnia longe penitius cognoſcit Antiſtes, cujus, ut ita loquar, ſub oculis quiſquam a puero inſtitutus eſt. Ita Hallerius in ſumma.

173 Suæ tamen, ut idem advertit n.24. pag.611. erant regulæ huic exceptiones. Et quidem 1. cum vacantes erant Eccleſiæ, & ab hoſtibus devaſtatæ provinciæ. Tunc enim ut eorum locorum Epiſcopi ad alias Eccleſias vocari conſueverant, ita & in iis ordinati Clerici, aliis poterant Eccleſiis addici, ne vel otioſi, vel acephali remanerent. Hac de cauſa S. Gregorius M. Lib. 6. alias 5. Epiſt. 11. (Tom.2. p.799. C.) Fortunato, Neopolitano Præſuli *Gratianum*, *Eccleſiæ Venefranæ * Diaconum, cardinandum*, ſeu, ut infra loquitur, *cardinalem* conſtituendum, id eſt ad altiores gradus evehendum, conceſſit.

2. Cum

* Venafrum (*Venafri*) Urbs Campaniæ modica, in Regno Neapolitano, Capuenſi Archiepiſcopatui ſubjecta.

2. Cum plebs ſingulari extranei Clerici pietate commota eumdem 174
in Epiſcopum vel Sacerdotem rapiebat; prout contigit Fulgentio Lentenſi, qui in Vinctorum regione Presbyter, ad Ruſpenſem Eccleſiam; Martino, qui Pictavienſis Eccleſiæ Clericus ad Turonenſem; Paulino, qui ad Presbyteratum, *per vim inflammatæ ſubito plebis* ſacratus eſt, ut ipſe narrat Epiſt. 3. alias 45. ad Alipium. Sæpiſſime vero in his caſibus indubia affulgebant divinæ voluntatis indicia. De lege tamen communi nemo ad Epiſcopatum ſine proprii ſui Epiſcopi conſenſu promovendus erat, uti tum ex Concilio Carthag. 3. Can. 45. tum ex duabus Gregorii M. Epiſtolis, tum & ex Hincmaro Remenſi probat ibid. Hallerius n.25. pag.612. Quod ſi quis, dum pene invitus Sacerdotii jugum ſubibat, conteſtabatur nolle ſe addici Eccleſiæ, in qua Ordinem ſuſcipiebat, prout a ſe factum eſſe ſcribit Paulinus Epiſt. 1. alias 6. ad Severum, poterat is a proprio Epiſcopo repeti; unde in citata mox ad Alipium Epiſtola ait Paulinus, ſe *etſi diverſis locis* degentem, Ambroſii Presbyterum eſſe. Ulterius progreditur S.Hieronymus, qui licet fateatur ſe a Paulino Antiocheno ordinatum eſſe Sacerdotem, negat ſe Clericum eſſe Antiochenum, quia in Ordinatione ſua ſe nullius Epiſcopi Clero addictum iri proteſtatus fuerat.

3. Cum proprius Epiſcopus in ſubditi ſui Ordinationem ab alio fa- 175
ciendam conſentire præſumebatur. Sic initiatus ab Epiſcopis Paleſtinæ Origenes, quia vitæ ſuæ & morum commendatrices ab Epiſcopo ſuo Epiſtolas gereret. Sic ordinati quidam ab Epiphanio in territorio tum Jeroſolymitano, tum & Conſtantinopolitano; quia cum id ſibi ultro permitterent Cyprii Antiſtites, alibi quoque permitti crediderat: Circa quod quantum erraverit, docent Joannis Hieroſolymitani, & D. Chryſoſtomi adverſus eum querelæ. De his plura apud Hallerium num. 26. & 27.

Quæres 2. quandiu diſciplina mox recenſita perduraverit? 176

Reſp. eam videri per decem circiter ſecula ſubſtitiſſe. Cum vero labente diſciplina, & imminuta Epiſcoporum in Clericos auctoritate factum eſſet, ut Clerici pro libito, cui vellent, Eccleſiæ famularentur; quo malum tantum coercerent Rom. Pontifices, ſtatuerunt ut nemo jam poſſet ordinari, ſine ſpeciali Apoſtolicæ Sedis licentia, niſi *ab Epiſcopo, de cujus Diæceſi traxit originem, vel in cujus Diæceſi Beneficiatus* exiſteret: ita circa an. 1266. Clemens IV. Gemino huic originis atque Beneficii Epiſcopo tertium, domicilii ſcilicet, adjunxit Bonifacius VIII. an. circiter 1299. cap.3. *de temporib. Ordinat.* in 6. ubi hæc: *Cum nullus Clericum Paræciæ alienæ, præter Superioris ipſius licentiam debeat ordinare* (juxta Decretum Gregorii X. in Concilio Lugdun. II. an.1274.) *Superior in caſu intelligitur Epiſcopus, de cujus Diæceſi eſt is qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus; ſeu in cujus Diæceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticum; ſeu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem*. Eoſdem tres Epiſcopos Synodus Lingonenſis an. 1404. Senonenſis an 1528. aliæque plures, tamquam Ordinum collatores Ordinarios nominant. At his tribus quartum addidit conſuetudo, non equidem omnino nova, cum eruatur e Canone 8. Concilii Arauſicani I. ſed forte diu interrupta. Juxta hanc vero Epiſcopus familiarem ſuum, ſeu ſuam in fami-

miliam adſcriptum, ſine proprii Epiſcopi conſenſu, ordinari a ſe poſſe exiſtimavit. Quod ut minus noceret Eccleſiæ bono, tria ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ.14. cap.2. & ſeſſ. 23. cap. 9. utroque de reformat. 1. Ut *nemo Epiſcoporum, qui Titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis, etiam exempto, aut in aliquo Monaſterio cujuſvis Ordinis, reſederint aut moram traxerint, vigore cujuſvis privilegii, ſibi de promovendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis & continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprii Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis, ad aliquos ſacros aut minores Ordines, vel primam Tonſuram promovere, ſeu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exercitio Ordinum ſic ſuſceptorum, donec Prælato ſuo viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi;* 2. ut *Epiſcopus quivis familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus;* 3. ut *Beneficium, quacumque fraude ceſſante ſtatim reipſa illi conferat: conſuetudine quacumque etiam immemorabili in contrarium non obſtante.*

177 Poſtremi hujus Decreti occaſione duo poſt Navarrum Lib.1. Conſil. Conſil.13. obſervat Hallerius ibid. art.2. n.6. pag.616. Epiſcopum ſcilicet, qui commenſalem ſuum ordinat, neque cum eo, ſi illegitimus ſit, ad Ordines minores diſpenſare poſſe; neque in gratiam ejus relaxare legem de inſterſtitiis, tum inter minores ipſos, tum inter eoſdem & Subdiaconatum conſtitutam.

178 Ratio primæ partis eſt, 1. quod privilegia non extendantur ultra perſonam & caſum expreſſum, ex cap. *Porro, de privilegiis*, & Can. *Privilegia*, diſt. 3. Atqui conceſſum a Tridentino commenſales Clericos minime ſubditos, ordinandi privilegium, in Ordinatione ſiſtit, & qua tale, amplum eſt. Ergo non ita extendendum eſt, ut cum iis etiam, ſi irregulares ſint, diſpenſari poſſit; 2. quod e ſeparatis non fiat illatio, ex cap. 3. *de decimis*. Atqui ſeparatæ ſunt ac diverſæ poteſtates ordinandi ac diſpenſandi; 3. quia Tridentina lex alienæ Diœceſis ſubditum non ſubjicit Epiſcopo cujus e familia eſt, niſi quoad Ordinationem. Ergo non quoad cetera.

179 Ratio ſecundæ partis iiſdem Theologis hæc eſt, 1. quod licet interſtitia ut plurimum Epiſcopi arbitrio relinquantur, ejus tamen arbitrio ſolum relinquantur, cujus eſt expendere an eorum relaxatio ſit Eccleſiæ utilis vel neceſſaria. Atqui id expendere non eſt Epiſcopi, qui alienum ſubditum, in alia forte Diœceſi laboraturum ordinat. 2. Quod ex Reg. 28. juris in 6. *quæ a Jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda*. Porro licentia familiarem ſuum ordinandi, a Jure communi exorbitat quam maxime. Hæc illi, quibus concinunt Sayrus, Garcias, Ugolinus, Bonacina, & alii plures, quos ſequitur Barboſa in cit. cap. 9. ſeſſ. 23. Concilii Trid. qui id deciſum referunt. Vide Marchini part.7. cap.4. per totum.

180 Nec obſtat quod ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. *liceat Epiſcopis in irregularitatibus* ibidem vel alias a jure aſſignatis, *diſpenſare quoſcumque ſibi ſubditos;* (quod & nos docuimus Tom. 2. de diſpenſation. Lib. 2. part. 6. cap.4. num. 6.) ſubditi autem cenſeri debeant, qui per triennium ſunt de Epiſcopi familia. Neque enim familiares etiam

iam per triennium, ſubditi ſunt ad mentem ſacræ Synodi; quod ſatis declarant hæc ejus verba: *Epiſcopus familiarem ſuum, non ſubditum, ordinare non poſſit*, &c. Is ergo ſolum vere fit ſubditus Epiſcopo quantum ad diſpenſationem, qui in ejus Diœceſi domicilium figit, quod non ſemper faciunt commenſales, ad ſua poſt certum tempus redire paratiſſimi, &c. Atque hinc confirmatur quod ibid. pag. nunc 467. docui, nimirum ad domicilii acquiſitionem, quantum ad diſpenſationes, non ſufficere, ut quis per ſex menſes in aliena Diœceſi commoretur. Hæc & alia plura ad idem punctum ſpectantia ut intelligantur,

Quæres 3. quis cenſeri debeat Epiſcopi familiaris.

Reſp. eum communiter intelligi, qui præſens per triennium inſerviit Epiſcopo, aut ejus familiaribus, qui ab eo aluntur. Non eſt tamen neceſſum ut in ipſius domo comedat, ſed ſufficit ut domi ſerviens, extra ipſam alatur ejuſdem impenſis. Qui vero ſervit extra domum, licet ab Epiſcopo alatur, non eſt familiaris ad effectum hunc; neque enim abſentis mores perſcrutari ſatis poteſt Epiſcopus. Unde duo ad familiaritatem exiguntur a Rota, nempe mens & dens: ubi *mens* ſervitium certum deſignat. 181 *Epiſcopus familiaritatis.*

Quæres 4. quæ ſint triennii a ſacra Synodo requiſiti conditiones. 182

Reſp. Has paſſim aſſignari, 1. ut triennium illud ſit continuum; 2. ut ſit completum; 3. ut ſit perſonale; ſeu ut a prædeceſſore ad ſucceſſorem non extendatur; neque enim quia a Petro, cui per triennium fui a ſecretis, Tonſuram accepi, poſſum a ſucceſſore ejus ad Minores promoveri, niſi & ei per tres annos inſervierim; ut bene Pontas v. *Ordres*, caſ. 3. Ratio eſt quia in odioſis verba ſtricte ſunt interpretanda. Porro Epiſcopis odioſum eſt, quod juriſdictioni ſuæ ſubtrahantur, qui eidem quaſi ex natura rei ſubjacent. Ergo licet in favorabilibus annus inceptus pro completo haberi conſueverit, non tamen in præſenti.

Poteſt nihilominus familiaris Epiſcopi ab ipſo promoveri ad Ordines, ſi id Eccleſiæ utilitas poſtulet; etiamſi ſervitus ejus toto triennio incœperit antequam ille ad Epiſcopatum aſſurgeret. Ita pluries a ſacra Congregatione reſolutum eſt; ſeu quia æque ſufficiat triennium illud ad explorandos familiaris mores; ſeu quia propoſitio abſolute enuntiata, abſolute intelligi debet. Porro ſancta Synodus abſolute permittit ut Epiſcopus ſuum familiarem poſt triennium ordinet. Verum non poſſet Epiſcopus ordinare eum qui mediam triennii hujus partem cum prædeceſſore ſuo, mediam ſecum tranſegiſſet; tum quia privilegia, ut odioſa, reſtringi debent; tum quia non eſt per triennium familiaris meus, qui fuit alterius: Ita Sambovius Tom. 1. caſ. 12. Babin. pag. 172. 183

Quæres 5. quale & quo tempore Epiſcopus familiaritatis titulo quempiam ordinans, eidem Beneficium conferre teneatur. 184

Reſp. ad 1. pluribus olim viſum fuiſſe, Beneficium quamvis exiguum ſufficere, ut videris apud Barboſam in cap. 3. *de temporib. ordin.* in 6. n. 6. Verum Innocentius XII. ubi infra, ſtatuit ut Beneficium familiari, quem Epiſcopus *per integrum & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit*, conferendum, *ei ad vitam ſuſtentandam*,

(*ſive juxta taxam Synodalem, ſive ea deficiente, juxta mores Regionis pro promovendis ad ſacros Ordines, deductis oneribus per ſe*) *ſufficiat*.

185 Reſp. ad 2. ex citato Tridentini textu neceſſum eſſe ut *ſtatim* conferat. Quod verbum etſi Vaſquez diſp. 243. n. 49. ſic interpretatur, ut ſufficiat familiari conferre Beneficium, quod primum vacaverit, & interim eum habere commenſalem, ne mendicare cogatur: Alii communiter tam ſtricte olim intelligebant, ut Beneficii hujus collationem ultra decem dies protrahi nollent. Utique rejiciendam eſſe Vaſquezii opinationem inde liquet, quod declaravit S. Congregatio, Epiſcopum qui poſt ſex menſes Beneficium contulerat, Decreto Trid. non ſatisfeciſſe; unde eum in pœnas ordinantis non ſuos incidiſſe docuerant exinde Theologi plures apud Farinacium. At litem hanc an. 1694. compoſuit Innocentius XII. in Conſtitutione pluries ſubinde citanda, ubi *ſtatim* Trid. Concilii ſic explicat, ut Epiſcopus familiari a ſe ordinato Beneficium, *ſaltem intra terminum unius menſis a die factæ Ordinationis*, conferre teneatur. Ceterum ſtatim ut familiari ſuo Beneficium contulit Epiſcopus, poteſt, ante ipſius triennii finem, eum ordinare, non ratione familiaritatis ſed ratione Beneficii, qui legitimus eſt non familiarem modo, ſed & extraneum ordinandi titulus, ex cit. Bonifacii VIII. Decreto.

Quæres 6. an hæc collatio Beneficii ſtatim facienda ut familiaris ordinari poſſit, de ipſa etiam Tonſura intelligi debeat.

186 Reſp. affirmat. ideo enim a Tridentino requiritur collatio Beneficii, ut ratione illius ordinandus familiaris Epiſcopo ſubjectus evadat; cum alioquin ſoli originis aut domicilii Epiſcopo ſubjectus permaneret. Et ita docent Navarrus, Zerola, & alii quos ſequitur Marchini Tract. 1. part. 5. cap. 9. num. 9. Atque id pluries a Rota Romana judicatum fuit.

187 Quæres 7. an Epiſcopus familiarem ſuum ab interſtitiis diſpenſare poſſit.

Reſp. poſſe, poſtquam ei de facto Beneficium contulit reſidentiam exigens, quia tunc ei fit vere ſubjectus; unde & circa eum poteſt, quidquid poteſt Epiſcopus originis, vel domicilii: Non poſſe vero ex ſolo titulo familiaritatis, & ante factam Beneficii collationem. Sed de hoc, jam ſupra n. 179. Vide & inferius n. 204.

188 Quæres 8. an Epiſcopo triennalem ſuum familiarem ordinare liceat ſub titulo penſionis aut patrimonii.

189 Affirmant Garcias part. 2. de Benefic. cap. 5. n. 81. Bonacina de ſuſpenſionib. in part. Barboſa in cap. 9. Trid. n. 13. qui id deciſum referunt, quo in caſu id exigit utilitas Eccleſiæ cui præeſt Epiſcopus. Negat e contra Marchini Tract. 1. part. 5. cap. 9. n. 15. niſi idem Epiſcopus ſtatim Beneficium conferat. Ratio eſt 1. quod nemo ratione penſionis vel patrimonii efficitur alieno Epiſcopo ſubditus. Atqui ad Ordinationem activam & paſſivam requiritur ſubjectio ordinandi, ex cit. cap. *cum nullus*, 3. *de temp. ordinat.* 2. Quod Trid. Synodus Beneficium expreſſe requirat: penſio autem non eſt Beneficium. Immo, ait idem, nec ſufficit Beneficium quodcumque, ſed requiritur a familiaritatis Epiſcopo conceſſum. Unde non poſſet is familiarem ſuum, qui in aliena Diœceſi Beneficium poſſidebat, ordinare, uti deciſum eſt die 22. Aprilis 1617.

Etſi

Etſi ſecundæ hujus opinionis momenta oppoſitis graviora videntur, primam tamen, quæ Garciæ eſt, practice teneri poſſe puto, prout eam tenuerunt Cabaſſutius Lib. 1. Theor. &c. cap. 14. n. 2. Flaminius Pariſius & alii quos ſequitur Pontas v. *Ordres*, cap. 4. Ratio mihi potior non ea eſt, quod ſic nullum incumbat ordinato mendicitatis periculum, cui occurrere voluit Trid. Synodus; ſed quod ita reſolverit ſacra Congregatio. Haud tamen ſatis ſcio an reſolutiones ejus admodum conveniant cum iis quæ ex Innocentii Conſtitutione referemus qu. 11. ad 2.

Quæres 9. an originis Epiſcopus cenſeatur is cujus in Diœceſi quis natus ſit, an is cujus in Diœceſi renatus eſt per Baptiſmum: an æque alteruter. 190 *Epiſcopus originis.*

Reſp. jure veteri conſtitutum eſſe, ut Epiſcopus loci in quo quis regeneratus eſſet, originis Epiſcopus haberetur: quod ſatis exhibent hæc tum Eliberitani Concilii verba Can. 24. *Omnes qui in peregrinatione fuerint baptizati, eo quod eorum minime ſit cognita vita, placuit ad Clerum non eſſe promovendos in aliis Provinciis*; tum & Canon 44. Concilii III. Carthaginenſis, (Tom. 2. Lab. pag. 1175.) in quo amare conqueritur Epigonius Epiſcopus, quod hominem a ſe baptizatum Julianus Epiſcopus ſibi arripuiſſet, eo prætextu quod *loci Vzaritani*, in Diœceſi ſua poſiti, *civis* eſſet: niſi forte civis incolam ſignificet. Neque id mirum, quia cum vulgo baptizarentur adulti, non inquirebant Paſtores quid illi ante Baptiſmum egiſſent. *Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, judicare*, ait Apoſtolus I. Corint. 5. Illis ergo ſatis erat, ſi poſt Baptiſmum dignam homine Chriſtiano vitam duxiſſent. Id autem a nemine melius reſcire poterant, quam ab Epiſcopo, qui Cathecumenum inſtituerat, mores ejus ſedulo exploraverat, in Chriſto regeneraverat, Neophiti greſſibus invigilaverat, &c. Verum conſtituiſſe videtur citato jam pluries capite Bonifacius VIII. ut is originis Epiſcopus ſit cujus in territorio quis carnaliter natus eſt: quia is vere *de Diœceſi oriundus* dicitur, qui in ea primam lucem conſpexit. Non deſunt tamen hodiedum Canoniſtæ & Theologi, qui utrumque ſeu primæ, ſeu ſecundæ nativitatis Epiſcopum, originis Epiſcopum eſſe contendant; immo qui hunc illi præferri velint, prout ex Hallerio part. 2. ſect. 5. cap. 3. art. 1. obſervat Collator Andegav. qu. 4. Menſis Maji de Ord. pag. mihi 150. ubi & admonet, Sambovii Tom. 1. caſ. 13. mentem hanc fuiſſe, ut in Gallia liberum ſit ab alterutro Epiſcopo dimiſſorias Litteras accipere.

Ut ut eſt, ſanior videtur opinio, quæ partus & nativitatis Epiſcopo jus ordinandi adſcribit; 1. quia Bonifacius VIII. hunc indicat, 191 tum citatis verbis, *de Diœceſi oriundus*, tum & his quæ ſequuntur, *ſeu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium*: ubi *oriundus* per *natum* explicatur: non eſt autem natus quis in loco, quia ibidem renatus ſit. 2. Quia Innocentius XII. in Conſtitutione die 14. Novemb. an. 1694. quæ incipit: *Speculatores domus Iſrael* id aperte definit: *Ceterum*, inquit, *ſubditus ratione originis is tantum ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodo tamen*, &c. ut infra. 3. Quia eadem opinio & magis congruit verbis Conventus Gallicani multiplicis, & hodie videtur receptior.

P 2 Quam-

Quamquam ſolum regenerationis Epiſcopum commemorat Em. Card. le Camus in Stat. Tit. 6. art. 8. ſect. 4. n. 2. *Les Saints Canons déclarent, que c'eſt à l'Eveque, dans le Diocèſe duquel une perſonne a reçu le Bapteme, à lui donner la Clèricature*, &c. quem locum citat, nec redarguit Gibert conſult. 7. de Ordine, pag. 36.

192 Quæres 10. utrumne Epiſcopus loci in quo quis natus eſt, ſemper originis Epiſcopus cenſeatur.

Reſp. neg. contrarium quippe definiit Innocentius XII. cit. Bulla, *Speculatores*, ubi poſtquam ſanxit, eum dumtaxat ratione originis ſubditum intelligi, qui in certa Diœceſi ortus eſt, ſubdit continenter: *Dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti occaſione, nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus patris in illo loco: quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantum & naturalis patris origo erit attendenda.* Et vero non ibi quis originem habere putandus eſt, ubi non habet jus civicum & municipale. Atqui infans extra paternum ſolum fortuito natus, nec loci ubi natus eſt, civis efficitur, nec inibi jus habet municipale. Atque hinc reſolvit Hugolinus, filium, ſi in mari natus ſit, habere originem in domicilio patris. Id autem domicilium eſt, non quod quis deſerit, ſed ubi fortunam & lares ponere conſtituit.

193 Addunt Navarrus & Barboſa, ipſius etiam patris originem, quoad ſuſcipiendos Ordines attendendam eſſe; ita ut poſſit quis ab Epiſcopo loci, in quo pater ejus natus eſt, Ordinibus initiari. Verum doctrina hæc quæ originis Epiſcopos perículoſe multiplicat, cum laudata Innocentii XII. Conſtitutione cohærere non poteſt. Sic enim proſequitur S. ille Pontifex: *At ſi pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiu, ac eo animo permanſerit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, ſed domicilium per patrem legitime contractum, pro Ordinatione ejuſdem Filii attendi debeat.* Ubi nec omittendum quod ante docet idem Pontifex, videlicet, *quod ſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci Litteras Teſtimoniales obtinere, illaſque Epiſcopo ordinanti, per eum in collatorum Ordinum teſtimonio ſimiliter recenſendas, præſentare teneatur.*

194 Sed num etiam origo matris in filii Ordinatione attenditur?

Reſp. negat. cum Anacl. Reiffenſtuel. in tit. XI. Lib. 1. Decretal. n. 92. Ratio eſt quia ex leg. *filios*, cod. *de municipalib.* Lib. 10. filius non matris, ſed patris ſolius originem ſequitur.

195 Verum hæc regula fallit. 1. in illegitimis, qui matrem, ejuſque originem ſequuntur ex Jure; & ideo, ſi diſpenſentur a defectu natalium, in loco originis matris, quando hæc alibi domicilium non contraxit, ordinari poſſunt; 2. in expoſitis, qui, cum eorum parentes ignorantur, vel in loco, ubi naturaliter orti ſunt, ordinari valent, ut ſupra; vel ſi de hoc conſtare nequit, in loco ubi expoſiti reperiuntur.

196 *Epiſcopus Beneficii.* Quæres 11. an & qua conditione poſſit quis ab Epiſcopo ordinari ratione Beneficii in ejus Diœceſi obtenti.

Reſp. ad 1. ſtando in jure communi poſſe dubio procul quempiam ratione Beneficii ab alieno Epiſcopo Ordines ſuſcipere. Ita ſancitum

cit.

cit. cap. *Nullus*, 3. *de temp. ordin.* cujus diſpoſitio nulla hactenus contraria lege infirmata eſt.

Reſp. ad 2. his ſolum conditionibus poſſe quempiam in præſenti caſu ordinari, 1. ut Beneficium illud ſit vere Eccleſiaſticum; 2. ut non ſit in ſpe etiam proxima, ſed actu poſſeſſum; 3. Quidquid olim ſenſerint Garcias, Barboſa & alii plures, ut Beneficium illud *ejus ſit reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem* (ut ſupra n. 184.) *per ſe ſufficiat, illudque ab Ordinando pacifice poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi quod deficeret fructibus ejuſdem Beneficii cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diœceſi obtineret*. Ita idem Innocentius XII. 197

Nihil vero intereſt an idem Beneficium ab Ordinante Epiſcopo, an ab alio quovis collatum fuerit; an in titulum detur, vel in commendam, modo hæc perpetua ſit; an reſidentiam poſtulet, necne; licet in hac parte docti doctis contradicant; an demum Ordinandus plura variis in Diœceſibus obtineat Beneficia: tunc enim ab uno ex Epiſcopis illis poterit ordinari. Sic Barboſa in eumdem Tit. 9. Lib. 1. Sexti. 198 *V. Marchini Tr. 1. p. 5. c. 8. n. 4.*

Nec dicas hanc fore multiplicis mali radicem: quia Clericus nequam ad eum e pluribus Epiſcopum recurret, a quo ſe confidet lenius tractatum iri. Huic ſiquidem gravi incommodo occurrit Innocentius XII. in eadem an. 1694. Conſtitutione: poſtquam enim declaravit, *nulli Epiſcopo, ſeu cujuſvis loci Ordinario, tametſi Cardinalatus honore fulgeat, licere* deinceps *externum quempiam, ac ſibi ratione originis, ſeu domicilii juxta modum inferius declarandum legitime contracti non ſubditum, ad Clericalem Tonſuram promovere, cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici ei, ſtatim ac Tonſura hujuſmodi inſignitus fuerit, conferendi, ſeu ad quod is a Patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit, prætextu; etiamſi Beneficium prædictum, de novo ea expreſſe adjecta lege fundatum fuiſſe conſtiterit, ut quis immediate poſt Clericalem caracterem ſuſceptum ad illud inſtituatur*, ſic pergit omnia præcavens Pontifex: *Præterea Clericum, qui legitime jam a proprio Epiſcopo ad eandem Clericalem Tonſuram, ſeu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non poſse ab alio Epiſcopo, ratione ac titulo cujuſcumque Beneficii in illius Diœceſi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, niſi, ante eorumdem ſuſceptionem, Teſtimoniales Litteras proprii Epiſcopi, tam originis, quam domicilii, ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus & vita, ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo Ordinanti, in Actis illius Curiæ conſervandas, exhibuerit*. His porro illibate ſervatis ii jam ſolum circa extraneum Clericum decipientur Epiſcopi, qui decipi voluerint. 199

Quædam hic animadvertenda: 1. eum qui plura habet variis in Diœceſibus Beneficia, poſt receptum ab uno Epiſcopo Subdiaconatum, poſſe ab alio promoveri ad Presbyteratum. Neque enim vel ulla lege, vel proprio arbitrio, uni præ alio alligatus eſt. Unde ſicut qui duplex habet domicilium, a duplici Parocho Sacramenta de Jure communi recipere poteſt; ſic & ille. Nec vereri eſt, ne hoc modo, quo quis plures habeat Superiores, eo magis nullum habeat. Statim enim ut, juxta mox allatam Innocentii XII Conſtitutionem a nullo poteſt ordinari ſine teſtimonialibus proprii Epiſcopi Litteris; perinde ſe habet ut qui dimiſſoriis indiget; & cogitur, etiamſi Teſtimoniales 200

illas Litteras inique deneget proprius Epiſcopus, hærere in via, donec res ſuperiori auctoritate dijudicetur. Non me fugit, generatim loquendo, præſumendum eſſe in gratiam Superioris: ſed neque me præterit nonnumquam fieri ut Superiores inique decepti poteſtate ſua utantur in malum, & eos a Sanctuario eliminent, quos pii quique Antiſtites in ipſum intrare, non ſinant modo, ſed & compellant,

201 2. Beneficium in fraudem datum vel acceptum non prodeſse ad Ordines. Ratio eſt quia *fraus & dolus*, ut axiomatis loco eſt in Jure, *alicui patrocinari non debent*. Unde Proſp. Fagnan, cui ſuffragantur omnes: *Si* Clericus *Beneficium in fraudem ſibi conferri curavit*, *ut eludat examen ac judicium ſui Ordinarii*, *cenſetur male promotus*, *& remanet ſuſpenſus ab executione Ordinum*, *tamquam ordinatus a non ſuo Epiſcopo*, *juxta cap.* 8. *Seſſ.*23. *Concilii Trid.* Atque adeo ſi in ſuſceptis Ordinibus miniſtraverit, contrahit irregularitatem, prout ſæpe declaravit S. Congregatio, præſertim autem die 7. Septemb. an. 1662. in reſponſione ad conſultationem Epiſcopi Cadurcenſis facta; ubi & addidit, ex legitimis conjecturis ad Juris præſcriptum dignoſci debere an fraus interceſserit. Idem reſponſum eſt Em. Card. Aquavivæ, qui cum apud Pontificem conqueſtus eſset, quod quidam, cum Neapoli primam Tonſuram, vel quatuor Minores ſuſcepiſsent, deinde ad ſubterfugiendum examen & probationem patrimonii ſufficientis, aliquem adirent ex vicinis Epiſcopis, a quo provideri de aliquo, vel tenuiſſimo, Beneficio curabant, cujus ratione tamquam Epiſcopo illi ſubditi, ab eo ad Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus Ordinem promovebantur; ac mox Neapolim reverſi, Ordines per ſupradictam fraudem receptos in hac ſua Diœceſi exercebant: *Congregatio Concilii cenſuit*, *nec item hos ad effectum Ordinationis Beneficium adipiſcentes debere ordinari ab Epiſcopo conferente Beneficium; Ordinatoſque in ſuſpenſionem incidiſſe*, *& Epiſcopum a collatione Ordinum per annum etiam eſſe ſuſpenſum*. Atque hinc colliges quid ſentiendum de illis Ordinationibus, quæ ratione volatilis cujuſdam Beneficii ſic geminantur, ut intra decem annos, decem ut minimum numerentur Titulares.

202 3. Suſpectum videri id quod docet Hugolinus, Tract. de Officio Epiſcopi, cap. 26. §. 3. videlicet poſse Epiſcopum, ut quempiam ordinet, ei Beneficium intentione hac largiri. Hæc enim agendi ratio non juris ſui uſum, ſed dolum & fraudem eructat, nempe animum ſubtrahendi alicujus a proprii Epiſcopi Juriſdictione, eumve ſibi devinciendi; quod cum ab antiquis Canonibus ſevere reprehenſum ſit, admitti nunc non poteſt, niſi evidenter permiſsum probetur. Adde quod, ſi Epiſcopus licite cuipiam Beneficium hac mente conferre poſſit, ut eum jam ſuum ſtatim ordinet, nihil erat cur Tridentinum continuatam toto triennio cum Epiſcopo commorationem exigeret: multo promptius erat Beneficium largiri & eadem vel ſequenti die ad Ordines promovere. Poteſt tamen id admitti pro caſu injuſtæ a proprio Epiſcopo perſecutionis.

203 4. Seu poſſit, ſeu non poſſit Epiſcopus familiarem ſuum ordinare ſub titulo penſionis, de quo ſupra, nu. 189. non poſse eum cuipiam Ordines conferre, eo ſolum quod in Diœceſi ſua penſionem habeat Ec-

cleſiaſticam. Ratio eſt quia penſio, nec Beneficium eſt, nec hominem facit ſubditum Epiſcopo in cujus Diœceſi ſtat Beneficium penſione oneratum: unde ſuæ ſunt frequenter penſiones, non Cardinalibus modo, ſed & aliis pluribus, qui ab Epiſcopi Juriſdictione immunes ſunt. Ita Garcias, Part. 2. de Benef. n. 7. & Marchini, ibid. num. 9. p. 92. ubi neminem citat in contrarium.

5. Dubitari a Theologis an Epiſcopus, qui Clericum ſibi ratione ſo- 204
lius Beneficii, non autem domicilii, ſubditum ordinat, poſſit eumdem ab interſtitiis diſpenſare. Affirmant enim nonnulli cum Garcia & Barboſa, hac freti ratione, quod qui ratione Beneficii ſubjectus fit quoad Ordines, quoad ea etiam ſubditus fieri debeat, quæ ad Ordines ſpectant, proinde quoad interſtitia. Verum negant alii cum Navarro, Lib. 1. Conſil. de tempor. Ordinat. Conſil. 26. Marchini, ib. n. 13. &c. 1. quia is unus ab interſtitiis diſpenſare poteſt, qui poteſt judicare an Eccleſiæ ſuæ utilitati expediat ut is vel ille citius ordinetur. Atqui judicium hoc ferre non poteſt, qui ratione ſolius Beneficii extraneum ordinat; quia hunc non ſibi, ſed magis Epiſcopo domicilii ordinat: 2. quia triennalis familiaris fit Epiſcopo ſubjectus quoad Ordines, ſub pacto conferendi eidem Beneficii; nec tamen per hunc ab interſtitiis diſpenſari poteſt, ut ſupra dixi. Hæc illi.

Mediam ego ſententiam non illubens ſequerer, juxta quam non poſ- 205
ſet Epiſcopus diſpenſare ab interſtitiis eum qui ſubditus tantum ſibi ſit ratione Beneficii, neque reſidentiam poſtulantis, neque hanc de facto habituri: poſſit vero eum diſpenſare qui Beneficium reſidentiam exigens cum animo reſidendi obtinet; quia is duplicem jungit titulum, nec ratione ſolum Beneficii, ſed & domicilii ſubditus evaſit: unde hunc non alii Eccleſiæ, ſed ſuæ ordinat Epiſcopus. Neque ideo perimetur diviſio Epiſcopi Ordinantis in Epiſcopum Beneficii, domicilii, &c. ut per ſe manifeſtum eſt; ſed ſolum fiet ut dum eorum quilibet ex æquo Ordines conferre poterit, non æque omnes ab interſtitiis diſpenſare valeant.

Quæres 12. an & quis ratione domicilii poſſit ab alio quam origi- 206
nis & Beneficii Epiſcopo Ordines ſuſcipere. *Epiſcopus domicilii.*

Reſp. ad 1. affirmat. nec ſolum ab eo poſse ordinari, ſed & ab eo, quaſi vere ſubditum, dimiſsorias Litteras recipere. Ita communis, & patet ex cit. cap. *Cum nullus*.

Reſp. ad 2. caute in hac materia ſecerni debere *domicilium* a *quaſidomi-* 207
cilio. Ad quaſidomicilium ſufficit habitatio dumtaxat temporalis, puta per majorem anni partem, aut etiam per plures annos, ſeu propter ſtudium, ſeu propter negotia quædam alicubi continuata, ſine animo ibidem in perpetuum commorandi. Ad domicilium vero opus eſt *facto* & *animo*, facto quidem, ita ut quis ſe in locum cum rebus ſuis, vel majori earum parte transferat: animo autem, ita ut non habeat intentionem ab eo loco recedendi (ſic enim nequidem per annos mille domicilium contraheret) ſed ibi manendi perpetuo; ſeu, ut ajunt, perpetuitate propoſiti, licet poſtmodo propoſitum & domicilium mutari poſſint. Jam vero licet quaſidomicilium ad aliorum Sacramentorum receptionem ſufficere poſſit, non tamen ad ſuſcipiendos Ordines; ne minus idoneos,

quorum improbi mores per brevem temporis moram detegi non potuerunt, ad hos promoveri contingat.

208 De domicilio hæc ſtatuit Innocentius XII. cit. Conſtit. *Speculatores: Subditus ratione domicilii ad effectum ſuſcipiendi Ordines, is dumtaxat cenſeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis ædibus in locum hujuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuo ibidem permanendi animum demonſtraverit, & nihilominus ulterius utroque caſu ſe vere & realiter animum hujuſmodi habere jurejurando aſſirmet. Si quis tamen a proprio originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii ſuæ originis teſtimoniales Litteras, ut ſupra, afferre debebit; ac de illis expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum Litteris facienda erit.*

209 Hic quædam notanda, 1. eum qui duo paria, vel prope paria duabus in Diœceſibus domicilia ſortitur, in utraque Ordinibus donari poſſe: alioqui habendam eſſe principalioris domicilii rationem; illius ſcilicet in qua diutius quis ſedem figit.

210 2. Exiſtimare non paucos, eum, qui poſtquam a ſuo originis Epiſcopo ordinatus eſt ad titulum, ſeu Beneficii reſidentiam exigentis, ſeu patrimonii quidem, ſed ad utilitatem propriæ Eccleſiæ, domicilium in aliam Diœceſim transfert, non poſſe ab alio domicilii Epiſcopo ad ſuperiorem Ordinis gradum evehi; ſed ad priorem Epiſcopum remitti debere, ut ei ſerviat Eccleſiæ, cui fuit adſcriptus: ita Piaſecius, Marchini eod. cap. 7. n. 14. Barboſa part. 2. de Offic. Epiſc. Allegat. 4. n. 42. Id lubens admiſero, ſi ante Ordinationem præceſſerit ſtipulatio inſerviendi huic Eccleſiæ: ſecus, non. Cum ex dicendis, n. 217. p. 466. poſſit quis ab uno ordinatus alios ab alio Ordines ſuſcipere. Nec obeſt, quod ex Tridentino, ſeſſ. 23. cap. 16. *Nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius Eccleſiis ſuis*. 1. Quia aliud eſt quod quis Eccleſiæ utilis, ſeu, ut habet caput 4. ibid. *Deo fidelem cultum præſtiturus* judicetur; aliud quod ita Ordinantis Eccleſiæ alligetur, ut nec alibi Canonicatum recipere, nec alio cum ſtirpe ſua domicilium transferre valeat. 2. Quia ſtat tota Lex Tridentina, ſi quem Petrus ordinavit, quia Eccleſiis ſuis utilem judicabat, hunc Paulus ſui jam juris ex Beneficio vel domicilio factum ordinet, quia etiam judicat Eccleſiis ſuis utilem fore. 3. Quia quidquid ſit de rigore Juris, multi quotidie ordinantur, qui nulli Eccleſiæ vel loco adſcribuntur, aut actu adſcribi poſſunt, puta qui ſtudent in Univerſitatibus. 4. Quia alioqui redarguendus foret Epiſcopus, qui Miniſtris abundans quoſdam ordinaret, ſeu in remotis Miſſionibus, ſeu viciniis Epiſcopis ſervituros.

211 3. Attento novo Jure Innocentii XII. jam ad Ordines ex titulo domicilii recipiendos, non eſſe ſatis ut quis veram coram Deo habeat intentionem in hoc loco commorandi, quam & jurejurando affirmare valeat, ſed requiri ut ibidem *per aliquod conſiderabile tempus* commorari incœperit. Erunt autem, judicio meo, tres aut quatuor anni tempus conſiderabile.

Quæ-

Quæres 13. an diſciplina, quæ quadruplicem Ordinis conferendi 212
Epiſcopum admittit, in Galliis recepta ſit?

Reſp. vehementer optaſſe Gallicanos Præſules, potiſſime vero in Comitiis generalibus, an. 1635. 1655. 1660. & 1665. ut ſola haberetur ratio Epiſcopi originis: quod ut obſervaretur, ceteros Regni Præſules per encyclicas Litteras adhortati ſunt. Horum rationes nequaquam tanta Eccleſia indignæ, hæ fuerunt, 1. quod ſimulatum domicilium a vero ſecerni facile non poſſit; cum ſæpe fiat ut quis in aliena Diœceſi diu commoretur, cum animo dulcem patriam reviſendi; 2. quod vereri ſit, ne qui in aliena Provincia ordinari ambiunt, eo confugerint, ut Ordinatori ementita pietate fucum facerent; 3. quod ne decennalis quidem habitatio veri domicilii certa probatio ſit; cum plures, ſeu ſtudii, ſeu alicujus officii cauſſa, in alieno ſolo ædes extruant, prædia comparent, fœdera jungant, &c. qui tamen animum habent proprios lares repetendi; 4. & hæc ad Beneficii titulum ſpectant, quia multi non alio intuitu extra propriam Diœceſim Beneficia obtinuerunt, quam ut Epiſcopi proprii juriſdictionem declinarent; 5. quia quo tempore plures nullius ſpei, non tam ornantur, quam onerantur Beneficiis in variis Diœceſibus, intolerandum eſt quod quis eo facilius ubicumque ordinari valeat, quo plus deflectit a regula; 6. quia jam deſierunt cauſſæ propter quas Clemens IV. & Bonifacius VIII. parem Epiſcopi, tum originis, tum & Beneficii rationem haberi voluerunt. Nimirum utriuſque hujus Pontificis tempore nondum, communiter ſaltem, collapſa erat vetus diſciplina, quæ Clericos ſtatim ac Beneficio potiebantur in aliqua Eccleſia, eidem Eccleſiæ perpetuo addicebat: unde cum in ſuo, eoque unico Beneficio, quiſque localiter ac perſonaliter præſens ſtare teneretur, non poterat is Epiſcopi ſui vigilantiam fallere; prohinc quam bene vel male moratus eſſet, facile intelligebatur. Nunc vero, ubi inducta Beneficiorum pluralitate, quæ ſola ſæpe ab Ordinibus arcere deberet, cuique foret liberum ab hoc vel ab illo ordinari; non raro eveniret, ut ad majores Ordines, indigni minoribus, graviſſimo Eccleſiæ damno, intruderentur. Fatendum tamen his malis, ut plurimum mederi Innocentianam Conſtitutionem, ſi, ut par eſt, obſervetur. Ut ut eſt,

Reſp. 2. nulla, quæ obliget, lege cautum eſſe in Galliis, ne ipſe etiam 213
familiaritatis, domicilii aut Beneficii Epiſcopus, eos qui uno ex his titulis ſibi ſubjaceat, ad Ordines promoveat, poſitis ponendis. Ratio eſt quod primævæ leges tamdiu ſubſiſtunt, donec canonice revocentur. Atqui 1. dudum in Galliis conſtitutum eſt, ut ad Epiſcopum Beneficii recurrere liceat, ut & ad Epiſcopum originis. Sic Lingonenſis Synodus an. 1404. *Ordinandus ordinari poteſt ab Epiſcopo in cujus Diœceſi natus eſt, aut habet Beneficium Eccleſiaſticum, vel habet ibi domicilium, licet non fuerit ibi natus*. Sic Concilium Provinciæ Senonenſis, an. 1528. in decreto de moribus, cap. 5. *Et quamvis Epiſcopus originis, Beneficii, aut domicilii, non ſolum ad Ordines promovere, ſed etiam Litteras dimiſſorias ad ipſos Ordines concedere poſſit*, &c. Sic Concilium Aquiſextienſe, ann. 1585. quod a Sixto Quinto approbatum eſt, Titul. *Quæ ad Sacramenti Ordinis adminiſtrationem pertinent*, docet, quod qui ordinari vult, probare

debeat,

debeat, *ſe vel origine, vel Beneficio quod in Diœceſi obtineat, vel decennali domicilio, vel alia ratione Diœceſanum eſſe*. Idem ſtatuit Concilium Narbonenſe, an. 1609. cap. 20. *Statuimus*, inquit, *quod in poſterum nulli Epiſcopi Ordines, vel Litteras conferant dimiſſorias, niſi his quos ſciverint de ſua Diœceſi oriundos, aut qui in ea per tres annos Beneficium pacifice poſſederint annui valoris triginta aureorum*, ſeu nummorum, ut interpretantur Sambovius, Tom. 1. caſ. 13. & Gibert, Conſult. 7. Tom. 1. de Ordine. 2. Vetus ea lex numquam authentice revocata eſt; tum quia recenſita ſuperius Cleri Gallicani Comitia, nec ea ſunt quæ novis legibus leges antiquas abrogare valeant; nec ea quæ id intendant: unde in eo ſteterunt prædictorum cœtuum Epiſcopi, ut Epiſcopos alios hortarentur, ne quempiam ſibi ex origine non ſubditum Tonſura vel Ordinibus initiarent. Sic illi in Conventu generali, an. 1655. (Tom. 1. Inſtrum. Cleri Gallic. pag. 823.) *Il étè rèſolu que Meſſeigneurs les Eveques ſeront exhortès de ne donner les Ordres qu'à ceux qui ſont de leur Diocèſe*, &c. Neque monito iſti ceſſerunt Gallicani Epiſcopi omnes; unde in citato jam Statuto Cardinalis le Camus * ſic habet: *Les Saints Canons declarent ... qu'on ne peut recevoir les Ordres Sacrès que de l'Eveque du lieu de ſa naiſsance & du Diocèſe où l'on poſsede de bonne foi un Bènèfice*; ubi licet de domicilio ſileat, non illud tamen improbat, ut ibid. advertit Gibertus, pag. 36. qui ſic pergit, pag. 37. *Il faudroit etre bien etranger en France, pour ignorer que des Eveques, d'ailleurs irrèprochables, donnent les Ordres à ceux qui ne ſont de leur Diocèſe, qu'à raiſon du domicile ou du Bènèfice, & que les exemples n'en ſont pas rares. Je dis*, d'ailleurs irrèprochables, *de peur qu'on ne s'imagine que ces exemples ſont des entrepriſes ſur la coutume recue; deſquelles les Eveques de cette ſorte ſont incapables. J'ai auſſi voulu diſtinguer par-la les exemples que j'allègue, de ceux dont quelques Eveques ſe ſont plaints, & avec ſujet; ayant eu la mortification de voir confèrer les Ordres a ceux à qui ils les avoient juſtement refuſès, & à titre d'un petit Bènèfice pris a ce deſsein, & remis enſuite a d'autres pour le meme effet*. Atque ita ſentiunt e recentioribus noſtris Sambovius ubi ſupra, Collator Andegavenſis, pag. mihi 148. Gibert, ut ex mox dictis conſtat, Pontas v. *Ordres*, caſ. 1. & ſeq. qui tamen caſu 6. negat hominem ſimplici donatum Beneficio, quod reſidentiam non exigat, ab Epiſcopo Beneficii hujus ordinari poſſe: de quo nu. ſeq.

214 Gratulandum tamen Epiſcopis noſtris, quod vix alium quam originis Epiſcopum hodie attendant (niſi, ait Habert, *difficilior ſit ad eum recurſus, vel Sedes ejus vacet: in iis enim & ſimilibus caſibus vidimus Epiſcopos, alioquin Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſiſſimos, Clericis ex aliena Diœceſi oriundis manus impoſuiſse, ratione Beneficii in eorum Eccleſia reſidentiam poſtulantis*.) Sane vero melior eſt diſciplina, quæ ubique receptior, & fovendæ paci magis idonea. Quia tamen non ſemper fit quidquid factu optimum fuerit, neque ſemper hic & nunc bonum eſt, quod per ſe optimum eſt, quædam hic ſolvendæ veniunt difficultates.

215 Prima eſt an poſſit quis Aurelia oriundus in Pictavienſi Diœceſi Ordi-

* Stephanus le Camus conſecratus eſt in Epiſcopum Gratianopolit. die 24. Auguſti 1671, inſtitutus ab Innocentio XI. Cardinalis ſept. 2. an. 1680. obiit 12. ſept. 1707.

Ordines recipere, quia in ea Beneficium reſidentiam non exigens poſſideat.

Negat Pontas ibid. caſ. 6. Ratio ejus eſt, 1. quod cum ſtatuit Bonifacius VIII. poſſe quempiam a Beneficii Epiſcopo ad Ordines promoveri, vigebat hactenus antiqua diſciplina, quæ Beneficiarium quemcumque ei alligabat Eccleſiæ in qua Beneficium poſſidebat: unde Beneficii Epiſcopus longe melius Clerici hujus, utpote in territorio ſuo reſidentis, vitam atque mores norat, immo, ut jam ſui, melius noſſe tenebatur, quam ipſe originis Epiſcopus. Ergo cum ſancta hæc diſciplina omnino jam in Beneficiis ſimplicibus obſoleverit, & ceſſante cauſſa ceſſet effectus, nihil eſt dubii quin ſimplex Beneficiarius, a ſuo originis, non autem ab extraneo Beneficii hujus Epiſcopo debeat ordinari. 2. *quod is committit in Legem, qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem*; prout docet Bonifacius ipſe, Reg. 88. final. in 6. Atqui contra Legis voluntatem facit, qui ex titulo Beneficii, unde Epiſcopo nequaquam cognitus eſt, ab eo ſtudet ordinari. Ergo. Hæc ille in ſumma.

Mihi tamen opinio hæc, licet ſapienti conſilio excogitata, a vero 216
deflectere videtur. 1. Quia ubi Lex non diſtinguit, non eſt diſtinguendum, niſi gravis cauſſa diſtinctionem exigat; multoque minus diſtingui oportet, cum diſtinctio Legis partem maximam ſubvertit. Atqui ſic ſe res habent in caſu præſenti, ut per ſe compertum eſt. Quod autem nulla ſit gravis diſtinguendi cauſſa, hinc liquet, quod ad vitanda, quæ Pontaſius timet, incommoda, ſufficiat Innocentii XII. Decreto obtemperare, id eſt, neminem ratione Beneficii, etiam duplicis, ad Ordines evehere, ſine teſtimonialibus Litteris Epiſcopi, cujus e territorio fuerit is oriundus. 2. Quia falſum eſt, quod ſupponit idem Caſuiſta, videlicet ſtetiſſe ad ipſum Bonifacii tempus diſciplinam, quæ Beneficiarium quemque certæ alligabat Eccleſiæ: ea enim, licet non ita collapſa foret ut nunc eſt, eo uſque tamen imminuta erat, ut diu ante ſecerneretur *Beneficium reſidentiam exigens*, ab eo quod reſidentiam non exigit, uti conſtat ex Epiſtola Gregorii IX. an. 1231. ſcripta, cujus fragmentum habes cap. 17. *de Clericis non reſident*. 3. Quia nota utique erat diviſio Beneficii in reſidentiam exigens & non exigens, annis 1404. 1528. 1585. 1609. quo tempore habita ſunt Concilia ſuperius n. 213. commemorata, & a fortiori ſub tempus Card. le Camus. Atqui tamen ab iiſdem generaliter & indiſtincte ſancitum eſt, ut poſſet quis ab Epiſcopo Beneficii Ordines ſuſcipere. Unum id præ ceteris a Synodo Narbonenſi, quam citat Pontas, cauſsæ ſuæ oblitus, poſtulatum eſt, ut Beneficium illud annui reditus aureos triginta pareret, quod præcipue cadit in Beneficia reſidentiam non exigentia. Neque enim, opinor, negabit Pontas, quin Canonicus vigintiquinque aureos ſolum e Beneficio ſuo percipiens, ab hujus Beneficii Epiſcopo inaugurari poſſit.

Secunda difficultas eſt an qui plures ſortitus Epiſcopos, puta originis, 217
domicilii & Beneficii, ab horum uno Tonſuram, vel Ordinem quempiam recipit, poſſit ad eorum alterum pro ceteris Ordinibus recurrere.

Negat Pontas ibid. cap. 7. quia ſemel ab aliquo ordinatus, ita ſe Ordinantis juriſdictioni ſubjicit, ut ei ſe non amplius ſubtrahere valeat; unde abſque dimiſſoriis ejus Litteris ordinari jam a nullo alio poteſt.

Atque

Atque ita docent Cabaſſut Lib. 4. Theor cap. 2. nu. 4. Barboſa de Offic. Epiſc. Part. 2. Alleg. 4. n. 1. & apud eum alii, quos utcumque ſequitur Collator Andegavenſis.

218 Verum hæc quoque deciſio mihi ut minimum incerta eſt; quia ſi quam a Doctoribus nonnullis auctoritatem habet, nullam habet a ratione. Cur enim, amabo, qui Andegavi natus ab Epiſcopo ſuo Tonſuram accepit, vel Bleſis Canonicatum recipere non poterit, vel ſi recipiat, non magis Bleſenſi Eccleſiæ, ubi vitam perpetuo agere proponit, alligatus erit quam ſuæ. Id equidem qua Lege cautum ſit non video: ſed nec vidi uſquam id ab Epiſcopo Tonſuram dante in pactum deduci. Favet, tum ipſe Pontas, qui ſibi contrarius docet ibid. caſ 2. poſſe Canonicum Montiſpeſſulani & Nemauſis natum, ab Epiſcopo familiaritatis, vel originis, vel Beneficii, prout volet, ordinari; tum uſus & praxis Diœceſeon, quæ jus commune ſequuntur. *Si quis enim*, ait Gibert, citatum Cabaſſutii locum emendans, *ab Epiſcopo originis Tonſuram acceperit, dein Beneficium aut domicilium in altera Diœceſi conſequatur, ad hunc Epiſcopum ab Epiſcopo originis Dimiſſorias non tenetur deferre: Quemadmodum ſi quis accepta ab uno horum Tonſura, alterum ſortitus ſit Epiſcopum ratione triennis ſervitii, ab hoc Epiſcopo poteſt rite ordinari.* Hæc ille, qui addere debuerat, non equidem dimiſſoriis in hoc caſu, ſed teſtimonialibus Litteris opus eſſe, uti ſupra diximus ex Innocentio XII. Neque ex eo quod teſtimoniales eæ Litteræ neceſſariæ ſint, colligendum eſt cum Auctore Collat. Andegav. pag. 163. eum qui ab uno ordinatus eſt, non poſſe jam ab alio ordinari: immo enim contrarium inferri debet; cum teſtimoniales Litteræ ad commendandam alicujus probitatem ſolum inſerviant (unde *commendatitiæ* vocantur) & a Capitulo, Sede vacante, infra annum dari poſſint, non autem Dimiſſoriæ: hæ vero licentiam dent Epiſcopo eum ordinandi quem de jure ordinare non poſſit. Ita Navarrus, Conſil. 27. *de temp. Ordinat.* Barboſa, Lib. 1. juris Eccl. univ. cap. 33. n. 74. Reiffenſtuel, in Lib. 1. Decret. Tit. XI. n. 112. ubi animadvertit utraſque, dimiſſorias ſcilicet, *ſeu reverendas, ut aliqui vocant*, ex Trid. Seſſ. 7. cap. 10. & teſtimoniales differre a Litteris formatis, quod iſtæ uſu jam recepto ad faciendam de collatis alicui Ordinibus fidem adhibeantur. Quamquam neſcio an neceſſariæ ſint Litteræ teſtimoniales, cum agitur de viro notiſſimæ pietatis, vel attendendæ, cum agitur de viro inſigniter pœnitente, quales fuere Bernardus, cognomento pauper Sacerdos, Querioletus, Rancejus, &c. Ex his, utcumque firmatur quod dixi, num. 200.

219 Si quis tamen, vel ad titulum Beneficii reſidentiam exigentis, vel ad titulum patrimonii in utilitatem propriæ Eccleſiæ, cum pacto eidem inſerviendi ordinatus fuerit, jam ab alio Epiſcopo ſuſcipi non poteſt, ſed ad ſuum remitti debet, ut dixi nu. 210.

220 Quæres 14. quis ſit Regularium quoad Ordines Epiſcopus.

Nota: Regulares vel adhuc Novitiatus ſtudium decurrunt, vel jam profeſſionem emiſere. Hi vero aut certæ domui in perpetuum alligati ſunt, vel e Cœnobio in Cœnobium tranſeunt, ut Mendicantes & alii plurimi. His præmiſſis,

221 R. 1. Novitii, ſi forte ad Tonſuram, aut alios Ordines promovendi

ſunt,

ſunt, vel a proprio ſuo, originis ſcilicet, Beneficiive, ſi aliquod ſervent per probationis tempus, vel domicilii Epiſcopo, aut ex dimiſſoriis ejus Litteris ordinari debent. Ratio eſt quia hi nullo jure ab Epiſcopi proprii juriſdictione immunes ſunt; cumque ſæculum regredi poſſint, & merito præſumantur eo regreſſuri unde venerant, nihil eſt cur ab alio, quam a proprio Antiſtite ordinari valeant. Ita Babin, pag. 171. aliique duodecim, quos ſequitur Barboſa in cap. 10. Seſſ. 23. Trident. contra Suarem, Tom. 4. de Relig. Tract. 8. Lib. 2. cap. 29. n. 12. Et vero Novitii nullo hactenus adſtricti voto plus juris ſui ſunt, quam ſæculares Clerici qui certis in Congregationibus votum emittunt ſtabilitatis: & hi tamen, nonniſi ex Epiſcopi ſui Dimiſſoriis ordinari valent. Nec obſunt privilegia quibus innititur Suarez, quia hæc Tridentino Concilio longe antiquiora, per ipſum his ablata ſunt verbis: *Non obſtantibus quibuſvis privilegiis.* Vide Marchini, hic Tract. 1. Part. 2. c. 10. num. 13.

Reſp. 2. Regulares, qui certæ domui in perpetuum alligati ſunt, ut 222
ii ex Benedictinis, qui extra Congregationem vivunt, non ab alio, quam a domicilii Epiſcopo, vel ex ejus Dimiſſoriis ordinari poſſe. Ratio eſt, quia cum mundo renuntiaverint, uti faciunt Religioſi omnes, nihil jam pertinent ad Epiſcopum originis. Ergo communi huic Eccleſiæ Legi ſubjacere debent: *Unuſquiſque a proprio Epiſcopo ordinetur*. Jam vero horum Epiſcopus præter Epiſcopum domicilii nullus eſt. Proinde ſi ab alio ſine hujus Dimiſſoriis ordinentur, *a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſunt ſuſpenſi*. Ita Trid. Seſſ. 23. cap. 8. de reform.

Reſp. 3. Regulares ceteri, etiamſi ab Epiſcopi juriſdictione immunes 223
ſint, vel in loco nullius Diœceſis conſiſtant, ab Epiſcopo, cujus intra fines conſiſtunt ordinari debent; nec ab alio poſſunt, niſi de illius conſenſu.

Ratio eſt, 1. quia cum gravis olim ea de re orta eſſet controverſia 224
inter Antipolitanum Epiſcopum & Abbatem Monaſterii Firinenſis Fauſtum, omnibus mature & pie expenſis ſtatuerunt Patres Concilii Arelatenſis III. circa an. 455. ut Lirinenſes *Clerici atque Altaris Miniſtri a nullo deinceps, niſi ab ipſo* loci Epiſcopo, *vel cui ipſe injunxiſſet, ordinarentur. Hoc enim*, ſubjiciunt Patres, *& rationis & religionis plenum eſt, ut Clerici ad Ordinationem Epiſcopi ſui debita ſubjectione reſpiciant* (Tom. 4. Lab. p. 1024. D. E.) 2. Quia *Congregatio Concilii* die 15. Menſis Martii 1596. de Mandato Clementis VIII. *Cenſuit Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, Litteras dimiſſoriales concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia, ab iis ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit: Et ſi Diœceſanus abſuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum; dum tamen ab eo Epiſcopo qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam; & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem Dimiſſoriarum in id tempus quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abſuturus, vel nullas habiturus Ordinationes eſſet: verum cum a Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel Ordinationes non habente, Litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in iis utique hujuſmodi cauſſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Ordinationum*

Antibes.

ab eo

ab eo non habendarum exprimendam eſſe: Quod niſi fecerint, officii & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ & paſſivæ privationis, ut alias arbitrio ejuſdem S. D. N. P. reſervatas pœnas incurrent. Datum Romæ, &c. Ubi generatim & indiſtincte ſancitur, ut Regulares, ſecluſo ſpeciali privilegio, non ad alium, quam ad Diœceſanum Epiſcopum, ſuos Ordinandos mittant, niſi is vel abſit, vel Ordinationem habiturus non ſit.

225 Sed quis Monaſterii nullius Diœceſis erit Epiſcopus?

Reſp. Epiſcopum viciniorem cenſeri Epiſcopum hujuſmodi Monaſteriorum. Ad dignoſcendum vero quis vicinior ſit Epiſcopus, attenditur vicinitas Cathedralis Eccleſiæ, atque Abbatiæ vel Prioratus, non autem territorii; prout ſæpe reſolutum eſt a SS. Cardinalium Congregationibus, apud Reiffenſtuel in eumd. Tit. II. Lib. 1. n. 131.

226 Quæres 15. an in Gallia etiam vigeat allatum mox Sacræ Congregationis Decretum, quatenus præcipit, ut Regularis Superior in Dimiſsorio a ſe tradito fidem faciat, ſeu abſentiæ, ſeu Ordinationis a Diœceſano Epiſcopo non habendæ.

Reſp. a Concilio Burdigalenſi ſub Card. de Sourdis an. 1624. habito ſic conſtitutum eſse, Tit. de Ordine, cap. 12. *Superioribus Monaſteriorum, in quibus Religioſi fixam & firmam commorandi ſedem habent, prohibemus ne Litteras dimiſſorias Religioſis ſuis, ut a quocumque ordinentur, concedant; ſed a ſuo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia ordinandos dumtaxat eſſe decernimus. Eos vero qui pro Inſtituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur, cum Litteris Provincialium ſuorum de voto Religionis emiſſo fidem facientibus, ab Ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantum præcipimus, ab aliis numquam, niſi atteſtatione præbibita, a Pontifice loci ſeu Vicario Generali obtenta, qua cur apud ſe nequiverint ordinari, perhibeatur:* Ubi atteſtatio de qua loquimur, non a Prælato Regulari, ſed ab Epiſcopo ipſo, vel ejus Vicario Generali præhabenda eſse dicitur. Et vero an Regularium eſt ſcire vel recenſere cauſsas cur abſit Epiſcopus, aut, ſi præſens, Ordines non conferat? Quamquam id forte intendit Sacra Congregatio, ut ſibi magis invigilarent Epiſcopi, ne gratis & contra ordinem a Diœceſibus ſuis abeſse intelligerentur.

227 Ut ut eſt, jam inolevit conſuetudo, ut Regulares ipſi de Epiſcopi abſentia, vel de Ordinibus ab eo non habendis fidem faciant. Eo ſane conduxerunt verba hæc Conventus generalis Cleri Gallicani, ann. 1625. 1635. & 1645. *Nuls Eveques ne recevront aux Ordres aucuns Religieux, quelques privileges, exemptions & poſſeſſions immèmoriales qu' ils puiſsent allèguer, ſi outre l' atteſtation de leur bonne vie & mœurs, qu' ils apporteront de leurs Supèrieurs, ceux qui ont ſtabilitè dans certains Monaſteres, n' apportent encore des Lettres dimiſſoires de l' Eveque dans le Diocèſe duquel ils rèſident; & ceux qui n' ont point de demeure fixe & permanente, n' apportent atteſtation, comme l' Eveque dans le Diocèſe duquel ils ont leur obèdience, ne donne pas les Ordres.* Ubi deferenda quidem non habendæ ab Epiſcopo Diœceſano Ordinationis atteſtatio præcipitur, ſed non præcipitur danda ab Epiſcopo ipſo, aut ejus Vicario Generali.

228 Quæres 16. a quo ordinari debeant Clerici, qui Abbatiis, vel Capitulis, ab Ordinarii juriſdictione immunibus, aut nullius Diœceſis, ſubſunt.

Reſp.

Reſp. de his ſic conſtitutum eſſe a Tridentino, ſeſſ. 23. cap. 10. de Reformat. *Abbatibus, ac aliis quibuſcumque, quantumvis exemptis, non liceat in poſterum, intra fines alicujus Diœceſis exiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis, vel exempti eſse dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram vel minores Ordines conferre: Nec ipſi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, Litteras dimiſsorias aliquibus Clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant; ſed horum omnium Ordinatio, ſervatis omnibus, quæ in hujus Sanctæ Synodi Decretis*, de ætate, moribus, examine, *continentur, ad Epiſcopos intra quorum Diœceſis fines exiſtunt, pertineat, non obſtantibus quibuſvis privilegiis*, &c.

Et licet nonnulli, ut Barboſa, Part. 1. de Offic. Epiſc. Alleg. 7. n. 8. 229
Tamburinius de jure Abbat. Tom. 2. diſp. 2. q. 26. Pirrhing in Tit. II. Lib. 1. Decretal. crediderint a contrario ſenſu, Decretum hoc non urgere in caſu, quo Prælati exempti, ſeu ſæculares, ſeu regulares, proprium ac diſtinctum territorium habent, ubi plenam in utrumque Clerum ac ipſum Populum juriſdictionem exercent; quia tunc neque Populus, neque Clerus *intra fines Diœceſis alicujus exiſtunt*: Tenenda nihilominus eſt contraria opinio, prout tenent Fagnan. in cap. *nullus*, *de Parochiis*, &c. n. 32. & ſeq. Pignatellus Tom. 8. Conſult. 59. n. 14. Reiffenſtuel ubi ſupra, n. 131. quia pluries definiit Sacra Congregatio Abbates, alioſque inferiores Prælatos, nullo modo poſſe, ſecluſo ſpeciali privilegio poſt Tridentinum obtento, dimiſſorias ad Ordines Litteras Sæcularibus ſuis ſubditis concedere, ſed id pertinere ad Epiſcopum, cujus intra Diœceſis fines conſiſtunt; aut ſi nullius intra Diœceſis fines conſiſtant, ad viciniorem Epiſcopum, cujus etiam eſt iiſdem Ordines conferre.

Neque valet argumentum a contrario ſenſu: Quia ut valeat iſtud 230
argumenti genus, tria præcipue requiruntur, 1. ut ex eo nihil abſurdi, vel inconvenientis ſequatur; 2. ut deſumatur ex aliquo eorum, quæ in diſpoſitione reponuntur *cauſsative*, ſeu ut principaliter moventia ad diſponendum, *non autem narrative, exemplificative, ſeu modaliter*; 3. ut non inde ſequatur Jurium correctio, ſeu ſubverſio Legis, Statuti, Teſtamenti, &c. Porro nullam ex his conditionibus habet argumentum, de quo nunc: immo contrarias habet. Nam & jura utcumque corrigit, quatenus judicio ſacræ Congregationis ac votis Cleri Gallicani contradicit; & id abſurdi habet, quod præcipuam Sacrorum Miniſtrorum electionem iis committat, quibus hæc a Legislatore Chriſto non eſt demandata.

De poteſtate Abbatum nonnulla ſub finem ſequentis capitis ſubjiciemus.

ARTICULUS TERTIUS.

De Miniſtro Subdiaconatus, Ordinum minorum & Tonſuræ.

SIcut Presbyteratum & Diaconatum conjunximus, quia utriuſque Ordinis Miniſter ab iiſdem principiis repetendus videtur; ſic & cum

cum Subdiaconatu Minores & Tonſuram conjungimus; quia horum omnium eadem ſit ratio apud Theologos magni nominis, non omnes tamen, ut ſtatim apparebit. Itaque

231 Nihil eſt dubii quin Epiſcopus ſit ordinarius Miniſter Subdiaconatus & inferiorum Ordinum; quod & infra paucis, ad conſtituendam doctrinæ ſeriem probabimus. At controvertitur an ſimplex Presbyter ad eoſdem Ordines conferendos ab Eccleſia vel Rom. Pontifice deputari queat; proinde an eorum extraordinarius Miniſter dici merito poſſit. Negant admodum pauci, & forte duo tantum apud Vaſquem, diſp. 243. num. 28. nempe Adrianus in 4. ubi de Sacramento Confirmationis, art. 3. & Major in 4. diſt. 7. q. unic. Horum ratio potior eſt quod Ordines etiam minores ſint Sacramenta: qui tamen id concedunt, non ideo iis conſentiunt omnes. Sane Confirmatio Sacramentum eſſe, & tamen a Presbyteris poſſe aliquando conferri, rite ſuo loco probavimus. Sit

232 Conclusio I. Ordinarius Subdiaconatus & inferiorum Ordinum Miniſter eſt Epiſcopus.

233 Prob. 1. ex auctoritatibus quotquot in præcedenti articulo allatæ ſunt. Eæ enim Epiſcopum generatim Ordinationis Miniſtrum, & eatenus Presbyteris ſuperiorem faciunt. Ergo cum ſpecies ſub genere contineatur, &c.

234 Prob. 2. Quia qui plus poteſt in eodem genere, poteſt & minus: Atqui poteſt Epiſcopus majores & ſacros Ordines conferre, ex ſupra probatis. Ergo, quod multo minus eſt, poteſt & conferre minores.

235 Prob. 3. quia qui dignos Eccleſiæ Miniſtros providere debet, ut minimum jus habet eos de gradu in gradum deducendi. Atqui Epiſcopus, &c.

236 Conclusio II. Simplex Presbyter legitimus eſt Subdiaconatus & inferiorum Ordinum Miniſter, ſi ad id canonice deputetur.

237 Prob. 1. ex Gelaſio Papa, Epiſt. 9. (Tom. 4. Concil. p. 607.) ubi de Presbyteris loquens, *Meminerint*, inquit, *ſibi nulla ratione concedi ſine ſummo Pontifice Subdiaconum, aut Acolythum, jus habere faciendi*. Ergo id poterant ex Pontificis licentia.

238 Prob. 2. quia jus idem Synodi plurimæ tribuerunt Chorepiſcopis indiſtincte. Atqui non omnes Chorepiſcopi gradu Epiſcopali fulgebant.

239 Prob. 3. ex Synodo VII. generali, an. 787. quæ Can. 14. (Tom. 7. Lab. pag. 607.) ſic habet: *Lectori manus impoſitionem licentia eſt unicuique Abbati in proprio Monaſterio ſolummodo faciendi; ſi dumtaxat*, id eſt ea ſolum conditione, ut *Abbati manus impoſitio facta noſcatur ab Epiſcopo ſecundum morem præficiendorum Abbatum, dum conſtet illum eſse Presbyterum*. Quæ porro Lectoratus ratio eſt apud Græcos, eadem eſt apud Latinos Minorum omnium: unde & hos a nonnullis Abbatibus, ſicut & Tonſuram, conferri poſſe docet Tridentinum, ſeſſ. 23. cap. 10. ſup. num. 228.

240 Prob. 4. quia privilegium Subdiaconos efficiendi certis Benedictinorum & Ciſtercienſium Abbatibus conceſſum fuiſſe teſtantur Franciſcus Victoria in ſumma n. 235. Navarrus Lib. 5. Conſil. 14. de privilegiis,

Pius

Pius ipſe V. in Bulla, qua jus iſtud Abbati Præmonſtratenſi denegat. Quod autem dicit Adrianus erraſſe Pontifices, qui jus illud conceſſerunt, ut gratis, ſic & temere dictum eſt: Aliter utique ſentiunt illuſtriores Scholarum omnium Theologi, quibus e Sorboniſtis ſuffragantur Gamachæus, c.7. Iſambertus, diſp.6. cap.1. Hallerius de Sacris Elect. Part.2. Tournelyus, p. 121. Vvitaſſius, Tom.1. pag.362. &c.

Prob. 5. quia, ut ſolide idem Doctor, ſi Subdiaconatus a ſimplici Presbytero conferri nequit, vel quia eſt Sacramentum; vel quia eſt quidpiam Acolythatu & ceteris infra Ordinibus longe ſublimius, vel quia ad majorum Ordinum claſſem pertinet; vel quia ad Euchariſtiam conficiendam, aut diſtribuendam pertinet. Non 1. tum quia jam pene ubique gentium a Sacramentorum gradu excluditur Subdiaconatus; tum quia nihil abſolute vetat quominus Sacramentum plures, ut ſic loquar, in ramos diviſum, ratione alicujus eorum poſſit a Presbytero adminiſtrari. Non 2. alioqui enim ne ipſe quidem Acolythatus a Sacerdotibus poterit conferri; quia majoris ſit dignitatis quam inferiores Ordines eidem ſubjecti. Non 3. neque enim a natura rei, ſeu a primæva inſtitutione habet Subdiaconatus quod ſit Ordo major & ſacer, ſed ab Eccleſiæ arbitrio: Porro quæ dignitatem libere adauxit, Miniſterii quandoque immutandi libertatem ſibi non abſtulit. Non 4. cum Euchariſtiæ confectio ad Sacerdotes, ejuſdem vero diſtributio ad Diaconos pertineat; Subdiaconi autem, ſicut & alii Clerici inferiores, ſolam habeant poteſtatem ſacro Miſſæ Sacrificio inſerviendi; neque vel ad populum regendum, vel ad eum Sacramento ullo juvandum inſtituti ſint. Ergo. 241

Obj. 1. S. Thomas Suppl. q.38. art.1. ad 3. docet quod *ex commiſſione Papæ Sacerdos ſimplex poſſit conferre minores Ordines & Confirmationem .... non autem majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Chriſti*. Ergo. 242

R. S. Thomam de iis Ordinibus loqui, qui ſemper majores fuerunt & ſacri, qualis non eſt Subdiaconatus, qui, ſi quam, certe nec neceſſariam, nec ſtricte immediatam relationem habet ad Corpus Chriſti. 243

Obj. 2. ſi Papa ſimplici Presbytero poteſtatem Subdiaconatus conferendi tribuere poſſit, vel ratione Ordinis, vel ratione Juriſdictionis. Atqui neutrum dici poteſt. Non 1. alioqui idipſum poterunt Epiſcopi, cum Rom. Pontificibus pares ſint quantum ad Ordinem. Non 2. alioqui poteſtas Juriſdictionis, non modo circa Corpus Chriſti myſticum, ſed & circa Corpus ejus naturale, mediate ſaltem verſaretur: quod a communi ſenſu alienum eſt. 244

R. neg. maj. ſi quidem ex neutro illo capite repetenda eſt iſta hæc S. Pontificis auctoritas; ſed vel quia ſua eſt ei præcipua pars in iis quæ ab Eccleſiæ inſtitutione pendent; vel quia facultatem hanc ſupremæ ejus dignitati annexuit Chriſtus, quod per traditionem didicit Eccleſia. Prima reſponſio iis proderit, qui Subdiaconatum inſtitutionis Eccleſiaſticæ; ſecunda iis qui eumdem a Chriſto inſtitutum eſſe propugnant. 245

Quæres 1. quæ requirantur in Abbate, ut aſſignatos ſibi Ordines conferre poſſit.

R. tria vulgo requiri, 1. ut ſit Presbyter, 2. ut per manus impoſitio- 246

nem ab Epiſcopo ſit benedictus; 3. ut Monachis ſuis, non aliis, conferat. Primum & ſecundum exigit Concilium generale VII. ſupra nu. 239. tertium, Synodus Trid. cit. ſeſſ. 23. cap. 10.

247 Ceterum ſi Epiſcopus ter cum debita humilitate requiſitus electo Abbati benedictionem impendere recuſet, poterit is, licet necdum benedictus, modo confirmatus, ait Barboſa, ſecundum cap. *Statuimus*, 1. *de Suppl. neglig. Prælat. proprios Monachos benedicere, & alia quæ ad officium hujuſmodi pertinent, exercere, donec ipſi Epiſcopi duritiam ſuam recogitent, & Abbatem benedicere non recuſent.* Ratio eſt, quia ut in citatum cap. obſervat Fagnan, & ex eo Anacletus Reiffenſtuel, in tit. 13. Lib. 1. n. 16. poteſtas minores Ordines conferendi non eſt annexa ex natura rei, ſeu ex jure divino Benedictioni ſolemni Abbatis, ſicut annexa eſt Ordini Epiſcopali; ſed ex antecedenti Eccleſiæ indulto, quod ſimplici Presbytero conferri potuit. Nec nocet caput 11. *de ætate & qual. præficiend.* ubi ad Ordinum collationem prærequiritur Abbatis Benedictio: Iſtud enim de via communi & regulariter intelligendum eſt; non de caſibus extraordinariis, ubi intervenit ſpecialis conceſſio Apoſtolicæ Sedis.

248 Quæres 2. an Abbas qui Ordines prædictos conferre valet, poſſit Profeſſos ſuos ab interſtitiis diſpenſare.

Reſp. poſſe, niſi reſiſtat conſuetudo, aut ipſum conceſſionis diploma. Ratio eſt 1. quia hæc eſt communis Doctorum opinio, ut videris apud Barboſam in cap. 10. ſeſſ. 23. Trid. 2. quia ejus eſt ab interſtitiis diſpenſare, cujus eſt videre an diſpenſatio hæc Eccleſiæ ſuæ utilis ſit aut neceſſaria; id autem examinare pertinet ad Abbatem, qui in Eccleſiæ ſuæ gratiam ordinat, non in alterius, ut plerumque facit Epiſcopus, familiarem ſuum ordinans.

249 An autem poſſit Abbas diſpenſare ab interſtitiis, quo etiam caſu ex infirmitate, vel alia de cauſa ſuos ad Epiſcopum aliquem ordinandos dimittit, ambigi poteſt. Affirmat Rodericus in Compendio Qu. Regular. reſolut. 1. n. 22. Credo equidem: at ſimul credo Epiſcopum, cui fixum eſt, neminem ab interſtitiis immunem facere, poſſe nullam diſpenſationis hujus rationem habere; ſicut nec examinis ab Abbate præmiſſi. Quod quantum ad alios etiam Epiſcopos non raro obſervant Antiſtites noſtri.

250 Quæres 3. an poſſint Abbates ad Tonſuram aut Minores promovere eos ex alienis Regularibus aut etiam Sæcularibus, qui dimiſſorias Superiorum ſuorum Litteras ad ſe attulerint.

R. non poſſe, niſi ſimul Epiſcopi Diœceſani attulerint, prout ſupra fuſe probatum eſt. An autem ex Epiſcopi hujus licentia id poſſint, acriter a multis contra multos diſputatur; uti videris apud Barboſam
251 ibid. n. 5. Mihi longe probabilior eſt opinio affirmans, quam cum aliis pluribus tenet Tamburinius de Jure Abbat. Tom. 2. diſp. 2. qu. 7. nu. 3. Azor. Lib. 12. cap. 20. Marchini ibid. pag. 39. Ratio eſt, 1. quia qui ordinandi jus habet, poteſt quoſcumque ſubditos *ſuos* ordinare. Atqui Abbatis ſubditi fiunt, qui ad ipſum ſuo ab Epiſcopo mittuntur, ſicut & pari de cauſa ſubditi fiunt alieni Epiſcopi. 2. Quia ita definiit Sacra Congregatio, cujus Decretum ſic refert ibidem Marchini pag. 20.

Abba-

Abbates Regulares habentes jus deferendi baculum & mitram, poſtquam Sacerdotalem Ordinem & Benedictionis munus ſuſceperint, poſſunt Tonſuram & minores Ordines Sæcularibus Epiſcopali juriſdictioni ſubjectis conferre, ſi modo conſenſus ipſius Epiſcopi accedat, qui Litteras dimiſſorias ſpeciatim recipiendi Ordines commiſerit; ita ut non ſufficiat id generatim ab Epiſcopo concedi. 2. Ut poſſint prædicti Abbates eoſdem Ordines conferre aliis, qui habuerint dimiſſorias Litteras ſpeciales ſuorum Superiorum & ſpecialem conſenſum Epiſcopi loci ubi Ordines ſuſcipere cupiunt, ſeu de jure debent. 3. *Ut ſupradicti Abbates poſſint conferre Ordines prædictis Sæcularibus, aliorum Epiſcoporum juriſdictioni ſubjectis, dummodo acceperint ſuorum Ordinariorum Litteras dimiſſorias, & conſenſus adfuerit Epiſcopi illius loci, ubi Ordines ſuſcipi debent*. Objicitur quidem in contrarium deciſio Rotæ Romanæ. Verum hæc, præterquam multis dubia eſt, quid contra mox allatam reſolutionem, ſeriis rationibus munitam, & nulli Juri adverſam, efficere poſſit?

Quæres 4. an ſi privilegiatus Abbas minores Ordines non ſubditis, nec dimiſſorias Litteras afferentibus conferat, valeat hæc Ordinatio. 251

Affirmat Gloſſa in cap. *Abbates, de privilegiis* in 6. quam ſequitur eod. Tract. 1. Part. 2. n. 15. Marchini. Hujus rationes ſunt, 1. quod Tridentinum cit. cap. 10. utitur ſolum voce *Non liceat Abbatibus* conferre Ordines non ſuis. Vox autem *Non liceat*, non irritat ſubſtantiam actus. 2. Quia ita declaravit Congregatio Concilii, die 3. Martii, an. 1594. circa quod vide Appendicem noſtram de Tonſura, n. 18. 3. Quia eadem Sacra Congregatio declaravit, eos, qui cum ſubditi non eſſent, Tonſuram ab Abbate Benedicto receperant, a munere ſuſpenſos: ſuſpenſio autem actus validitatem ſupponit. 4. Quia poteſtas ordinandi Abbatibus conceſſa, ſe habet per modum poteſtatis Epiſcopalis. Hæc autem valide, licet illicite, ad extraneos ſe extendit. 252

Opinio iſthæc, ſi quid olim dubii paſſa ſit, nihil jam difficultatis habere poteſt. Cum teſte Benedicto XIV. Lib. 2. de diœc. Synodo c. 10. n. 13. pag. mihi 65. Sacra Congregatio illicitam quidem, ſed validam ſemper pronuntiaverit Ordinationem de qua diſſerimus. Unde, ut deciſiones ejus multas omittam, cum die 16. Martii 1647. diſceptatum fuiſſet: *An Ordines minores, per Abbatem Regularem non benedictum collati non ſuis ſubditis ſint validi, ſi Abbas habeat privilegium illos ſuis ſubditis conferendi*: reſponſum eſt, prout jam in pari caſu an. 1643. deciſum erat, ſic *ordinatos non indigere alia ordinatione, ſed tantummodo abſolutione, & rehabilitatione a Sede Apoſtolica obtinenda*. 253

Itaque ait Benedictus XIV. „ Aut Abbas nullo fruitur privilegio 254
„ conferendi prima Tonſuram & minores Ordines: aut privilegio potitur illos conferendi certo perſonarum generi. Si 1. nec licite, nec „ valide poteſt quemquam ad primam Tonſuram minoreſque Ordines „ promovere. Si alterum; illicite profecto, attamen valide, primam „ Tonſuram minoreſque Ordines etiam aliis confert, qui ceteroquin „ inter perſonas non numerantur in privilegio deſignatas.

At ponderandum quod ſtatuit Sacra Congregatio, ſic nempe ordinatos indigere rehabilitatione Apoſtolica, Unde tametſi numquam ſuadebo ut collata a non proprio Epiſcopo Tonſura iteretur: ſuadebo ſemper 255

nt qui eam ſic receperint, quo certiori poterunt modo, ſibi provideant, ut jam ſupra dixi in citata Appendice num. 127.

256 An Decretum Concilii modicos ſolum Abbates ſpectet, non autem, ut dicit idem Marchini n. 16. *Magnos illos Abbates*, qui plenam habent juriſdictionem ſæcularem & ſpiritalem in ſuos ſubditos etiam laicos; quoſque contendit poſſe iis vel Dimiſſorias, vel ipſos etiam Minores conferre, *non obſtante hoc Decreto, quod loquitur ſolum de Abbatibus communibus, non de Magnatibus iſtis, qui cum habeant in laicos Epiſcopalem juriſdictionem, Epiſcopis æquiparantur, cap. Adrianus, 2. diſt. 63.* (in quo nihil ad rem invenio) prout *a ſacra Congregatione de an. 1599. ſub die 5. Julii refert hanc ſententiam ſequens Molfeſſius*: An, inquam, quoad magnos illos Abbates ita ſe res habeant, vel poſita generali Concilii locutione, ita ſe habere debeant, magnis illis Theologis qui majora tractant, neque in maximis hærent, diſcutiendum relinquo.

257 Quæres 5. an & a quibus præter Abbates privilegiatos poſſint Tonſura & minores Ordines conferri.

258 Reſp. 1. jus illud non competere Vicariis generalibus, Epiſcopo etiam in remotis agente, quidquid ſenſerit vir ceteroqui perilluſtris, Menochius. Ratio eſt quia poteſtas illa nullo jure eidem conceditur. Permittit quidem caput *Nullus*, ut Epiſcopo abſente Vicarius ejuſdem Dimiſſorias concedat, ſed nihil ultra.

259 Reſp. 2. Epiſcopum qui loco ſolum renuntiavit, ut in Gallia, poſſe omnes; qui autem dignitati etiam nuntium remiſit, Minores tantum largiri poſſe. Ita habetur cap. 1. & 2. *de ordinat. ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui*, L. 1. Tit. 13.

260 Reſp. 3. idem jus quoad Tonſuram & Minores Cardinalibus Presbyteris erga familiares ſuos adſcribi virtute conſuetudinis a SS. Pontificibus approbatæ, docent non pauci cum Hallerio p. *666.* De his Azor part. 2. Lib. 4. cap. 3. q. 2. & meo judicio, ſapienter: *Certe id Jure Communi non poſſunt* Cardinales: *Conſuetudine tamen, aut privilegio an poſſint, ipſorum eſt videre, an id privilegii habeant, & an talis conſuetudo ſit; quam tamen non eſſe in uſu, a fide dignis & in Romana Curia verſatiſſimis accepimus.*

261 Reſp. 4. idem privilegium Parochis, quantum ad Tonſuram a nonnullis, quos inter Panormitanus, Hugo & Innocentius, attributum fuiſſe: quod alii ad Priores etiam & Guardianos munifice extenderunt. Verum opinio hæc & praxi Eccleſiæ Romanæ, & certiori doctiorum judicio adverſatur; nec ullum vel indirecte in toto Juris corpore fundamentum habet.

262 Quęres *6.* an letaliter peccet qui in peccato letali exiſtens Minores confert.

Reſpondet Marchini eod. cap. 10. n. 20. p. 40. eum, ſi Minores Sacramenta non ſint, a peccato letali liberum eſſe, ſicut & ab eo liber eſt, cum in mortali exiſtens Eccleſias, Campanas, Caliceſve conſecrat, aut coproralia benedicit. Rationem dat quia per exercitium Sacramentalium in peccato mortali non infertur gravis Deo injuria. Et ita docent apud eum Suarez diſp. *16.* ſect. *3.* de Sacramentis, Sylvius in *3.* p. 4. 64. art. *6.* q. 1. Jam a nobis obſervatum eſt ubi de Sacramentis in genere pag. *62.* ſaniores etiam Theologos circa punctum

iſtud

iſtud dividi. Unde forſitan tutius fuerit nobis hærere incertis, quam fixam partem amplecti. Hinc tamen duo quantum ad praxim, quæ timorato nulli diſplicere poſſint, eruenda videntur; 1. curandum eis, quorum res coram Deo ſe male habent, ut nullam e præcitatis functionibus ante peragant, quam cum eo per ſinceri doloris actum in gratiam redire conati fuerint; 2. ut ſi officium iſtud neglexere incauti, id quamprimum veluti dubium confiteantur; ne forte qui in Angelis ſuis reperit pravitatem, cujus in conſpectu ne ipſi quidem cæli mundi ſunt, qui judicia ſua ex timidis & incertis mortalium cogitationibus non metitur, pro gravi habeat id quod homines venialem lineam non excedere opinantur.

De Dimiſſoriis nonnulla rurſus proprio loco ad mentem cap. 10. Seſſ. 23. Tridentinæ ſubjiciemus.

Quæres 7. quo tempore Ordines conferri debeant. 263

R. 1. Tonſura *quocumque die, hora* & *loco* honeſto, *etiam extra Miſſarum ſolemnia conferri poteſt*. Ita Pontificale Romanum, tit. de Clerico faciendo. Nec aliud quidquam de ea legitur in jure conſtitutum.

R. 2. *Quatuor minores Ordines dari ubicumque poſſunt extra Miſſarum* 264 *ſolemnia*, non ſolum Sabbato in generalibus Ordinationibus (quod tamen negat Hallerius pag.861. unde, inquit, *conſuetudinis ſolius beneficio tueri ſe poſsunt, qui extra* dominicos & feſtos dies *minores Ordines tribuunt*) *diebus Dominicis & feſtivis duplicibus, ſed in mane tantum*. Ita idem Pontificale tit. de minorib. Porro per dies feſtos ii a Gloſſa, Lugo, Sylveſtro & aliis communius contra Barboſam, Suarem, &c. intelliguntur, qui non in Choro tantum, ſed & in foro, ſeu a populo, ſaltem in Diœceſi, de præcepto ſervantur. Quamquam ſui quiſque loci conſtantem uſum ſequi poteſt. Sicut licet moris ſit ut Minores mane conferantur, ab Hiſpanis tamen Epiſcopis veſpere feriæ VI. adeoque a minime jejunis, pro more ibidem recepto, conferuntur.

R. 3. Ordines ſacri nonniſi in quatuor temporibus, aut Sabbato 265 ſeu ſancto, ſeu Paſſionis Dominicam præcedente conferri poſſunt; & id ſancte conſtitutum eſt, quia his temporibus dignos Altaris Miniſtros ſupplici prece expoſtulat ſancta mater Eccleſia.

Excipitur 1. caſus, quo quis extra tempora ordinari vel ordinare 266 poteſt ex diſpenſatione Pontificia. 2. Cum Epiſcopus ob multitudinem Ordinandorum, aut repentinam ſui vel Ordinandi infirmitatem, differt partem Ordinationis in ſequentem diem, eamque *mane, ipſo Dominico die, continuato jejunio Sabbati, celebrat*, ut loquitur S.Leo Epiſt.79. c.1. Tunc enim, ut, conformiter ad id Geneſ.1. *Factum eſt veſpere & mane dies unus*, dicitur c.13. *de temp. Ordin. propter continuationem jejunii, fictione Canonica, veſpera cum mane ad eumdem diem pertinere cenſentur*. Etſi vero docent Abbas, Layman, Pirrhing & alii quidam, requiri tunc in Ordinante & Ordinandis jejunium naturale, adeo ut ne quidem liceat ablutionem in Miſſa Sabbati ſumere: probabilius tamen credunt alii cum Sylveſtro, &c. ſufficere jejunium Eccleſiaſticum; quod quidem per prandium ſolveretur, non tamen per veſpertinam collationem; quæ vix infirmo Epiſcopo vel Clerico citra nimiam ſeveritatem ſubtrahi poteſt. Vide Reiffenſtuel ibid. nu.38. & ſeq.

 R.4. Epi-

267 Reſp. 4. Epiſcopatus conferri debet die Dominica, vel in natalitio Apoſtolorum, non tamen die feſtiva, niſi *ſummus Pontifex hoc ſpecialiter indulſerit*. Ita Pontif. Romanum.

268 Quæres 8. an poſſit Epiſcopus cuipiam plures Ordines intra diem unam conferre.

Reſp. id ſpectato Juris rigore non poſſe fieri; paſſim tamen receptum eſſe ut non ſolum Minores ſimul eadem die, ſed & cum iis aliquando Subdiaconatus conferatur.

269 Quod ad Ordines ſacros attinet, vetat Tridentinum Seſſ. 23. cap. 13. ne hi *eodem die etiam Regularibus conferantur, privilegiis, ac indultis quibuſvis conceſſis, non obſtantibus quibuſcumque*. Unde nunc id fieri non poſſet abſque ſpeciali ſanctæ Sedis licentia.

270 Sed neque Epiſcopus, qui quempiam præcedenti Sabbato Diaconum Ordinaſſet, eumdem ſequenti Dominica die, continuato jejunio, ordinare poſſet Sacerdotem; quia, ut videre eſt cap. 13. *de temp. Ordinat.* propter jejunii continuationem, *fictione Canonica*, vel mane diei Dominicæ trahitur ad Sabbatum, vel e contra, ſicque ambo ad eumdem diem pertinere cenſentur.

271 Idem dicendum in caſu, quo quis diſpenſationem Pontificiam obtinuit, ut poſſit extra tempora, ſine interſtitiis ordinari tribus Dominicis, ſeu aliis feſtivis diebus: id enim de diebus interpolatis accipiendum eſt, niſi addatur Clauſula hæc: *etiam continuis*. Cenſent quidem *Doctores plerique* eum qui Sabbato ordinatus eſt Sacerdos, poſſe ſequenti Dominica die Epiſcopum conſecrari, ſive continuato, ſive non continuato jejunio. Immo exiſtimat Gloſſa poſſe quempiam die Dominica mane Sacerdotem creari, (ſive continuato jejunio, ſive ex ſpeciali diſpenſatione) & eadem die circa horam tertiam ordinari in Epiſcopum; tum quia id nullo jure prohibitum reperitur; tum quia Epiſcopatus ſolum inadæquate diſtinguitur a Sacerdotio; tum quia nuſquam inter gradum utrumque conſtituta ſunt certa temporis intervalla. Verum ſi certis in caſibus tolerari poteſt pars prima, at non ſecunda, quam poſt Innocentium reprobat Abbas in c. 13. jam citat. Utique nemo citra Miſſam vel Sacerdos vel Epiſcopus ordinari poteſt: nulli autem Miſſas duas eadem die celebrare licitum eſt. An qui plures ſimul Ordines recipit, ipſo facto maneat ſuſpenſus, expendam cap. ſequenti, nu. 12.

272 Quæres 9. quo in loco Ordines conferri debeant.

Reſp. 1. Tonſuram & Minores quocumque in loco, honeſto ſcilicet, conferri poſſe, uti patet ex adductis ſupra nu. 263. & 264. textibus Pontificalis Romani.

273 Reſp. 2. Ordines majores nonniſi in loco ſacro, & quidem publice conferri poſſunt. Quod *in loco ſacro*, conſtat tum ex tota Traditione, quam videris apud Hallerium pag. 841. tum quia Ordines ſacri intra Miſſarum ſolemnia conferri debent: porro Miſſa extra locum ſacrum decenter, præter raros quoſdam caſus, celebrari non poteſt. Quod *publice*, liquet ex veteri diſciplina, quæ jam a Theophili Alexandrini temporibus, & diu ante, vetuit ne *Ordinatio fiat clanculum*; quia *Eccleſia pacem habente decet præſentibus ſanctis Ordinationem fieri in Eccleſiis*. Et vero Ordinatio ſic fieri debet, ut populus ad

quem

quem ea maxime ſpectat, hanc improbare poſſit, ſi quis minime dignus forte admiſſus fuerit. Vide Hallerium pag. 843. & ſeq.

Reſp. 3. *Nulli Epiſcopo liceat, cujuſvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diæceſi exercere, niſi de Ordinarii*, ſeu per ſe ipſum, ſeu per Vicarium ad id ſpecialiſſime approbatum, *expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantum*, quales & eæ cenſentur, quæ Dimiſſorias afferunt. *Si ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic Ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi:* Ita Tridentinum Seſſ. 6. cap. 5. de reform. Sunt autem Pontificalia ait pag. 836. Hallerius, quæcumque ad Ordinem & conſecrationem ſpectant ſacra munia, ut Ordines dare, Virgines benedicere, Altaria & Eccleſias conſecrare, Chriſma conficere, & cetera id genus, quæ in aliena Diœceſi citra diſertam Epiſcopi loci facultatem fieri prohibentur. 274

Nec nocet quod ſancti quidam, ut Epiphanius, & alii quidam e quibus eſse videtur S. Cyprianus, nonnullos extra propriam Diœceſim ſine proprii Epiſcopi licentia ordinaverint. Id enim vel male factum eſt, unde Epiphanium ea de re Sanctus Chryſoſtomus reprehendit; vel factum eſt partim ex conſuetudine, quæ jam allegari nequit; partim ex generali licentia, quam ſæviente perſecutionis æſtu ſibi mutuo largiebantur Epiſcopi, ut alter alterius exulantis locum & vices ſuppleret: & hunc fuiſſe Cypriani caſum facile conjicitur. Quanquam & alienos ordinare potuit ex prærogativa Sedis ſuæ, de qua ſup. num. 19. 275

Sed num etiam prohibita erit collatio Tonſuræ in aliena Diœceſi? Re in utramque partem expenſa cenſet Hallerius pag. 840. quæſtionem hanc ex praxi & conſuetudine locorum definiendam eſſe, tam quoad Tonſuram, quam quoad ipſos Minores. De Tonſura id admittunt Rebuffus, Henriquez, Bonacina, & alii quos pridem ſecuti ſumus. De Minoribus judicent alii. Quamquam horum eadem videtur eſſe ratio, quæ Tonſuræ; cum, ut ipſa, ſine Pontificali habitu, ſine judicii ſtrepitu, immo ex Pontificali *ubicumque* conferri poſſint. 276

Nova hic, eaque duplex, exurgit quæſtio, 1. An poſſit Epiſcopus in locis exemptis, ſuæ tamen Diœceſeos, Ordines conferre abſque Superioris licentia; 2. an id poſſit in loco exempto alienæ Diœceſis, cum ſolo Superioris Regularis permiſſu, adeoque ſine licentia Epiſcopi. 277

Reſp. ad 1. negat. 1. quia locus exemptus qua talis ſe habet quaſi locus extra territorium. 2. Quia, teſte Farinacio decîſum fuit a ſacra Congregatione, non poſse Epiſcopum in loco exempto Pontificalia exercere ſine licentia Superioris loci: cui porro interdicitur Pontificalium exercitium, ei & Ordinum ſacrorum celebratio haud dubie prohibetur. 278

Reſp. ad 2. Neque etiam licet cum ſola ſuperioris Regularis licentia in loco alterius Diœceſis Ordines ſacros conferre. 1. Quia Ordinarii licentiam requirit Tridentinum ſupra n. 228. Atqui per Ordinarium non intelligitur Regularis Superior, ſed Epiſcopus loci, prout declaravit eadem Congregatio. 2. Quia vetat idem Tridentinum Concilium ne Clerici locorum exemptorum ab alio, quam ipſius Diœceſis Epiſcopo ordinentur. Ergo multo magis vetat, ne alienus Epiſcopus alienos in iiſdem locis ordinet. Sane ſi res aliter ſe haberent, duo

in eadem Diœceſi capita viderentur, imminueretur ſollemnitas Ordinationis a Diœceſano Epiſcopo celebratæ, &c. Ita idem Halerius, qui tamen ſubdit ab eadem Congregatione fuiſſe deciſum, quod in locis exemptis quæ *nullius* ſunt *Diœceſis* ſufficiat conſenſus Superioris iſtorum locorum ut Epiſcopus Ordines celebrare queat; eo quod Prælatus hujuſce loci Epiſcopalia omnia jura poſſideat, Dimiſſorias concedere poſſit, & quæ juriſdictionis ſunt, per ſemetipſum exercere; quæ vero Ordinis, per alium quem maluerit, cum nulli Epiſcopo ſubdatur, exercenda curare. In iis tamen locis exemptis, etiam quæ nullius Diœceſis vocantur, vetat Concilium Tridentinum Seſſ. 14. de reform. cap. 2. ne Epiſcopi mere Titulares, prætextu privilegii cujuſvis de promovendo quoſcumque ad ſe venientes, alterius ſubditum, etiam allegata familiaritatis continuæ cauſa, ordinare auſint, ut ſupra notavimus. Hæc ille, quæ pro priori parte minus tuta videntur. Si enim ut dixi num. 221. & ſeq. nulli omnino Regulares ad alium quam loci ipſius Epiſcopum aut Epiſcopum viciniorem Dimiſſorias dare poſſunt, vix concipi poteſt quod ſolus Superior Regularis, quem maluerit Antiſtitem ſuam in domum advocare poſſit, ut ibidem Ordines conferat. Ea ſane agendi ratio cum poſterioribus Sacræ Congregationis Decretis non bene concordat.

279 Quæres 10. an adverſæ valetudinis Epiſcopus, valide ordinet, ſi Miſſam per alium Sacerdotem celebrari curet.

Reſp. Epiſcopum ordinantem ſub gravi teneri per ſe ipſum Miſſam celebrare. Cum id utriuſque Eccleſiæ praxi, atque in Pontificalibus univerſis præſcriptum ſit. Ceterum tamen valere ordinationem ſecus factam; *adeo ut hocce tempore de ea re dubitare frivolum videatur.... cum nullus legatur Canon, qui ad ſubſtantiam promotionis ad ſacros Ordines ſacrificium Miſſæ pertinere oſtendat*, prout ex Hallerio advertit Benedictus XIV. Lib. 7. de Synodo Diœc. cap. 26. n. 6. Atque ita, eodem Benedicto tunc Conſultore, deciſum fuit an. 1715. in Generali S. Officii Congregatione, præſente & approbante Clemente XI. Idemque occaſione alterius Epiſcopi denuo reſolutum fuit die 5. Febr. an. 1722. confirmante Innocentio XIII.

De loco quo ordinantur Presbtyeri, ſummi Pontifices, Patriarchæ & alii, conſulatur idem Hallerius.

Quære 11. an cogi poſſit Epiſcopus proprius in foro exteriori ad conferendam vel Laico Tonſuram, vel jam Clerico minores aut ſuperiores Ordines.

Reſpondet Auctor Libri de re ſacramentaria pag. 262. ad 1. negat. quia onus iſtud nullo Jure imponitur Epiſcopis. Immo Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. de reform. *Patrimonium*, inquit, *vel penſionem obtinentes, ordinari poſthac non poſſint, niſi illi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos, pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum*. Dummodo igitur ſanctos Eccleſiis ſuis Miniſtros provideat, non poteſt ab hominibus redargui: Licet ſit coram Deo reus; ſi quem debitis inſtructum dotibus ex humano quopiam motivo excludat.

Reſpondet ad 2. quod ex eodem Tridentino ſeſſ. 14. cap. 1. de re-

reform. is, *cui aſcenſus ad Sacros Ordines a ſuo Prelato , ex quacumque cauſſa , etiam ab occultum crimen , quomodolibet , etiam extrajudicialiter fuerit interdictus , aut qui a ſuis Ordinibus , ſeu gradibus , vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus , nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo , aut ad priores Ordines , gradus , &c. reſtitutio ſuffragetur* . Addit tamen idem Theologus hæc *communiter* intelligi a gravibus Canoniſtis ; qui proinde docent , quod ſi exoriatur quæſtio de Ordinatione cuipiam immerito negata, recurri poſſit ad Papam , qui Metropolitanum viciniorem ve Epiſcopum committat, ut a proprio Antiſtite inquirat , cur a ſacris arceat eum qui Beneficium habet ſacros ordines exigens . Quæ quidem cauſſa ſi iniqua viſa fuerit, ſentiunt iidem Canoniſtæ , poſſe in hoc caſu Epiſcopum delegatum Clerico injuſte repulſo Ordines conferre . Hæc ille , quæ neſcio an alicubi vigeant.

DISSERTATIO PRIMA.

De validitate Ordinationum Lutheranarum.

QUæſtionis hujus pertractandæ ideam ſubminiſtravit mihi Fridem. 1
Bechmannus , Lutheranus Doctor , qui eamdem in Theologia Polemica , quam ann. 1702. Francofurti & Lipſiæ edidit, fuſo ſatis calamo , vix tamen modeſtiori , quam ſoleant Novatores , oratione pertractat. pag. 811. & ſeqq.

Et quidem 1. concedit Theologus ille pag. 811. Lutheri vocationem 2
non fuiſſe immediatam a Deo ; Atque in hunc finem adducit hæc Lutheri ipſius verba Tom. 2. edit. Jenenſ. German. fol. 452. *Numquam prædicari , nec prædicare volui , niſi quando ab hominibus vocatus fui : Neque enim gloriari poſſum quod Deus immediate de cęlo me miſerit* . Quamquam , pergit Bechmannus , *negari non poteſt* , in Lutheri vocatione *fuiſſe quædam quæ commune quid habuerunt cum immediata & extraordinaria vocatione* ; puta ſummam *in oppugnando Antichriſti regno* ex legitima Scripturarum interpretatione felicitatem , ab Eraſmo & Melanchthone commendatam ; animum in periculis quantiſcumque imperterritum ; ſucceſſum laboris ſpe majorem ; *vaticinia de rebus futuris , quibus* , non equidem ſemper , ſed *ſæpius reſpondit eventus* ; quin & *vaticinia duo de Luthero ante ipſum edita* . Nihilominus *etſi hæc & ſimilia Beatum Lutherum evehunt ſupra communem ſortem reliquorum Eccleſiæ Miniſtrorum , & accedunt quodammodo ad immediatam vocationem , tamen abſolute vocatio ejus non fuit immediata , ſed mediata.*

2. Docet idem ſuam fuiſſe B. Luthero mediatam , eamque legiti- 3
mam ab Eccleſia vocationem . *Etſi enim* , ait, *in Papatu Epiſcopi ſibi ſolis vindicant jus vocandi , & reapſe vocant Eccleſiæ Miniſtros , tamen id tantum per accidens eſt* : quia *per ſe ipſa Eccleſia habet jus vocandi , & cum Epiſcopi vocant , auctoritate Eccleſiæ vocant Eccleſiæ miniſtros* .

3. De-

4 3 Demum docet pag. 816. veros eſſe in Lutheranis Eccleſiis Miniſtros, a Chriſto legitime vocatos, ſeu conſtitutos mediantibus illis hominibus, *quibus Chriſtus poteſtatem Eccleſiæ Miniſtros vocandi conceſſit, ut pure prædicent verbum, Sacramenta adminiſtrent, & poteſtatem clavium exerceant, hoc eſt, homines pænitentes a peccatis abſolvant, impænitentibus ea retineant.* Hinc a limine graviter conqueritur, quod Pontificii, quibus in decurſu (pag. 819.) M. Antonium de Dominis L. 2. de Republ. Eccleſ. cap. 3. adjungit, legitimam Miniſtrorum ſucceſſionem Lutheranis omnino abnegent. Sit

5 Conclusio: In Lutheranorum Societate nulla eſt legitima vel illegitima verorum Miniſtrorum ſucceſſio.

6 Prob. illi ſolum veri ſunt Eccleſiæ Miniſtri, qui vel immediate ab ipſo Chriſto, vel mediate ab hominibus juxta ritus ab eodem Chriſto inſtitutos ordinati ſunt. Atqui in Lutherana Synagoga nemo unus eſt, qui vel immediate ordinatus ſit a Chriſto, vel mediate ab hominibus juxta ritus ab eodem Chriſto inſtitutos. Siquidem in Lutherana Societate nemo plus habet, quam habuerit Lutherus ipſe, qui totius ſocietatis radix fuit, caput atque origo; cum, Deo ita permittente, ne unus quidem Epiſcopus ad ejuſdem partes defecerit. Atqui, Lutherus, nec immediate a Chriſto ordinatus eſt, nec ita ab Eccleſia ordinatus fuit, ut alios qui ſibi ſuccederent Miniſtros ordinare poſſet.

7 Primo quidem Lutherus non eſt immediate a Chriſto ordinatus, vel ullo ſpeciali modo inſtitutus; Tum quia id fatetur ipſe in textu ſupra citato n. 2. non is autem erat vir ventoſiſſimus, qui de ſe demiſſius loqueretur; Tum quia idipſum concedunt ardentiſſimi quique ejus vindices quorum inſtar eſſe queat, qui nulli cedit Bechmannus; Tum quia Lutherus nullam aliam habuit quam Romanæ Eccleſiæ inſtitutionem: hanc porro humano miniſterio fieri compertum eſt. Ne quid autem dubii pariant commentitia Lutheri vel de Luthero vaticinia; immo Wittembergenſis Eccleſiaſtæ titulus, quem non ab hominibus, neque per hominem, ſed, uti blaſpheme mentiebatur, conſequenter ad revelationem Chriſti aſſumpſit ſibi Lutherus in Epiſt. ad falſo nominat. Ordin. Epiſc. Tom. 2. fol. 305.

8 Confirm. Qui præcipua reproborum, nulla autem Sanctorum ſpecimina exhibuit, non fuit ex eorum numero, qui ſe non ab homine neque per hominem, ſed a Chriſto miſſos eſſe cum Apoſtolo gloriari poſſunt. Atqui Lutherus nullos Sanctorum, ſed in vicem præcipuos reproborum caracteres geſſit. Hi nempe ſunt reproborum caracteres, ſuperbia ingens, convitiandi libido effræna, ſacrilega Evangelicæ legis tranſgreſſio, furor innovandi alio quam veritatis intuitu, dæmonis tamquam Magiſtri auditio, lingua impudica, calamus mendax, atque ipſius Scripturæ corruptor, &c. Atqui fuerunt hæc magni illius Prophetæ Lutheri talenta.

9 1. In eo emicuit ſuperbiæ, malorum omnium radicis, tumor horrendus. *Cedo nulli:* en Symbolum ejus, Tom. 1. edit. Wittemb. fol. 56. & iterum: *hic ſto, hic ſedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho; hic inſulto Papiſtis, Thomiſtis, Henriciſtis, Sophiſtis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet Sanctorum... Divina Majeſtas mecum facit, ut*

nihil

nihil curem, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, &c. *contra me ſtarent*.

2. Convitiandi libido impotens, adeo ut Eraſmus, qui nonnihil in 10
Lutheri perſonam propendebat, de eo ſic loquatur Lib. 18. Epiſt. 24. Lutherus *in dicteriis, in ſannis, in conviciis, in ſalibus, quem non vincit ſcurram? Magno*, id eſt petulanti *animo contemnit Cæſares & Pontifices, & ad leviſſimorum abjectiſſimorumque hominum ſuſurros debacchatur*, &c. Sane vero immani furore vir nullius nominis tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares Principes inſecutus fuit, Papam præcipue, Cardinales, Epiſcopos, Imperatorem, Henricum Angliæ Regem, Bavariæ Duces Vvilhelmum & Ludovicum, Ducem Saxoniæ Georgium, Henricum Ducem Brunſvicenſem, &c. de quibus conſule Boſſuetum Lib. 1. Hiſt. Variat. & alibi paſſim, atque Vitum Pichler in Theologia Polemica pag. 1360. ubi & advertit, quod lecto Luthero advertet unuſquiſque, ſcilicet diaboli nomen adeo in pſeudo Eccleſiaſtæ Operibus frequens occurrere, *ut ſi quis tot haberet milites, quot Lutheri calamus diabolorum millia catervatim ſuis in Libris poſuit, facili labore poſſit is bis denos Turcarum exercitus profligare: Cum in parvo libello quem ſcripſit contra Ducem Brunſvicenſem nomen diaboli occurrat centies quadrageſies ſexies: & in Libro de Conciliis fol. 266. intra quatuor dumtaxat linearum ſpatium diabolum quindecies nominet.* Et is eſt ſycophanta Lutherus, quem ex affabilitate, ſuaque etiam in delinquentes manſuetudine commendat Auctor Reſponſionum ad *Conſiderationes in M. Lutheri genium*: ita ut & ſubjicere id auſit: *Si in hanc virtutum congeriem aliquis defectus irrepſerit, memores eſſe debemus ſummum etiam Apoſtolum non fuiſſe inculpatum*. Papę! lepidam Lutheri cum ſummo Apoſtolo comparationem!

3. Sacrilega legis Evangelicæ tranſgreſſio, non hinc mihi repetenda, 11
quod contra iteratum caſtitatis votum Catharinam de Bore monialem Religioſus ipſe duxerit, conſummato forte ante nuptias Matrimonio, ut aperte ſatis fatetur in Litteris ad Joannem Ruhelium Tom. 3. Germ. fol. 150. hæc enim Novatoribus ſplendida ſunt libertatis Chriſtianæ commendatio; ſed inde nimium confirmata, quod Philippo Huſſiæ Landgravio uxorem ſecundam prima vivente permiſerit, uti Tract. ſeq. oſtendemus; quod poteſtatibus a Chriſto ordinatis reſiſtendo, bella strageſque promoverit; quod de ipſo novæ Legis Auctore impia multa ſcribere non erubuerit; puta hæc: *Chriſtus eſt diabolus meus contra diabolum, ut ſim filius Dei*. Hæc item in Pſalm. 22. *Niſi dixerimus Chriſtum fuiſſe ſimul ſumme gloriantem & ſumme deſperantem, ſimul ſumme beatum, & ſumme damnatum*, &c. *non video quomodo a Deo ſit derelictus*, &c. Hæc rurſum: *Non credo quod ſola natura humana pro me paſſa ſit: Chriſtus ille vilis, nec magni pretii Salvator eſt; immo ipſe quoque Salvatore opus habet*. Mitto alia id genus, quæ tam abominanda ſunt, ut caute a poſtremis Lutheri Editoribus ſuppreſſa fuerint.

4. Furor innovandi eo uſque progreſſus ut amplam amplæ *Variationum* 12
Hiſtoriæ materiam ſubminiſtraverit. Sic, ne prolixior fiam, affirmat Lutherus Tom. 7. fol. 128. hominem fidelem peccare poſse: quod negat Tom. 6. fol. 428. Affirmat Tom. 3. fol. 127. hominem juſtificatum eſse vere juſtum; quod negat Tom. 4. fol. 321. Affirmat Tom. 7. fol. 26.

totum

totum & indiviſum Chriſtum eſſe ſub qualibet Euchariſtica ſpecie: negat autem, vel ſaltem dubitat Tom. 4. fol. 391. Affirmat Tom. 7. fol. 11. debere hominem confiteri omnia peccata mortalia, quæ certo cognoſcit; idipſum negat Tom. 4. fol. 425. Alias id genus contradictiones dabit citatus Pichler ubi ſupra pag. 1369. Jam vero, ait Lutherus ipſe: *Qui in materia Religionis ſibi ipſi adverſatur, & vel in uno tantum articulo mentitur, a Deo non eſt*. Ergo ex ore ſuo judicatus Lutherus, a Deo non eſt. At id præcipue dolendum, quod ſibi non amore veri, ſed ex furibundo mentis impetu contradixerit Novator; ut ex eo liquet quod fatetur ipſe, ſe nervos intendiſſe omnes ut realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam abjiceret; quia inde futurum erat ut Papam ageret in rabiem. Et vero ſi interrogetur Lutherus cur e Canonicis Scripturis expunxerit Libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, Epiſtolas tum Judæ, tum & Pauli ad Hebræos, cum Joannis Apocalypſi: id unum reponere poterit, quod interrogatus cur hunc Pauli textum Rom. 3. 28. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, interjecta voce *ſolum*, adulteraſſet, temulente reſpondit: *Sic volo*, *ſic jubeo*, *ſit pro ratione voluntas*, &c.

15 5. Dæmonis tamquam Magiſtri auditio: etſi enim Euchariſtiæ elevationem retinuit, ne hac ſuppreſſa Carloſtadio aſſentire, aut, a diabolo quidquam didiciſſe videretur: conſtat tamen eum, in celebri illo colloquio, quod non equidem dormiens, ut dormitando reponit Miniſter Claudius, ſed expergefactus cum cacodæmone habuit, ab iſto fuiſſe edoctum, quod *Miſſæ privatæ*, ſeu in quibus nemo communicat, *horrenda eſsent idololatria*; quod in his non adſit *corpus & ſanguis Chriſti*, *ſed tantum panis & vinum*; quod *Turcæ credunt Chriſtum eſse natum*, *crucifixum*, *mortuum* *; quod non magis poſſit quis ſibimetipſi Euchariſtiam largiri, quam Baptiſmum, Confirmationem, & alia Sacramenta: quæ nequidem apud Lutheranos ipſos recepta ſunt; cum Miniſter, ſi ſolus ſit, communionem a ſe, nuſquam vero a Diaconis recipiat. De his adi Librum cui titulus: *La Conférence du Diable avec Luther*, Pariſ. 1673.

Boſſuet. p. 51.

16 6. Lingua impudica, ſcurrilia quæque, & obſcœna plenis faucibus eructans; ita ut neque hæc credere Lector poſſit, neque ego ſalva erga Lectorem reverentia proferre valeam, quæ ſtercoreus iſte Propheta effutiit. Apud eum non modo ubique porci, aſini, diaboli, ſtercora, ventris crepitus, ſed & turpiora occurrunt. Et vero quid non audere potuit, qui ancillam ad lectum vocari ab hero voluit, ſi difficilior hera adeſſe recuſaret; qui in ipſa Scripturarum explanatione ſecretas corporis partes, functiones earum, motus, &c. inverecunde adeo, tamque frequenter & ſine fronte recenſet, ut eum vix turpiſſimus quiſpiam leno ſuperare poſſit. De his conſulatur, ſi forte opus fuerit, Joannes Piſtorius in *Anatomia Lutheri*.

7. Ca-

* Falſa hic docet diabolus, ut & falſa credit Lutherus. Siquidem Alcorani cap. 4. pag. 113. verſionis a D. du Ryer factæ, dicit Mahumetus perperam gloriari Judæos quod Chriſtum cruci affixerint; cum non hunc ſed ejuſdem formæ Judæum crucifixerint.

7. Calamus mendax & ad omnem calumniæ formam arrectus; ita 15
ut mortuorum aut viventium nemini parcat; non Calviniſtis, quo-
rum multos a diabolo ſuffocatos eſſe prædicabat, teſte & *calumniam*
redarguente Hoſpiniano, part. 2. Hiſtor. ſacram. fol. 131. Non Catholi-
cis quicumque ii forent; cum eos ubique uti porcos, aſinos, diabo-
lum expuentes, ex alvo emittentes, &c. traducat; non Imperatori-
bus, Regibus, Ducibus, quos veluti pecuarios crude exagitat; non
Sanctis, quos in Lib. de ſervo arbitrio (Tom. 2. fol. 480.) quaſi de in-
duſtria a S. Pauli doctrina receſſiſſe ſcribit; non ipſi Chriſto, cujus
ſanctiſſimam humanitatem blaſpheme deprimit, quemque uti in Cru-
ce deſperantem exhibet.

8. Demum calamus ſacræ Scripturæ partim reſecator, ut ſupra di- 16
ximus; partim & corruptor; ita ut in ſola novi Teſtamenti verſione *Pichl. p.*
ultra ſexcentos ejuſdem lapſus numeraverint Catholici. Atqui his con- *1364.*
ſentiebant Dordracenſes Theologi, cum novam Bibliorum verſionem
adornari voluerunt, eo quod vetus Belgica verſio quæ tunc in uſu
erat, exacta eſſet ad Germanicam Lutheri verſionem, quam errori-
bus refertam minime diſſimulabant: uti videris apud Rich. Simon,
Lib. 2. Hiſt. crit. V. T. cap. 23. Sit ergo Lutheranis Lutherus *Beatus*,
erit uſque in finem, ut eſſe debet, toti Eccleſiæ execrandus; nec ſu-
ſpicabitur quiſquam, puriſſima Dei eloquia ex ore tam fœdi hominis
in Chriſtianam plebem effluxiſſe; eumve a Deo ſpecialiter electum,
qui Eccleſiam reformaret.

Mitto quod ea doceat Lutherus quæ viam ſternunt ad omnem vitæ 17
licentiam, ut 1. hominem ſola fide juſtificari, Tom. 1. Lat. edit. fol.
54. 2. fidem, niſi ſit abſque ullis minimis operibus, non juſtificare,
immo nec eſſe fidem, ibid. fol. 371. 3. hominem non damnari niſi ob
ſolum infidelitatis peccatum: *Vides*, inquit Lib de captiv. Babyl. *quam
dives ſit homo Chriſtianus ſive baptizatus, qui etiam volens non poteſt per-
dere ſalutem ſuam quantiſcumque peccatis, niſi nolit credere; nulla enim pec-
cata eum poſſunt damnare, niſi ſola incredulitas;* 4. præcepta Dei eſſe ob-
ſervatu impoſſibilia; 5. nullam legem humanam obligare in conſcien-
tia; 6. omnia hominum opera, quantumvis laudabilia, non modo
vitioſa eſſe, ſed & peccata mortalia; 7. hominem libero carere ar-
bitrio ad operandum bonum, & abſtinendum a malo: ſiquidem the-
ſi 13. tom. 1. Lat. fol. 55. hæc habet: *Liberum arbitrium poſt peccatum
eſt res de ſolo titulo; & dum homo facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter:
contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.* Et fol. 59. *Eſto pec-
cator & pecca fortiter, ſed fortius fide & gaude in Chriſto*, &c. *Ab hoc
non avellet nos peccatum, etiamſi millies uno die fornicemur, aut occidamus*,
Tom. 1. Lat. Epiſt. fol. 345. Quam ſancte, quam pudice! Quid ergo
mirum, ſi quid de nova Secta mitius aliquando, & diutius quidem,
ſcripſit Eraſmus, hæc demum ſcripſerit ad Melanchthonem: *Nobis hoc
novæ fabricæ Evangelium gignit novum hominum genus, præfractos, im-
pudentes, fucatos, maledicos, mendaces, Sycophantas, inter ſe diſcordes, ...
ſeditioſos, furentes*, &c.

Nec obſunt quæ ad commendandam Magiſtri ſui vocationem ſcri- 18
bit Bechmannus. Non 1. felicitas ejus in explanandis Scripturis, quæ
ſi quan-

ſi quandoque Eraſmo novitatum amantiori placuit, nemini ſane antiquitatis & caſtitatis amico placere potuit. Et vero ita Scripturas expoſuit Lutherus, ut in iis portentoſa hæc dogmata, quæ n. præc. recenſuimus, adinvenerit; & e quibus nonnulla feliciter impugnavit Eraſmus. Atqui non eſt id Scripturam interpretari, ſed adulterare. Ut quid ajebat Lutherus ſe nec Auguſtinos mille, nec mille Cyprianos, &c. vereri: niſi quia non ad guſtum primævæ Traditionis, ſed ad concuſſi ſui cerebri phantaſiam Scripturas contorquebat?

19 Non 2. mens in periculis imperterrita. Tum quia & diabolus ſuos martyres habet, Tum quia ea ſolum mens vere eſt imperterrita, quæ Chriſtiane impavida eſt, quæ prohinc Chriſti & Apoſtolorum exemplo, cum patitur, non comminatur, maledictionem pro maledictione non reddit, benefacit perſecutoribus ſuis, &c. His porro num fuere Lutheri Caracteres? Ubi gentium Apoſtoli Judæos, Ethnicoſve, porcorum, aſinorum, ſimiliumve nominibus inſignierunt? Ubi obſcœna ſermonibus ſuis immiſcuerunt? Ubi Cęſares, licet tempore ſuo ſceleſtiſſimos, diris devoverunt? Ubi eos omnes, prout quantum ad Papam & Cardinales optabat Lutherus, ſacco incluſos in mare projici exoptarunt? Sui ergo fuerint Luthero furores, per nos non ſtabit: at fuiſſe ei Chriſtianam animi firmitudinem concedet nemo, niſi ex proprii ſyſtematis neceſſitate.

20 Non 3. ſucceſſus laboris, ſeu novi Evangelii propagatio. 1. Quia nihil habuit Lutherus præ Manichæis, * Arianis, Neſtorianiſve, aut Euthychianis, qui hodieque multam Orientis partem inficiunt; 2. Quia nihil mirum ſi late & facile propagetur Religio, quæ homines ab arctiori via ad laxiorem invitat, quæ criminibus indulget, quæ latos Clericorum fundos ſæcularibus Principibus diripiendos offert, quæ Monachos & Moniales a votis ſuis & clauſtri nexibus abſolvit; quæ Sacerdotibus continentiæ pertæſis, ſæculo rudi, & voluptatibus dedito, uxores, forte etiam duas, ut Haſſiæ Landgravio, indulget. Porro ea fuit novi Eccleſiaſtæ Religio, quam qui veram credit, *etſi uno die millies fornicetur*, de ſalute ſua in Chriſto confidere poteſt, & debet. Ergo mirum quod hæc latius non increverit, nihil autem mirum quod multam Germaniæ partem infecerit: præſertim cum ejuſdem clamoribus aſpiraverint ſeditiones & bella, ab ipſo quidem primum, ex Catholicis, quæ non niſi per partes rejecit, principiis reprobata, ſed poſtmodum, creſcente furoris æſtu, adoptata. Hinc Martii illi clamores, tom. 2. Vvitt. in aſſertione art. 13. *Qui habet aures audiendi, audiat, & a bello Turcico abſtineat, donec Papæ nomen ſub cælo valet*, & Tom. 7. Vvitt. fol. 331. *Res riſu tantum digna foret, ſi qua inſignis & bene robuſta concitaretur ſeditio, quæ Magiſtratus Eccleſiaſticos de mundo extirparet*. Rurſum Tom. 5. fol. 97. ejuſd. edit. Et Tom. 4. Jenenſ. fol. 97. §. 2. *Hoc Deus avertat, ut Evangelium ſine ſeditione prædicemus. Nam ſi non turbas excitaremus, omniaque pacata & tranquilla eſſent, actum jam eſset de noſtro Evangelio. Oportet enim Evangelium turbas excitare, quocumque venit: hoc ſi non facit, non eſt verum Evangelium*. An ergo hujuſmodi turbas, ſeu ſeditiones, excitavit Chriſti Evangelium? An qui ipſum amplexi ſunt, adver-

* Vide Baronium ad ann. Chriſti 271.

adverſus Principes rebellavere? An alium gladium induxit Chriſtus Matth. 10. 34. quam qui filium ab impio patre, filiam a matre idolis tenaciter & imperioſe addita ſeparat: ita ut diſſenſio ex parte infidelis ſemper iniqua ſit, ex parte Fidelis pia, juſta & ſancta magnæque & Chriſtianæ patientiæ conjuncta? Annon, ut olim Joannis tempore, hinc cognoſcuntur filii diaboli, quod diſcordiarum & ſchiſmatum auctores ſint? Apage Lutheri commentarios.

Nec demum Lutheri cauſſæ proſunt, noſtræve nocent, ſeu vaticinia 21
Lutheri, ſeu vaticinia de Luthero. Non priora, tum quia hæc qua facilitate aſſeruntur a ſuſpecta Secta, eadem a nobis negari poſſunt; tum quia prophetavit Balaam, prophetavit Caiphas, prophetarunt & illi qui aliquando dicent: *Nonne in nomine tuo prophetavimus?* Matth. 7. tamen inſigniter reprobi erant; tum quia ſi Lutherus a Diabolo quantum ad dogma erudiri meruit, quidni ab eo circa futura quædam, malitiæ ipſius permiſſa, potuerit edoceri? Interim Lutherum & Melanchtonem pſeudo prophetas fuiſse, atque Papatus ruinam falſo minatos liquet ex citata Variationum Hiſtoria.

Non poſteriora: iſtud enim præ ceteris numero paucis laudatur va- 22
ticinium in gratiam Lutheri, quod Joannes Hus, cum ad rogum duceretur Conſtantiæ, dixerit: *Poſt centum annos veniet Cygnus, quem aſsare non poteritis*. Atqui ſplendida hæc prophetia, quæ ceteroqui ex modo dictis nihil in Huſſi aut Lutheri gratiam probaret, nullius, ſub quocumque reſpectu inſpiciatur, poteſt eſſe momenti. 1. Quia merito ſuſpecta ſit, ut quæ nullos habeat fidejuſſores præter Huſſitas & Lutheranos. Eam ſane explodit, uti probabiliter ex poſt facto fabricatam, Jacobus Lenfant in ſua Conſtantienſis Concilii Hiſtoria, Lib. 3. pag. mihi 293. 2. Quia vir fervidę imaginationis, qualis erat Hus, multa alia prædixit, quæ falſa eſſe prodidit eventus, ut ibid. pag. 292. videre eſt. 3. Quia nihil eſt cur fictitia Huſſi verba in Lutherum magis cadant, quam in Carolſtadium, Zuinglium, aut Calvinum; nam & hi quoque poſt centum, ab an. 1415. ſeu ab Huſſi morte, annos venerunt. 4. Quia porcus quidem vocari potuit Lutherus, Cygnus autem nequaquam: cum totus ejus candor fuerit in fœtore, pœdore, ſtercore, aliiſque id genus cupediis, quas ad nauſeam uſque exhalant Libri ejus. 5. Quia fieri vix potuit ut Huſſio Cygnus fuerit Lutherus, qui a doctrina Huſſi multis in capitibus receſſurus erat. Adde quod mali de malis prophetare poſſint.

Confirm. quia fieri non poteſt ut Deus geminam Religionem, con- 23
tradictorie oppoſitam, ſimul, per miracula propagaverit. Alioqui erroris ſimul & veritatis propagator eſſet, quod Chriſtianæ aures non ferunt. Atqui quo tempore latius graſſabatur Auguſtana Lutheranorum Confeſſio (ſi tamen merito graſſari dicatur ea ſpecies Confeſſionis, quam pauci integram habuerunt, pauciores vero integram ſecuti fuere) eodem longe lateque a pluribus Eccleſiæ Romanæ Miniſtris, abſque armis & ſeditionibus, ſed in fame, nuditate, periculis, diſſeminabatur Catholica Religio. Ex his vel unus Xaverius multa centena hominum millia intra decem annos ad Fidem convertit; Travancoridis Regnum pene totum revocavit ab errore; ampliſſimum Japoniæ Imperium

Evan-

Evangelicæ lucis ſplendore illuſtravit; Reges multos, quibus ignotum erat Romæ nomen, Romanæ fidei ſubjecit; & in his Regem Bungi cum maxima ſubditorum parte. Quæ quidem adeo nota ſunt, ut ex Apoſtolicis Xaverii laboribus veritatem Chriſtianæ Religionis probaverit Baldeus, pſeudoreformationis aſſecla; non ſatis attendens ſe hac via, non Chriſtianam ſimpliciter, ſed Catholicam Religionem probare. Sed de his, quæ in præſens omiſiſſem, ſi aliquando dicturus eſſem de Eccleſia, jam ſatis, ut conſtet Lutherum, ſi a quopiam extraordinarie miſſus eſt, non a Deo, ſed a dęmone, Magiſtro ſuo, miſſum eſſe.

24 Jam vero quod Lutherus nec ordinariam Miniſtros inſtituendi poteſtatem habuerit, non minus evidens eſt. Siquidem nullum in Eccleſia gradum recepit Lutherus quam Sacerdotii. Atqui ex ſupra demonſtratis ſimplex Sacerdos Sacerdotes alios, immo nec Diaconos conſecrare poteſt, nec a fortiori Epiſcopos. Ergo quidquid in hac parte a Luthero tentatum eſt, perperam & ſacrilege tentatum eſt. Unde, cum Nicolaum Amſdorf, quem Magdeburgenſis Eccleſiæ Paſtorem jam creaverat, Naumburgenſem Epiſcopum ordinavit, id fecit quod in tota Chriſti Eccleſia hactenus fuerat inauditum, uti obſervat Boſſuetus lib. 1. Variat. pag. 29.

25 Obj. 1. cum Bechan. pag. 817. Qui vocati ſunt Apoſtolico ritu, non ſecus ac primi Diaconi, legitime vocati ſunt. Atqui Miniſtri in Eccleſiis Lutheranis vocati ſunt... Siquidem primi Diaconi vocati ſunt a tota multitudine, ut patet ex Act. 7. Atqui pariter vocati ſunt, & hodieque vocantur Lutherani Miniſtri auctoritate totius Eccleſiæ; cui Chriſtus dedit poteſtatem ſibi eligendi & conſtituendi Miniſtros; ita *ut concurrant ſuo modo omnes tres ſtatus Eccleſiæ, Miniſterium, judicando de perſonæ vocandæ qualitatibus, Magiſtratus cenſentiendo, populus ſuffragia ferendo.*

26 Reſp. 1. Si valeat iſta hæc argumentandi ratio, nullam eſſe toto in Orbe ſectam, quantumvis exitialem, quæ, ſi præſertim a malo Sacerdote invecta ſit, legitima vocatione gloriari non valeat. Adeoque non in Calvinianis modo, ſed & in Socinianis, poſt certum diffuſi erroris tempus, occurret legitima Miniſtrorum ſucceſſio: quia ad hanc ſufficiet triplicis ſtatus concurſus, nempe Miniſterii, Magiſtratus & populi ſuffragia ferentis, immo quidni ſufficiat populi ſolius ſuffragium? Cum & in eo quoque ſtare poſſit Eccleſia, cui, juxta Adverſarium *Chriſtus dedit poteſtatem ſe ipſam ordinandi, adeoque ſibi ipſi eligendi & conſtituendi Eccleſiæ Miniſtros.*

27 Reſp. 2. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. maj. tamquam quæ falſo ſupponat Diaconos ſeptem ex ſola populi electione, non autem ex Apoſtolica conſecratione gradum ſuum fuiſſe conſecutos. Siquidem ex his quæ paſſim hactenus a nobis poſt Scripturam & Traditionem diſputata ſunt, manifeſte conſtat, neminem umquam ad officium, ſeu Sacerdotis, ſeu etiam Diaconi, ſine Epiſcopali manuum impoſitione aſcendiſſe.

28 Inſt. viget hæc manuum impoſitio in Eccleſiis Lutheranis; eamque an. 1507. ab Epiſcopo ſuo receperat in Papatu Lutherus. Ergo Lutheranum Miniſterium nullo prorſus defectu laborat.

29 R. 1. ad Ordinationem validam non ſufficere ut cuipiam manus imponantur, ſed requiri ut ritum hunç comitetur forma legitima. Atqui nec

eſt

eſt nec eſſe poteſt apud Lutheranos, qui Sacrificium Miſſæ rejiciunt *, forma legitima; cum hæc ad Sacrificium proprie dictum eſſentialiter in omnibus mundi Eccleſiis relativa ſit, ut diſſert. ſeq. dicemus.

R. 2. nobis eſſe gratulandum, quod Evangelici Ordinationem Lutheri ab uno ex Antichriſti Miniſtris, ut volunt, peractam, admittere dignentur. Verum quia Lutherus in Sacerdotem dumtaxat, nuſquam vero in Epiſcopum conſecratus eſt: ſolis vero Epiſcopis Sacerdotes inaugurare conceſſum fuit; conſtat irritas omnino fuiſſe & ſemper fore Lutheri, Lutheranorumque Ordinationes. 30

Inſt. 2. cum eodem, pag. 819. eo ipſo quo Lutherus ordinatus eſt Sacerdos, ordinatus eſt & Epiſcopus; cum ex Actorum 15. & ex aliis Scripturæ locis Epiſcopi & Presbyteri de Jure Divino non differant. 31

R. nullum quidem eſſe de Jure Divino Epiſcopos inter & Presbyteros diſcrimen in ſyſtemate Aerii: eſſe vero in mente Eccleſiæ, quæ ſyſtema illud, quoquoverſum patet, reprobavit, uti fuſe & ſolide ſupra probavimus. 32

DISSERTATIO SECUNDA

De validitate Ordinationum Anglicanarum.

NIhil eſt cur diſcutiendis Calviniſtarum Ordinationibus immorer, quia cum eæ originem trahant ab Apoſtatis, quorum alii ne Subdiaconatu quidem donati erant, ut Calvinus; alii ſolo Sacerdotio inſtructi; palam eſt Ordinationes eorum non alterius eſſe roboris, quam ſint Lutheranæ. Deveniendum igitur ad Ordinationes Anglicanas, quæ multo plus faceſſunt difficultatis. Eſt quidem præſens hæc quæſtio operoſæ aleæ plena, ſed cujus laborem utilitas ſuperatura ſit; cum id demum agatur, num Angli, ſeu Presbyteri, ſeu Epiſcopi, qui ad Romanam Eccleſiam identidem revertuntur, denuo in Epiſcopos aut Presbyteros conſecrandi ſint; adeoque an ita defecerit apud Anglos legitima Miniſtrorum ſucceſſio, ut jam a plenæ ſuæ defectionis temporibus nec Presbyteros habeant, nec Epiſcopos, a quibus ceteri legitime & valide inſtituantur. Ut autem intelligatur difficultatis nodus, 1

Not. 1. rem totam pendere ab Ordinatione Matthæi Parkerii. Is enim Anglicani, quale nunc viget, Miniſterii caput eſt, & veluti prima radix; cum ab eo *Reformati* omnes Epiſcopi deinceps conſecrati fuerint. Porro Parkerius ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum an. 1559. die 1. Auguſti, a quinque Eccleſiæ Cantuarienſis Canonicis, qui prætenſam Reformationem amplexi erant, electus eſt de licentia Reginæ Eliſabeth. Hæc vero geminum ad Parkerii conſecrationem Mandatum dedit, aliud quidem die 9. Septembris, quod caruit effectu, forte quia ex Epiſcopis quinque ad quos Mandatum illud directum erat, tres 2

* Vide quæ diximus Tom. V. Moralis in 4. part. 2. cap. 2. pagin. 648. & 654.

tres ad minimum primi, ut qui Catholicæ Fidei addicti eſsent, homini palam Zuingliano manus imponere recuſarunt *; aliud vero die 6. Decembris, quod quidem directum erat ad Antonium Kitchin; Landavenſem Epiſcopum, Willielmum Barlovve, quondam Bathonienſem Epiſcopum, nunc Ciceſtrenſem Electum, Joannem Scorye, quondam Ciceſtrenſem Epiſcopum, nunc Herefordenſem, & alios tres, quos dabit inter probationes juſtificativas Corayerus, p. 56.

3 Not. 2. circa illam Parkerii Ordinationem varias moveri difficultates, quarum aliæ facti ſunt, juris aliæ. 1. enim ambigitur an Barlovvius ipſe in Epiſcopum conſecratus fuiſset, cum Parkerium ordinavit; quin & dubitatur an reipſa conſecraverit Parkerium. Sunt enim qui totam Parkerii inaugurationem exiſtiment Londini in Hoſpitio ſeu Caupona peractam fuiſse a Joanne Schorio, Præmonſtratenſi Apoſtata, qui *rem cito peregit*, *hac uſus cæremonia*: *Illis omnibus*, qui in locum Catholicorum carceribus incluſorum ordinandi erant, *ante ipſum genua flectentibus*, *unicuique illorum Biblia ſuper caput imponens*, *dixit*: *Accipite poteſtatem verbum Dei ſincere prædicandi*, *& ſic ſurrexerunt omnes Epiſcopi*: ita refert Champnejus, natione Anglus, Sorbonicus Doctor, in Libro *de vocatione Miniſtrorum*, Anglice edito an. 1616. Latine autem annum 1618. cap. 14. pag. 597. Alii vero quibus præivit Franciſcus Maſon, ſeu Maſson, Georgii Abbot pſeudo-Cantuarienſis Archiepiſcopi Capellanus, & Baccalaureus Oxonienſis, Parkerii Ordinationem prope Londinum in Palatio Lambethenſi, Cantuarienſium Archiepiſcoporum proprio, celebratam eſse contendunt, & Ordinationem hoſpitii meram eſse fabulam inclamant. Alii demum, licet hoſpitii Ordinationem mordicus non admittant, mordicus tamen Lambethenſem, ut ſumme dubiam, fictiſque monumentis innixam explodunt. Primam opinionem, quæ Champnei eſt, tenuit Joannes Harduinus, e S. J. vir nemini non totus. Secundam Franciſcus le Courayer, Canonicus Regularis Sanctæ Genovefæ, primus e Catholicis Anglicani Miniſterii defenſor *. Tertiam Michael le Quien, e familia Dominicanorum, Scriptor Orbi Litterario non uno nomine approbatus. Alii pene incerti quam ex his opinionibus arripiant, tertiæ quæ juris eſt quæſtioni inhærent, & Ordinationem Parkerii, ſi forte ex parte Mini-

* Cette commiſſion datée du 9. Septembre, *etoit* adreſſée à Cutbert Tonſtal. Eveque de Durham, Gibert Evéque de Bath, & de VVells, David de Peterboroug, Antoine de Landaff, & à Guillaume Barlovv & Jean Scory, qualifiés auſſi d'Eveques pour la confirmation & le ſacre de Parker. Que cette commiſſion que Bramhal a imprimée le premier ſoit vraie ou fauſſe, elle n'eut aucun effet. *Le Quien* Nullité des Ordinat. Anglican. *Tom. I. p.* 178. Vide Diploma illud apud Patrem le Courayer ad calcem Diſſertationis ejus pag. 54.

* Actum erat an. 1717. inter unum e Doctoribus noſtris, Dupinum videlicet & Doctorem VVake, deinde Cantuarienſem Archiepiſcopum de ineunda Anglicanam Eccleſiam inter & Catholicam concordia: jamque Pariſiis approbati fuerant articuli ſex ab Anglia tranſmiſſi quos refert P. le Quien Tom. 1. *Nullitatis denuo demonſtratæ*, cap. 1. pag. 7. & ſeq. Ne autem huic reconciliationis propoſito obſtaret Ordinationis Anglicanæ improbatio, ejuſdem vindicandæ onus ſuſcipiendum erat. Id, non tamen eo conſilio, ſuſcepit P. le Courayer, magno conatu, quali vero exitu conſtabit ex dicendis.

Miniſtri arguenda non venit, ex parte materiæ, vel ſaltem formæ invalidam eſſe tuentur. Quod ut facilius intelligi valeat.

Not. 3. Angliam, cum a Romana Eccleſia defecit, veteres, quos 4
huc uſque ſecuta erat ritus, in ipſa etiam Ordinationum materia immutaſſe. Verum, quod innovantibus familiare eſt, non eodem die, ſed ſenſim, res ad eum in quo nunc ſunt ſtatum deductæ fuerunt. Namque 1. ſub Henrico VIII. miſerandi ſchiſmatis auctore, ritus omnes Eccleſiæ Romanæ in Epiſcopali conſecratione conſtanter adhiberi perſeverarunt; hoc ſolum dempto quod facinoroſus Princeps *, qui ſe jam ab an. 1531. in ſupremum Anglicanæ Eccleſiæ caput erexerat, nec Reſcripta Apoſtolica obtineri, nec horum mentionem fieri pateretur. Nulla igitur de Ordinationibus ſub Henrico VIII. factis, dummodo reipſa factæ ſint, non eluſæ, moveri poteſt difficultas; cum Pontificium Diploma ad Ordinationis ſubſtantiam non pertineat; nec dubium ſit, quin valide ordinentur Græci, licet abſque Reſcripto Apoſtolico.

Verum cum Henrico ſub initium anni 1547. demortuo ſucceſſiſſet 5
Eduardus VI. decennis infans, Eduardus Seymour, Regni Protector ſeu Regens, vir intime Zuinglianus, & Cranmeri, Cantuarienſis Archiepiſcopi, Puritani pariter, ſeu Zuingliani, amicus, novam Ordinationum formulam an. 1549. cudi præcepit. Abolito Romano Pontificali, tamquam opere fabulis referto, poſtulavit eodem anno Londinenſis Curia, ſeu Parlamentum, a Rege, ut ipſe ſex Epiſcopos & Theologos totidem, Legis divinæ gnaros ſeligeret, a quibus nova iterum componeretur Liturgia: etſi enim Parlamentum eam quæ paullo antea veteri ſubſtituta erat, Spiritus Sancti fœtum eſſe declaraſſet, hanc tamen pene ſtatim voluit emendari; quia Calvino, cui multa cum Protectore per litteras inerat neceſſitudo, nimiam cum Miſſa Papali affinitatem habere viſa eſt. Sub nova igitur ſpecie emicuit ann. 1550. eoque & ſequenti anno a Parlamento confirmata eſt. Juxta novum iſtud Ordinale ſeu Rituale conſecrati ſunt, niſi potius execrati, Epiſcopi prima vice, die Aprilis 1. an. 1551. Ita vulgo referunt Auctores noſtri: ſed ab his diſſentit Harduinus, juxta quem novum Ordinale nonniſi an. 1552. promulgatum eſt; ita ut nemo juxta ipſius formam in Epiſcopum ordinatus ſit ante mortem Eduardi.

Mortuo Eduardo, Maria quæ eidem in Regnum ſucceſſit an. 1553. 6
Pontificale Romanum reſtitui voluit. Aſt eadem, a. 1558. menſe Nov. aliquot annos ante Cardinalem Polum, Angliæ ex Cantuarienſi Archiepiſcopatu Primatem, defuncta, Eliſabeth, digna Henrici VIII. & Annæ Boleniæ ſoboles, in Catholicæ rei perniciem infeliciter ſagax, Mariæ leges antiquavit, & invectam ſub Eduardo formulam in priſtinum vigorem reſtituit an. 1559. accedente Parlamenti ſuffragio. Rituale iſtud longo firmatum uſu ſub Regina, quæ annos 45. imperium tenuit, hactenus permanſit pene intactum, *pene* dico; quidquid enim ſub Carolo II. an. 1662. mutationis ſubiit, rei ipſius ſubſtan-

* Immolavit libidini ſuæ Henricus VIII. Cardinales duos, Archiepiſcopos 2. Epiſcopos 18. Abbates 13. Priores, Monachos, & Sacerdotes 500. Archidiaconos 14. Canonicos 60. Doctores 50. & plures, nobiles viros 335. feminas nobiles 110. &c.

tiam non tangere, ſed accidentalia quædam ex æquo credunt P. le Quien, & Courayerus, Tom. 2. p. 45. inter probationes, ut ajunt, juſtificativas. Mihi tamen mutatio ſub Carolo II. facta, non ita levis eſſe videretur, ſi ad præſentem controverſiam pertineret.

His præmiſſis non omnia quidem, ſed potiſſima graviſſimæ hujus controverſiæ momenta, qua meliori fide potis erit, ſimul & calamo, quam licebit temperantiori, proponemus. Ne vero inſueta quædam Diœceſeon nomina Candidatis moram injiciant, hæc niſi per ſe ſatis intelligantur, Latine & Gallice dabimus.

Archiepiscopi et Episcopi.

Aſſavenſis, *de S. Aſaph.*
Bathonienſis, *de Bath*, ou *de VVels.*
Cantuarienſis, *de Cantorberi*, Arch.
Ciceſtrienſis, *de Chicheſter.*
Doverenſis ſuffrag. *de Douvres.*
Dunemienſis, *de Durham.*
Elienſis, *d'Eli.*
Herefordienſis, *d'Hereford.*
Landavenſis, *de Landaf.*
Menevenſis, *de S. Davids.*
Oxonienſis, *d'Oxford.*
Roſienſis, *de Rocheſter.*
Vigornienſis, *de Vorcheſter.*
Vintonienſis, *de Vincheſter.*

ARTICULUS PRIMUS.

De Anglicanis Ordinationibus ex parte Parkerii & Barlovvii.

UT Anglorum argumenta penitius inſpiciantur, placuit ea non fruſtratim & per partes, ſed univerſa ſimul, quantum fert hujus operis natura, exponere. Quod ubi pro viribus factum erit, adverſæ opinionis momenta exhibebimus: & ad Anglicana reverſi expendemus an non improbabiliter reſolvi poſſint.

Momenta Anglorum et Courayeri.

Ut valeant Anglorum Ordinationes, & legitima ſuperſint apud eos veri Miniſterii ſucceſſio, tria ſufficiunt, 1. ut Parkerius, quem Anglicani Miniſterii fontem & caput eſſe conſtat, reipſa conſecratus fuerit; 2. ut conſecratus fuerit a vero Epiſcopo; 3. ut conſecratus fuerit ab Epiſcopo, qui formam & materiam ſufficientem adhibuerit *. Atqui tria hæc conſtant; jamque per partes probabuntur.

PARS

* Sed quid, ſi exterius intentione debita caruiſſet, puta eidem palam renuntiando?

PARS PRIMA.

Factum Parkerii.

1. ITaque reipſa conſecratus eſt Parkerius. Ut enim Parkerii con- 7
ſecratio extra dubium omne poſita ſit, ſatis eſt 1. quod inſtrumentum, ſeu *Actum* conſecrationis hujus omni exceptione majus reperiatur; 2. quod conſecratio ejus, prout a Champneio refertur in hoſpitio facta, mera ſit fabula ex omni parte nutans. Atqui duo hæc certiſſime conſtant.

Namque 1. extat inſtrumentum conſecrationis Parkerii omni exceptione majus (apud Courayer, ad calcem Tomi 2. pag. 61.) Nempe vero Actum illud depromptum eſt e Commentariis ſeu Regiſtris Cantuarienſis Eccleſiæ, atque e Bibliotheca Cambridgenſi Corporis Chriſti: eſt quoque a perſonis publicis recognitum, & ut ajunt, legaliſatum: Nihil in eo deprehendi poteſt quod ſuppoſitionem redoleat: Mire conſonat aliis ejuſdem ævi monumentis; puta iis quæ in Annalibus Eliſabeth ſcribit Cambdenus, Auctor & Coævus & accuratiſſimus *, Parkerium ſcilicet *Lambethæ* conſecratum fuiſse, *concione habita, Spiritu Sancto invocato, & Euchariſtia celebrata, impoſitione manuum trium quondam Epiſcoporum, Guillelmi Bathonienſis, Joannis. Scory Ciceſtrienſis, & Joannis ſuffraganei Bedfordienſis*; & ab eo poſtea conſecratum fuiſse Edmundum Grindall, &c. Conſonat quoque idem hoc Actum, tum Diario vitæ Parkerii, quod inter tabulas ejus eodem mortuo repertum eſt, ubi hæc ſcripta ſunt: *XVII. Decembris an.* 1559. *conſecratus ſum in Archiepiſcopum Cantuarienſem. Heu! heu, Domine Deus, in quæ tempora ſervaſti me?* &c. tum & huic notulæ manuſcriptæ, quam Joannes Parker, Mathæi filius, addidit nonnullis exemplaribus Libri de Antiquitatibus Eccleſiæ Britannicæ, editionis an. 1572. *Iſte Matthæus* Parker *natus fuit ſexto Auguſti* 1509. *conſecratus Archiepiſcopus* 17. *Decemb.* 1559.... *moritur Lambethi & ſepelitur* 17. *Maii* 1575.

Et vero, tria dumtaxat contra inſtrumentum illud objici poſſunt, quæ 8
difficultatis ſpeciem adumbrare videantur; 1. nempe Actum iſtud per annos totos 50. productum non fuiſse; 2. idem videri debere ſuſpectum, quia a manu commodis ſuis ſerviente prodierit; 3. demum Parkerii conſecratores non uno eodemque modo referri ab iis qui Actum hoc citavere: quæ ſuppoſitionis indicia eſse videntur: Atqui tria hæc nullius ſunt momenti.

Non primum, 1. quia Acta multa diu latuere, quæ tamen ubique 9
gentium habentur pro genuinis? Quid vero mirum, ſi nullo contra Parkerii Ordinationem reclamante, inſtrumentum conſecrationis ejus editum non fuerit in lucem? Nonne productum eſt ſtatim ut fabula

* Neque Parkerio, qui an. 1575. denatus eſt, coævus vere dici poteſt Cambden, qui an. 1615. ſcribebat; neque adeo accuratus eſt, uti eum prædicat Courayer Tom. 1. pag. 18. cum & redarguatur, quia multa vera reticuerit, & falſa non pauca vel dixerit, vel ſubindicaverit. Vide P. le Quien Tom. 1. *Nullitatis*, p. 419.

conſecrationis in hoſpitio factæ evulgari cœpit: quæ dubio procul ſi prius vulgata eſset, Actum iſtud prius quoque juris fuiſset publici. 2. quia reapſe Actum iſtud ante ipſam Parkerii mortem citatum eſt, tum in vitis Archiepiſcoporum Cantuarienſium, quæ an. 1572. Londini prodierunt, ubi refertur Parkerii conſecratio, addita ad marginem notula iſta; *Hæ confirmationes & conſecrationes in Regiſtris apparent*; tum in Operibus Cambdeni, Govvini, Hallii, qui inſtrumentum hoc citavere, abſque eo quod ab ullo quopiam ſuppoſitionis poſtulatum fuerit. Et vero Actum iſtud fidei eſt adeo indubiæ, ut illud ipſis etiam Catholicis Cantuarienſes Archiepiſcopi examinandum lubenter committant, prout duplici exemplo comprobat Courayerus, quem adi Tom. 1. p. 26. & 27.

10 Non ſecundum: Si quæ enim hic ab Anglis interceſserit ſuppoſitio, debuit hæc utique eo modo fieri ut omnis tolleretur difficultas: Atqui res non ita ſe habent. Namque 1. deeſt in Actis illis conſecratio Barlovii, quæ & tanti quoad præſens negotium momenti erat, & eadem facilitate cudi potuiſset. 2. omiſsa fuiſset hæc, quæ toties contra Parkerii Ordinationem a Catholicis objecta eſt, in Litteris Reginæ Eliſabethæ, quæ Parkerii conſecrationem præcipiunt, clauſula: *Supplentes ſuprema noſtra regia auctoritate, ex mero motu ac certa ſcientia noſtris, ſi quid aut in his quæ juxta Mandatum noſtrum per vos fient, aut in vobis, aut in veſtrum aliquo, conditione, ſtatu, facultate veſtris, ad præmiſſa perficienda deſit aut deerit*, &c. 3. denique ſi inſtrumentum hoc mera ſit in Parkerii gratiam adinventio, quidni ſuppoſitum eſt, Parkerium ſecundum Pontificalis Romani formam, non autem ſecundum *Ordinale* Eduardi VI. conſecratum fuiſſe? Ergo chimerica eſt quæcumque hic fingitur interfuiſſe ſuppoſitio; præſertim cum innumera quotidie variis in Regionibus edantur Acta, quæ etſi parti magis uni favent quam alteri, pro genuinis agnoſci non deſinunt. Idem ibid. p. 16. 30. &c.

11 Non tertium: hæc enim objectio, quæ prima fronte momenti alicujus eſſe videtur, facile evaneſcit, ſi ſemel conſideretur eos qui vel Actum totum evulgarunt, ut Bramhall & Burnet, vel quædam ejus fragmenta, ut Maſon, aliis Maſſon, ipſum ſemper ratione prorſus uniformi citaviſſe. Ergo quæ identidem apparent variationes, non ab ipſo natæ ſunt inſtrumento, ſed inde prodierunt, quod cum Epiſcopos ſeptem qui conſecrationi intereſſent, deſignaſſet Reginæ Epiſtola, qui hanc conſuluere, totidem Epiſcopos conveniſſe crediderunt: Acta vero vel non conſuluere, vel memoriæ, ut his in factis ſæpius contingit, nimis confiſi ſunt. Accedit quod varietates illæ nullius reapſe ſint momenti, uti probat Diſſertator part. 1. p. 32. & ſeq.

12 2. Non modo fabulam ſapit, ſed adeo plene fabula eſt tota Champnei relatio de Parkerii Ordinatione in hoſpitio facta, ut hanc retuliſſe ſimul confutaſſe ſit. Sic enim habet c. 14. p. 497. *Initio regni Eliſabethæ, depoſitis & in cuſtodiam conjectis Catholicis Epiſcopis, alii creandi & illis ſufficiendi erant. Qui fuerunt ad illam dignitatem nominati & electi, ex condicto in quodam hoſpitio, cui inſigne erat caput manuli, in vico dicto Cheapſidone Londini convenerunt. Illuc etiam invitatus venit* Antonius Kitkin

Lan.

Landavenſis Epiſcopus, multa ſenectute jam decrepitus, vir ſimplex & meticuloſus. Ab ipſo expectabant Ordinationem novi Candidati. Quod Bonnerus Epiſcopus Londinenſis, in carcere Religionis ergo conſtitutus, ſubolfaciens, minatus eſt Landavenſi excommunicationem, ſi eos ordinaret. Quo nuntio territus ille ... pedem retulit, & oculorum infirmitatem cauſſatus, manus eis imponere recuſavit ... Iſti ſenem, quem antea honore non mediocri proſequebantur, opprobriis laceſſere cœperunt; quidam inter illos dicentes: Delirus iſte ſenex exiſtimat nos Epiſcopos non fore, niſi liniti & oleo delibuti fuerimus, &c. Narrat deinde quomodo ad Scoryum confugerint. Atqui narratiuncula hæc ipſiſſimos fabulæ caracteres habet.

1. enim teſtatur Champneius, ſe eam audiviſſe a quodam Thoma Bluet, qui & ipſe eam audiverat ab ipſo illo Thoma Neal, quem ad Epiſcopum Landavenſem miſerat Bonnerus eidem comminaturum excommunicationem, niſi a Parkerii Ordinatione abſtineret. Quis porro credat Epiſcopos, e quorum re erat, facinus, quod, ſi Relationi fides, animo meditabantur, occultare, viros adeo ſuſpectos, qualis erat Nealis ille, hujus ſuæ agendi rationis teſtes fieri permiſiſſe? Quis in animum inducat ſuum, homines qui paſſus ſuos a Catholicis dinumerari noverant & in ſtatera ponderari, cauponam ſelegiſſe, in qua conſecrarentur? 13

2. Fatetur Sanderus Elizabetham præcepiſſe, ut quos ipſa nominaverat Epiſcopos, ii juxta Regni leges, prohinc ſecundum Eduardi Ordinale, conſecrarentur. Quo igitur pacto Mandata hæc jam ab initio contempſiſſent novi Epiſcopi, ad Catholicum Epiſcopum, dubio procul Catholice ordinaturum, recurrentes? Num id tranquille paſſura fuiſſet legum ſuarum zelatrix Elizabeth? Annon vel ipſe Sanderus violationem hanc Parkerio objeciſſet, aliique cum ipſo Miniſterii novi Anglicani exoſores? Atqui hæc tamen tanti momenti objectio, nonniſi ſub ipſa Jacobi I. tempora in lucem emiſsa eſt, adeoque poſt ann. 1603. 14

3. Ridiculæ ſunt quas Landavenſi Epiſcopo dicitur intentaſse minas Bonnerus. Num enim Landavenſis ille Antiſtes, qui licet Catholicus, uſque adeo mollis fuerat, ut Regii *ſuprematus* juramentum, a ceteris Epiſcopis, qui tunc erant ſolum num. 15. recuſatum, præſtaret, & ipſum præſtando, excommunicationem incurrerat, novam Bonneri excommunicationem veriturus fuiſset, aut veriturum fore probabiliter ſperaſset Bonnerus? 15

4. In Champnei relatione traditur Scoryum numquam fuiſse conſecratum. Atqui id indubie falſum eſt. Cum ex Scriptoribus univerſis conſtet Scoryum a Cranmero juxta novum Eduardi Rituale fuiſse conſecratum, prout liquet ex Cranmeri Regiſtro, & indubium facit Auctor Faſtorum Eccleſiæ Anglicanæ, qui & ejus conſecrationis diem aſſignat. Courayer part. 1. p. 24. 16

PARS SECUNDA.

Factum Barlovvii.

Ille cenſeri debet in Epiſcopum conſecratus fuiſse, cujus conſecrationem & validiſſimæ teſtantur Monumenta, & non infirmant quæ 17

contra objiciuntur. Atqui Barlovvii conſecrationem 1. validiſſima teſtantur monumenta.

18 Omiſſo enim Godvvini, parum forte accurati, teſtimonio, rem aperte teſtatur warthon, Auctor Angliæ ſacræ, qui p. 359. ſic loquitur: *VVillelmus Barlovv tunc Prior Canonicorum Regularium de Bisham Ordinis Auguſtiniani, a Decano & Capitulo Aſſavenſi in Epiſcopum electus an. 1536. Januarii 16. a Thoma Archiepiſcopo Cantuarienſi, die 23. Februarii ſequentis confirmatus eſt.* Idem habet Auctor Faſtorum Eccleſiæ Anglicanæ. Atqui confirmationem hanc conſecratio ſtatim ſubſequi debuit, & reapſe ſubſecuta eſt. Siquidem regia Henrici VIII. Lege ann. 1533. quam *præmunire* vocant, cautum erat ne ultra dies 20. conſecratio differretur. Qui ergo fieri potuiſſet, ut Barlovvius annos decem & amplius ſub Henrico VIII. vixiſſet ſine conſecratione?

19 Idipſum evincunt probationes ſummi ponderis non paucæ. Siquidem 1. ea eſt Angliæ lex inconcuſſa, jam ab Eduardi III. temporibus, proinde ab annis circiter quadringentis, ut Epiſcopus nemo antequam conſecratus ſit, in *Parlamento* ſedem habeat: uti probant Auctor Politiæ Eccleſiæ Anglicanæ, Bramhall, Burget, &c. Atqui Barlovvius uti Menevenſis Epiſcopus ſedit in Parlamento annis 1536. 1539. 1541. & quidem ante alios Epiſcopos certiſſime conſecratos, prout liquet ex Collectione Rymeri, &c. Courayer ibid. p. 54.

20 2. An. 1536. habita eſt una cum Parlamento *convocatio* Cleri, in qua variæ propoſitiones damnatæ ſunt, & articuli ſtatuti. Atqui hic ſubſcripſit Barlovvius ut Menevenſis Antiſtes, & ante plures ex octodecim, qui ſubſcripſerunt, chyrographum ſuum appoſuit. Interfuit & is quoque, & eodem modo ſubſcripſit Synodis ann. 1537. 1540. & 1552. An porro ante Epiſcopos conſecratos ſubſcripſiſset eo in regno, in quo perraro Synodis interſunt Epiſcopi non conſecrati, quoties vero interſunt, nonniſi poſt conſecratos ſubſcribunt; nec Epiſcoporum ſimpliciter, ſed Epiſcoporum confirmatorum dumtaxat nomen aſsumunt?

21 3. An. 1542. Barlovvius unus fuit ex Epiſcopis a quibus conſecratus eſt Arthurius Beclkelei in Epiſcopum Bangorienſem; ſecundum id Memorialis Cranmeri pag. 95. *Aſſiſtentibus ſibi & comminiſtrantibus RR. PP. VVillelmo Menevenſi & Joanne Glauſeſtrienſi.* Atqui ſub Henrico VIII. nemo unus fuit qui Epiſcopum alium, niſi conſecratus ipſe, conſecrare auderet. Courayer ead. part. 1. pag. 57. 58. &c.

22 4. Regnante Maria, an. 1554. Sedes Bathenſis (una erat cum Sede Menevenſi) declarata eſt vacare *per liberam & ſpontaneam reſignationem D. VVill. Barlou, ultimi Epiſcopi & Paſtoris ejuſdem;* eo quod ſcilicet ipſe Matrimonium contraxiſset, uti habet Regiſtrum Cantuarienſe. Atqui libera reſignatio veram conſecrationem ſupponit; eo maxime quod Barlovvii depoſitio non dicitur facta propter invaliditatem conſecrationis, uti facta legitur depoſitio Epiſcopi Lincolnienſis: ſed propter initum ſacrilege Matrimonium. Idem pag. 59.

23 5. Quidam Barlovvii ex fratre pronepos, qui cum eo per annos 8. vel

vel 10. vixerat neque ejus apoſtaſiæ & criminibus parcit, de eo ſic loquitur in Mſſ. Tractatu, cui titulus: *Speculum Proteſtantiſmi*, penes familiam Barlovvianam conſervato: *Le Docteur Barlovv fut conſacrè Eveque de S. David en 1536. & occupa ce Siège environ 13. ans. Les Proteſtans tachent de pouver qu' ils ont ètè conſacrès par Barlovv, alors Eveque Catholique* (c' eſta-dire, ordonnè ſelon le Rit Catholique) *mais le contraire eſt veritable*. (c'eſt que ce petit neveu de Barlovv ajoutoit foi à l' hiſtoire de l' Auberge, qui depuis vingt ans avoit pris le deſſus chez les Catholiques.) Iſtud porro teſtimonium eo momenti gravioris eſt, quod præſtitum ſit & ab homine bene edocto, & admodum Catholico, quique patruo ſuo ſcelera ſua exprobrat, puta quod neptem ſuam, eamque Abbatiſſam duxerit in uxorem; quod palatii Menevenſis aulam majorem abraſerit; quod plumbum unius e Caſtellis ſuis, & Eccleſiæ ſuæ prædium inſigne vendiderit. Quæ profecto Barlovvium non minus Epiſcopum fuiſſe probant, quam inſigniter nebulonem. Vide teſtimonium illud apud Courayer in fine defenſionis, Pag. CLI.

His accedit, quæ licet negativa ſit, graviſſime tamen urget probatio ducta ex ſilentio Scriptorum omnium, qui tametſi Barlovvium hæreſeos redarguerunt, numquam tamen conqueſti fuere quod Epiſcopatum non conſecratus geſſiſſet; ſed de eo omnes per annos 70. tamquam de Epiſcopo locuti ſunt. Sane multo plus probat ſilentium iſtud in gratiam conſecrationis Barlovvii, quam contra ipſam probet amiſſio inſtrumenti conſecrationem ejus adſtruentis. Idem ibid. pag. 60. 24

Secundo contra Barlovvi Epiſcopatum ſolidi nihil objici poteſt. 25
Tria enim præcipue argumenta movet doctiſſimus Renaudot *, primum quod altum ſit de Barlovvii Ordinatione ſilentium in Regiſtro Cranmeri, ubi tamen tot aliæ referuntur conſecrationes ab eo, vel ejus juſſu, peractæ. Secundum quod facultas, ſeu ut ajunt, commiſſio an. 1559. per Elizabetham data Matthæo Parker, his exarata ſit verbis: *Regina*, &c. *mandantes quatenus eumdem Magiſtrum VVilel. Barloo Epiſcopum & Paſtorem Eccleſiæ prædictæ Ciceſtrenſis conſecrare, ceteraque omnia & ſingula peragere velitis*. Qui autem conſecrari jubetur, necdum fuerat conſecratus. Tertium quod Bonnerus Londinenſis cenſuram Aſſavenſi Epiſcopo comminatus ſit, ut a Parkerii conſecratione abſtineret; quam utique & Barlovvio comminatus eſſet, ſi jam Epiſcopali donatus caractere, Parkerium conſecrare potuiſſet. Atqui ex his nullum eſt quod tantiſper urgeat.

Non 1. quia in Cranmeri Regiſtro multæ omittuntur conſecrationes, quæ ex aliis monumentis indubie conſtant, quaſque nec ipſe, ſi etiamnum ſuperſtes eſſet Champnejus, in dubium vocare auſit. Sic nullibi in eodem Regiſtro conſecrati reperiuntur Foxius Herefordienſis, Sampſon Ciceſtrenſis, Latimer Wigornienſis, Hisley Roffenſis; quorum tamen 26

* Teſtimonium Renaudoti falſo exhibet P. le Courayer poſt præfationem Diſſertationis ſuæ. Genuinum hujuſce Teſtimonii exemplum præbet P. le Quien ad calcem Operis inſcripti: *La nullitè des Ordinations Anglicanes demontrèes de nouveau*. pag. 219.

tamen quemlibet rite conſecratum fuiſſe publicis ex tabulis conſtat. Qui plura in id exempla volet, adeat fragmenta ad Courayerum ab Anglis tranſmiſſa, ad calcem partis 2. pag. 90. Vide & partem Diſſertationis ejus primam pag. 46.

27 Non 2. quod ut funditus convellatur, duo ſufficiunt; 1. ut in Commiſſionibus ſeu Mandatis ad Metropolitas pro confirmanda Epiſcoporum jam conſecratorum translatione directis, reperiatur vox *conſecrandi*, quaſi hactenus iidem conſecrati non fuiſſent; 2 ut in Mandatis pro prima Epiſcoporum conſecratione datis omittatur vox *conſecrandi*, quaſi ſcilicet ii jam conſecrati fuiſſent. Atqui utrumque pluribus & indubiis exemplis conſtat, quæ apud Diſſertatorem legi poſſunt part. 1. pag. 66. quæque hic non operoſe minus quam inutiliter referrentur.

28 Adde quod in Mandato Barlovvium ſpectante vox *conſecrare* non reperiatur, ſed verbum *confirmare*, uti nuper ſcripſit Auctor Epiſtol. *de vera & non interrupta Epiſcoporum Anglorum ſucceſſione*, ubi pag. 17. ſcribit, *culpam, quæcumque fuerit, totam fuiſſe Rymeri, qui ſeptem ejuſdem prorſus tenoris Mandata inſpiciens, non ſatis accurate obſervavit, eorum quinque utrumque exegiſſe; ſcilicet ut Epiſcopi in illis nominati & confirmarentur & conſecrarentur: Duo (ea ſcilicet quæ ad Barlovvium atque Scoræum pertinebant) id ſolum requiſiviſſe ut confirmarentur*. Idem part. 1. pag. 74. & ſeq.

29 Neque eſt quod objiciatur, in duobus Actis, per quorum prius (29. Maii 1536.) traditur facultas * eligendi Warthonis in Epiſcopum Aſſavenſem; per poſterius autem injungitur Cranmero Mandatum ejuſdem Warthonis conſecrandi, declarari quod Sedes Aſſavenſis vacet per tranſlationem Wielm. Barloo *ultimi Epiſcopi ibidem electi*: Porro haud futurum fuiſſe ut ſimpliciter electus diceretur, qui conſecratus fuiſſet.

* Congé d'élire.

30 Nempe vero non infrequens eſt apud Anglos, ut Epiſcopus, etiam conſecratus, nomen electi ſervet, donec in Eccleſiæ ſuæ cathedram invectus fuerit, ſeu, ut vulgo loquuntur, inthroniſatus. Porro Barlovvius in Aſſavenſi Cathedra numquam collocatus eſt, ſed ſtatim ad Menevenſem Epiſcopatum translatus. Nihil igitur mirum, ſi poſt peractam ſui inaugurationem, ſolo electi nomine donatus fuerit. Vide citatam Diſſertationem pag. 82. &c.

31 Non 3. 1. quia hic ſupponitur Champnejana fabula de Parkerii conſecratione in caupona, quæ ſuperius confutata eſt; 2. quia longa erat Landavenſem Epiſcopum inter & Barlovvium diſparitas. Prior ſiquidem, utpote Catholicus, & *Pontificiæ doctrinæ addictiſſimus*, teſte Godvvino (de Præſ. Angl. p. 641.) excommunicationem vereri poterat. Non ita Barlovvius Romani Pontificis oſor, & Eccleſiæ fulmina aſpernari ſolitus. 3. Quia non magis inferri poteſt Barlovvium non fuiſſe conſecratum, quia ipſi cenſuram comminatus non fuerit Bonnerus, quam eadem de cauſſa inferri poſſit Hoogshins necdum fuiſſe inauguratum: neque enim huic excommunicationis minas intentavit Bonnerus. Atqui tamen certo conſtat eum ſub Henrico VIII. an. 1537. ordinatum fuiſſe. Vide eumdem Couray. cap. 5. per totum, p. 91. & ſeq. Jam probatur

PARS

PARS TERTIA

De materia & forma.

ILlæ Ordinationes ſecundum ſubſtantiam validæ ſunt, quibus nihil deeſt tum ex parte materiæ, tum ex parte formæ. Atqui Anglicanis Ordinationibus nihil deeſt,

1. Ex parte materiæ. Siquidem teſte Morino, Lib. de ſac. Ordinat. part. 3. Exercit. 2. c. 1. p. 19. *manus impoſitionem ſolam* Epiſcopatus materiam *agnoſcunt Patres omnes, Ritualeſque antiqui, tam Græci quam Latini;* idque jam paſſim plerique docent Theologi, qui proinde cetera, ut impoſitionem Libri Evangeliorum, habent pro cæremoniis accidentalibus, quæ citra invaliditatis periculum omitti poſſunt. Atqui in Ordinatione Epiſcoporum de quibus agitur in præſens, adhibita eſt manuum impoſitio. Namque Parkerius conſecratus fuit ſecundum formulam in *Ordinali* Eduardi VI. præſcriptam. Atqui in Ordinali iſto præſcribitur impoſitio manuum. In eo enim jubetur, ut poſtquam decantatus eſt aut recitatus hymnus: *Veni Creator*, & recitata oratio, *Archiepiſcopus, & Epiſcopi præſentes, manus ſuas imponant ſuper caput Epiſcopi electi, ſic dicente Archiepiſcopo*: „ Accipe Spiritum S. & excitare memineris gratiam Dei, „ quæ eſt in te per manuum impoſitionem. Dedit enim nobis Deus „ Spiritum non timoris, ſed poteſtatis, caritatis & ſobrietatis.“ *Porro Archiepiſcopus S. Codicem accipiens, eique tradens hæc dicat verba.* „ Attende lectioni, exhortationi, atque doctrinæ, &c. Alio quidem modo, ſed accidentali plane, conſtituta eſt forma iſthæc ſub Carolo II. ſic enim nunc habet: *Accipe Spiritum S. ad officium & opus Epiſcopi in Eccleſia Dei, quod jam tibi committitur* * *per impoſitionem manuum noſtrarum, in nomine Patris*, &c. *& memento ut exſuſcites gratiam Dei, quæ data eſt tibi per hanc manuum noſtrarum impoſitionem. Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtutem & ſobrietatem.* Ergo nihil Anglicanis Ordinationibus deeſt ex parte materiæ. Vide Couray. part. 1. p. 104. & part. 2. p. 40. & 45. 32

2. Neque eis quidquam deeſt ex parte formæ. Ad id enim ſufficiunt iſta hæc quatuor, 1. ut Ordinationis forma non conſiſtat in verbis ſpecifice a Chriſto determinatis, ſed in aliquibus generatim verbis, quæ ſacri Ordinis naturam & effectum deſignent; 2. ut Eccleſia, præſertim Nationalis, verba hæc determinare poſſit; 3. ut id poſſit etiam hæretica & ſchiſmati devota; 4. ut id conſequenter cum fecit Anglia, jure ſuo uſa fuerit, modo iſtud poteſtas Eccleſiaſtica peregerit, non ſæcularis. Atqui omnia hæc certiſſime conſtant. 33

· 1. Quidem verba, in quibus ſita eſt Ordinationis forma, a Chriſto ſpecifice determinata non ſunt. Verba enim, quæ in variis Græcorum & Latinorum Ritualibus varia ſunt, non fuere a Chriſto determinata. Atqui 34

* Exiſtimat Diſſertator formam Ordinationis ſitam eſſe in precibus. Id tamen vel in ipſa Anglia dubium videri poſſit; quia verba hæc: *quod jam tibi committitur*, abſoluta ſunt, & tamen formam ſubindicant; præſertim cum forma materiæ applicationem comitari ſoleat. Ita advertit D. Vivant.

Atqui verba quæ Ordinationis formam conſtituunt, in variis Græcorum & Latinorum Ritualibus varia ſunt. Idque vel unus Ritualium cujuſque Eccleſiæ conſpectus evidenter demonſtrat, uti ſcite oſtendit Morinus part. 2. Hæc autem verba, quæ poſteriori ævo a Scholaſticis non paucis inſtar formæ habita ſunt: *Accipe Spiritum Sanctum*, teſte Morino part. 3. Exercit. 2. pag. 22. *apud Latinos cœpta ſunt uſurpari vix ab annis quadringentis: apud Græcos vero & Syros nec eſt, nec umquam fuit illorum uſus. Itaque nulla ratione dici poſſunt ad Ordinis ſubſtantiam pertinere.* Neque aliud ſentit Martenius Lib. de antiq. Eccl. ritib. cap. 8. art. 1. pag. 330. (Vide Diſſertat. Couray. part. 1. cap. 6.) Ergo verba quæ formam Ordinationis conſtituunt, ea ſunt in genere quæ gratiam Ordinando conferendam exprimunt, & officium ejus indigitant. Atqui utrumque iſtud abunde præſtant verba ab Anglis uſurpata, quæ ſupra retulimus. Ergo perperam & male ait Renaudotus verba hæc toti retro antiquitati ignota fuiſſe. Ignota quidem fuere hoc ſenſu, quod a verbis Pontificalis Romani aliquatenus differant: ſed & iſto ſenſu ignota perhibebitur Latinis Græcorum forma: quiſquis tamen per hanc Ordinabitur, valide cenſebitur Ordinatus.

35 Quod ſubdit idem Renaudot, formam hanc vel ipſis Anglis adeo inſufficientem viſam eſſe, ut eam ſub Carolo II. emendaverint, moram non injicit; 1. quia mutatio hæc omnino accidentalis eſt; 2. quia numquam in Anglia dubitatum eſt, quin Epiſcopi ſecundum priorem Eduardi VI. formam inaugurati vere conſecrati fuerint. 3. Quia Eduardi forma tam determinatur ex tota Ordinationis ſerie ad exprimendam Epiſcopi conſecrationem, quam ipſamet Pontificalis Romani forma: immo *& multo melius*; cum Epiſcoporum Officia ad minimum æque in Anglicanis precibus ac in Romanis evolvantur: Anglicanæ vero interrogationes Epiſcopis mage conveniant, quam Romanæ. Ita idem ibid. part. 1. p. 134. &c.

36 Secundo Eccleſia particularis verba a Chriſto minime determinata determinare poteſt, prout magis expedire judicaverit. Neque id Romana Eccleſia ſub pœna nullitatis prohibere poteſt. 1. Quia Eccleſia, quæ certos ritus, puta Romanos, adoptat, dum alios, Eccleſiæ v. g. Græcæ, ritus admittere poteſt, non adimit ſibi poteſtatem ab iis ritibus deflectendi, cum id certis de cauſſis æquum judicat. 2. Non minus Anglicanæ Eccleſiæ licitum fuit ſuam ſibi Ordinationis formam effingere, quam aliis pleriſque Eccleſiis fuerit peculiares ſibi Pœnitentiæ, & Matrimonii formas accommodare: Atqui id de facto iſtis Eccleſiis licitum fuit. Cum, ut Pœnitentiæ Sacramento immorer, apud Latinos forma ſit abſoluta, & his exprimatur vocibus: *Ego te abſolvo*: apud Græcos autem deprecativa ſit. Neque vero plus inter ſe concordant formæ Græcorum, quam apud Latinos cum antiquis conſentiant recentes ordinationis formulæ, (idem pag. 240.) 3. Unaquæque Eccleſia diſciplinæ ſuæ arbitra eſt, adeo ut aliam, a Concilio etiam Oecumenico ſibi oblatam rejicere poſſit: & hæc aſſertio libertatum noſtrarum baſis eſt; unde & Trid. Concilii diſciplinam pro nutu vel admiſimus, vel rejecimus. Sed quod neque a Chriſto, nec

conſtanti & unanimi Eccleſiarum uſu determinatum eſt, ad meram diſciplinam pertinet. Nec eſt quod exclametur, formas Sacramentorum invariabiles eſſe, adeoque nonniſi peſſimo conatu ad diſciplinam revocari. Lubenter enim fatemur id quod ubique idem eſt, ad diſciplinam non pertinere: At ſimul fatebitur quiſquis cordatæ mentis eſt, mutari ea poſſe quæ apud varios varia ſunt, id eſt mutari poſſe quæ de facto jam pluries mutata fuere. Hæc enim *non ita ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris inſtituta fuerunt, ut perpetua forent & immutabilia*, uti ſcite loquitur Card. Bona Rerum Liturg. lib. 1. cap. 6. Hinc Ambroſiaſter Lib. 3. de Sacram. cap. 1. *In omnibus*, inquit, *cupio ſequi Eccleſiam Romanam, ſed tamen & nos homines habemus ſenſum; ideo quod alibi rectius ſervatur, & nos rectius cuſtodimus*. Hinc quoque a Gallis receptæ non ſunt mutationes a Romanis inductæ in Pontificale an. 1645. (idem p. 212. 217. &c.) 4. nulla particularis Eccleſia Romanam Eccleſiam in iis ſequi tenetur, circa quæ ipſemet variat Rom. Eccleſia. Atqui Rom. Eccleſia ſuis in Ritualibus pluries variavit. Neſcit nemo quantum hinc difficultatis paſſi ſint Theologi, quod veteres formas novis abſimiles eſſe proſpicerent. Neque id diſſimulavit Pientinus Epiſcopus, cui demandata erat corrigendi Pontificalis provincia. Sic enim in ſua ad Innocentium VIII. Epiſtola loquebatur an. 1485. *Temporum & Prælatorum varietate effectum eſt, ut vix duo aut tres Codices inveniantur qui idem tradant... raro aut numquam conveniunt*. Ergo ſicut identidem a ſe ipſa diſceſſit Romana Eccleſia, ſic & ab ea in accidentalibus diſcedere licitum eſt. 5. Demum fatentur eruditi unanimes, nullas ante ſæculum V. in ſcriptis prodiiſſe, ſeu liturgias, ſeu Sacramentorum formulas: quod & nuper probavit P. le Brun Tom. 2. Explication. Litteral. Diſſert. 1. pag. 4. & ſeq. Atqui hoc poſito evidens eſt unamquemque Eccleſiam unis iiſdemque vocibus uti non potuiſſe: licet omnes ſemper convenerint in ſubſtantia ac veluti ſpiritu formulæ per Traditionem conſervatæ. Ergo eam tunc unaquæque Eccleſia formam uſurpabat, quæ ſibi congrua magis videbatur. Ergo cum Eccleſia jure quod ſemel habuit, privari nequeat, idem nunc plenum jus ſervat: jus dico, quo ſi utatur inconſulta Roma, illegitime plerumque utetur, non tamen invalide.

Tertio Eccleſia etiam hæretica formulas a Chriſto non determinatas determinare poteſt. Valent enim formulæ quibus utuntur Orientales, ut inde liquet quod earum immutationem nuſquam poſtulaverint Latini a Græcis ad unitatem redeuntibus. Atqui eas inter formulas multæ ſunt ab hæreticis Sectis determinatæ. Et id probatur auctoritate non ſuſpecta Renaudoti ipſius, qui Tom. 2. Liturg. Oriental. Diſſert. de Liturg. Syr. pag. 18. hæc ſcribit: *Jacobum Edeſſenum & alios recentiores ſuarum* Liturgiarum *auctores fuiſſe, non eſt cur dubitemus*. Idem demonſtrat ſtupenda hæc varietas, quæ in ipſis etiam Euchariſtiæ conſecrandæ formis deprehenditur. Liturgia Syriaca ſub nomine Paſtoris Matthæi hanc exhibet formam. *Hoc eſt caro mea, quæ pro omnibus Fidelibus mihi adhærentibus dividitur ut comedatur.... Similiter & calicem.... benedixit, ſanctificavit, deditque etiam illum myſterio ſuo initiatis, commendavitque illis ut ex eo omnes* 87

omn-

communicarent, &c. Liturgia Thomæ Heracleenſis ſic habet: *Accepit*, Chriſtus, *panem & vinum, benedixit, ſanctificavit, fregit, deditque Apoſtolis ſuis dicens; Accipite, utimini, & ita facite. Et cum hoc acceperitis, credite & certi eſtote, quod Corpus meum editis & Sanguinem bibitis, in memoriam mortis meæ facientes donec veniam*. His ſi permiſſæ ſint in re tanti momenti, atque in forma, quæ a Chriſto ipſo determinata videtur, hujuſmodi immutationes, quo pacto culpandi erunt Angli, qui ne ſub Eduardo quidem tale quidpiam tentaverunt? Idem ibid. pag. 235. & ſeq.

38 Quarto formulam Ordinalis Eduardi Eccleſiaſtica ſanxit auctoritas, non vero ſæcularis *. Etſi enim in Parlamento an. 1549. conſtitutum eſt, ut promovendæ Reformationis cauſſa, vetus Rituale corrigeretur, is tamen labor nemini laico, ſed Epiſcopis ſex ac Theologis totidem commiſſus eſt, videlicet Cranmero Cantuarienſi, Goodrich Elienſi, Holbech Lincolnienſi, Skip Herefordienſi, &c. iique tam independenter a poteſtate regia ſuum illud munus executi ſunt, ut Ordinale, ſtatim ut ab iis reformatum eſt, vim ſuam abſque ullo laicæ auctoritatis interventu ſortitum fuerit. Ita refert Doctor Heylin Hiſt. pag. 83. Vide diſſertatorem cap. 11. Sed &, ſi vacat, conſule prolixam ejus defenſionem voluminibus quatuor in 12. comprehenſam: Opus equidem exaratum oratione nitida & fluente, ſed nimio mordaciori, quæque nec dignitati, nec ſummis etiam nominibus parcens, non minus dicteriis, quam rationibus cauſſam ſuam tueri videatur.

MOMENTA PARTIS OPPOSITÆ.

39 Cum ex momentis illis alia factum ſpectent, videlicet Parkerii & Barlovii conſecrationem, alia jus, nimirum Anglicanæ ordinandi formæ validitatem, duplex nobis ſtatuenda eſt propoſitio. Sit igitur

CONCLUSIO I. Ordinationes Anglorum, ſpectata Parkerii & Barlovii Ordinatione, neceſſario iterandæ ſunt.

Prob. Ordinationes dubiæ neceſſario iterandæ ſunt. Neque hinc verери eſt ne iteretur Sacramentum; quia, uti pluries ex S. Leone in Operis hujus decurſu admonuimus, *non monſtratur iteratum, quod non* CERTIS INDICIIS *oſtenditur rite peractum*; uti etiam docet Londinenſis Synodus an. 1200. eaque agendi ratio ſervanda eſt, etiamſi validiora ſint partis minus tutæ momenta, modo dubium ſolidum non excutiant; quia, uti poſt Viennenſe Concilium definiit Clerus Gallicanus, in re quæ ad Sacramenta (præcipue vero ad Nationis totius ſalutem) ſpectat, pars tutior omnino tenenda eſt. Atqui Ordinationes Anglorum ex parte Parkerii & Barlovii dubiæ ſunt. Siquidem in re tanti momenti dubium id cenſeri debet, quod nedum ad demonſtrationem accedat, legitima ſuſpicionis relinquit argumenta. Atqui ſic ſe

* Longe aliter loquitur Herbertus Thorndike, quem pluries non ſine laude citat Diſſertator. Sic Herbertus ille in Lib. de juribus Eccleſiæ: „ Le meilleur moyen de parvenir à l' unité rompue par la Réformation, feroit d'abolir les Eveques, dont l'ordination a été faite contre toutes les loix de l'Egliſe, & tire toute ſa force de l'autorité ſeculiere.

ſe habent eæ de quibus nunc agitur Ordinationes. Ad id enim ſatis eſt ut & argumentis quæ in earum gratiam afferuntur, probabiliter ſatisfiat, & aliunde contra eas proponantur difficultates neutiquam contemnendæ. Atqui, &c. Minor propoſitio de Parkerio primum, ſubinde de Barlovio probanda venit.

PARS PRIMA

Factum Parkerii.

UT Parkerii conſecratio dubia remaneat, duo ſufficiunt, ut hiſtoria 40
ejuſdem, qualis in hoſpitio peracta deſcribitur, apud hominem etiam ſenſatum fidem aliquam mereri poſſit; 2. ut hac etiam ſepoſita, quod nonnulli lubenter faciunt, hiſtoria conſecrationis ejuſdem, qualis in Lambethenſi Palatio celebrata fertur, probabiliſſimos falſitatis caracteres habeat. Illud enim Diſſertatorem inter & nos diſcrimen eſt, quod ei pene neceſſaria ſit demonſtratio, nobis vero ſatis ſit non infundata probabilitas. Atqui utrumque conſtat.

Et quidem 1. hiſtoria conſecrationis in hoſpitio factæ iis annume- 41
rari fabellis non poteſt, quibus qui credunt, ridiculæ credulitatis ſibi maculam inurunt. Ea enim hiſtoria citra dedecus fidem habere poteſt, cujus qui teſtem ſe dixit, non ignotus eſt homuncio, ſed vir probitate ac merito celebris; quam qui primitus evulgarunt, a Proteſtantibus equidem ſperni poſſunt, propter avitæ Religionis ſtudium & pietatem, a Catholicis vero nonniſi commendari debent; quæ ab Anglicanis ipſis credita eſt; a Puritatis pro certiori habita; a Britannis per diuturnum tempus non rejecta; quæ aliunde cum perſonarum ac temporum circumſtantiis optime & pene ſola convenit. Atqui talis eſt hiſtoria Parkerianæ in hoſpitio Cheapſidenſi conſecrationis.

1. Qui ei ſe præſentem fuiſſe dicit Thomas Neal, Bonneri Londi- 42
nenſis Epiſcopi Capellanus, non aliquis *obſcurus* eſt homo, uti male fingit Diſſertator, ſed vir pietatis multæ, perpetuæ catholicitatis, mendacii incapax, Græcæ & Hebraicæ linguæ peritus, atque utriuſque in Academia Oxonienſi aliquandiu Profeſſor, & ab ipſis Proteſtantibus, ab eo præſertim, qui Univerſitatis Oxonienſis hiſtoriam ſcripſit, egregie laudatus. Is porro Nealis cauponariam illam Ordinationem pluries narravit; in primis autem nobili cuidam, nomine Henrico Orton, cujus ex verbo eam exſcripſit Pitzejus in Lib. de illuſtribus Angliæ Scriptoribus. Eamdem hiſtoriam didicerat Chriſtophorus Sacroboſco, alias Holivvood, Jeſuita, a Thoma Harbeley, pio Sacerdote, qui hanc ab ipſo Thoma Neal acceperat; prout refert idem Holivvod in Lib. *de inveſtiganda Chriſti Eccleſia*.

2. Late increverat ejuſdem pſeudo Ordinationis fama ante finem 43
ſæculi XVI. necdum pervulgatis Lambethenſis Palatii tabulariis. Suam ejus relationem Matthæus Kelliſon, Fits-Simon & Antonius Champney confirmant teſtimonio Henrici Conſtable, viri *nobilis*, *magni acriſque ingenii*, *& qui levibus conjecturis non movebatur*, ut habet Champnejus, Lib.

Lib. de vocat. Miniſt. cap. 14. pag. 501. Neque vero hiſtoriam hanc effinxerat idem ille Conſtable; cum palam & confidenter dicat: *Quod non tantum Catholici integerrimæ fidei, qui rei geſtæ teſtes erant oculati, teſtantur; ſed etiam Joannes Stous ejuſdem rei teſtis eſt, qui omnes hujus circumſtantias diligenter perquiſivit, tametſi illas in Chronico ſuo referre auſus non ſit*. Jam vero ſi Anglicanis liceat tot non infimi nominis homines, quia Catholicos, aſpernari; nihil eſt cur iis hac in parte conſentiendum eſſe arbitremur. Ergo ſuam mereri fidem poteſt cauponaria Parkerii conſecratio; quam & adſtruit ipſum Joannis Stou ſilentium, qui licet ceterorum Cantuarienſis Eccleſiæ Præſulum conſecrationes referat accurate, ne verbum quidem habet de Ordinatione Parkerii. Vid. P. le Quien, *Nullitè*, Tom. I. p. 196.

44 Idem confirmari poteſt ex teſtimonio Thomæ Brett, Anglicanæ ſectæ Miniſtri, qui in Opere Anglice ſcripto, ubi Divinam Epiſcopalis gradus inſtitutionem probat, Librum Duaci an. 1654. impreſſum citat, cujus Auctor nitide aſſerit, ſe cum uno quodam ex amicis ſuis, Muſſiponti degentem, totam cauponariæ Ordinationis ſeriem a Doctore Derbishire, Bonneri Londinenſis nepote didiciſſe. Subdit idem ſe a viro nobili non ita pridem defuncto accepiſſe, hujus patrem, qui ſummus in Anglia Juſtitiæ Præfectus erat, in manibus Archiepiſcopi Eboracenſis, e Sede propter Catholicam Fidem ejecti, vidiſſe Epiſtolam, ab uno e Bonneri Capellanis ſcriptam, qua certior fiebat idem Archipræſul, Parkerium, alioſque ejus Aſſeclas, a variis Epiſcopis repulſam paſſos, ſe ipſos tandem in hoſpitio Epiſcopos mutuo declaraſſe. Qui novæ conſecrationis ritus ceteris quidem adſtantibus movit riſum, ſed pio Archiepiſcopo lacrymas excuſſit. (Le Quien, ibid. pag. 199. & ſeq.) Ergo non omni adeo probabilitate deſtituta eſt Cheapſideana Conſecratio, ut omni prorſus gravium & proborum fide indigna fuerit. Hanc porro ſi meruit coævis aut proximis temporibus: quidni & nunc eo ſaltem uſque mereatur, ut nonnihil dubii pariat in animo. Mitto Hardingi & aliorum teſtimonia, de quibus adi eumdem le Quien, ibid. & ſeq.

45 3. Eidem relationi credidere Proteſtantes ipſi. Cum enim Georgius Abbot, pſeudo-Cantuarienſis Antiſtes, Lambethenſe Regiſtrum Patri Farcloath Jeſuitæ exhibuiſſet, negavit is huic fidem ſe habere poſſe: *Me hercule*, inquit, *pater meus, & ipſe e Proteſtantium grege, qui in Platea Cheapſide mercaturam gerebat, ut oculatus teſtis, me coram plerumque totam hujus Ordinationis ſeriem narravit*. Num porro Jeſuitæ huic, qui rem a patre neutiquam ſuſpecto reſciverat, fidem abnegabimus, quia Catholicus eſſet, & in vinculis, dum hæc loqueretur? ibid. pag. 201.

46 4. Vel hoc ipſum, vel aliquid non abſimile, quo Lambethana conſecratio funditus ſubvertitur, credidere Puritani *. Ii videlicet anno circiter 1585. Librum edidere, cui titulus: *Demonſtratio diſciplinæ*: & is Liber, cum oblatus fuerit Parlamento, non tamquam ignoti Auctoris proles, ſed ut Sectæ totius opera haberi debet. In eo autem libello audacter Angliæ Epiſcopos his verbis compellant: Quis neſciat *Epi-*

* Puritani, Calviniſtæ rigidiores, ut Catholicorum, ſic & Angliæ Epiſcoporum, quos Anglo-Papiſtas vocant, hoſtes indefeſſi, parum differunt a Presbyterianis.

Epiſcoporum in Anglia hodie profanum Ordinem, ac Ordinationem in angulo extra congregationem initium & progreſſum habuiſſe. Hæc porro vel alludunt ad cauponariam Ordinationem, quæ profano ritu, & in angulo extra legitimam congregationem peracta eſt; vel certe Lambethenſe inſtrumentum penitus concutiunt. Quis enim ſibi in animum inducat, Puritanos, vivente Eliſabetha, præſente Parlamento, coram terrarum orbe, Parkerii, ejuſque Sociorum Ordinationem palam inficiari auſos eſſe, viginti ſex poſt eamdem conſecrationem annis, quo ſcilicet tempore ſuperfuiſſent innumeri, qui hanc vel propriis, vel certis aliorum oculis vidiſſent, niſi tunc temporis pro certo habitum fuiſſet, primarios illos novi Miniſterii Duces reipſa numquam ſollemni ritu ordinatos fuiſſe.

Nec eſt quod reponas, id quidem aſſertum fuiſſe a Puritanis, ſed negatum ab Epiſcopalibus. Iſtos enim mutos remanſiſſe certum eſt. Siquidem Daniel Williams, Anglicanæ Eccleſiæ Presbyter, teſtatur ſe Epiſcopalium Opera perlegiſſe omnia, nihilque in iis dexiſſe quod ad cauponæ hiſtoriam pertineret; unde & ex iſto Epiſcopalium ſilentio colligit, hoſpitii conſecrationem numquam a Puritanis objectam fuiſſe Epiſcopalibus. Ergo, inquam ego, cum ex *demonſtratione diſciplinæ*, quæ a Daniele Williams lecta non fuerat, indubium ſit profanam Cheapſidis Ordinationem, vel ſimile quid Epiſcopalibus fuiſſe objectum, neceſſe eſt ut id ſilentio ſuo confirmaſſe dicantur. 47

Neque ſoli ludicram hanc Ordinationem credidere Puritani, ſed & Epiſcopales: cum Doctor Morton, Dunelmienſis Epiſcopus, in Aula Parium aperte dixerit ann. 1640. non autem 1642. Parkerium in hoſpitio, cui inſigne erat caput manuli, ordinatum fuiſſe: prout teſtatus eſt, nec utique ſolus, qui Mortonium propriis auribus exceperat illuſt. Audley, & rei novitate percuſſus narrationem hanc memoriæ alte infixit. Negavit quidem, urgentibus amicis, Mortonius id uſquam a ſe dictum fuiſſe. At præterquam homini annos 90. nato multa e memoria excidere potuerunt, non erat is Mortonius qui ſummam ſinceritatem profiteretur; cum Anglicanorum nemo in ſuis adverſus Catholicos Scriptis, plura, ſeu citando, ſeu interpolando, ſeu in alienum ſenſum textus detorquendo, malæ fidei ſpecimina præſtiterit, uti ſolide eidem exprobraverunt Auctores; tum Libri cui titulus: *La Nullitè du Clergè Prèlatique & de l'Egliſe Anglicane*; tum & Operis inſcripti: *Jeruſalem & Babel, ou l'Image des deux Egliſes*. Le Quien, Tome I. p. 211. Vide ad calcem Tomi 2. ejuſdem Scriptoris, pag. 52. inſtrumentum ſub hoc titulo exhibitum: *Tèmoignage de Mylord Audley*, &c. Ut ut eſt, id quod a ſe dictum fuiſſe, Deo in teſtem vocato, negavit Morton, id ſe a Mortonio audiviſſe, coram ſupremo Dei tribunali aſſeveravit Audlejus; idipſumque alii jam aſſeruerant; qui nullius antea calumniæ, ut Mortonius, fuerant incuſati. Ergo rebus ad minimum utrinque paribus remanet ſuſpicio; hæc autem nobis omnino ſufficit. 48

5. Eadem relatio, licet cognita ſatis, per multum tempus ab Anglicanis rejecta non eſt. Scilicet enim relatio hæc (vera ſit, vel falſa, nihil ad rem in præſens) a Thoma Neal, a Patre Jeſuita Faircloth, 49

atque ab aliis, quorum ope eam didicerat Mortonius, ſatis evulgata eſt ut eam ignorare non potuerint Anglicani, quidquid contra obmurmuret Diſſertator. Atqui tamen Epiſcopalium nemo tunc temporis reclamavit. Nemo ſparſum rumorem, qui, juxta Adverſarium, ſexcentis teſtibus obrui poterat, compeſcere molitus eſt. Nemo Lambethenſe Inſtrumentum, nondum utique cuſum, proferre auſus fuit. Itane vero natura mites ſunt Angli, ut inultam, non ſcriptis modo, ſed & publico ſermone, honori ſuo labem abſtergere non ſatagant; & Catholicis potiſſimum, qua data occaſione, calumniæ dedecus non inurant lubentiſſime? Credat, cujus intereſt, non adeo facile credent ceteri.

50 6. Eadem Cheapſideanæ Ordinationis relatio ſola pene cum perſonarum & temporum circumſtantiis convenit. Qui enim, precor, erant primarii illi novæ Anglorum Eccleſiæ Duces? Apoſtatæ ut plurimum Monachi, ſine fide, ſine moribus, ſine ullo pietatis ſenſu. Barlovius, ejecto Canonici Regularis habitu, matrimonium publice contraxit, tantaque in variis, quas tenuit Diœceſibus, licentioris vitæ ac ſolutæ libidinis veſtigia reliquit, ut de eo Scriptores Angli nonniſi horrenti animo verba faciant. Parkerius, qui ſuas a Burneto laudes habuit, homo fuit æquivoci nominis, ob ſacrilegas nuptias a Maria Regina Beneficiis ſuis ſpoliatus. Scorius a ſacro Præmonſtratenſium Ordine apoſtata, & ipſe ſub Eduardo uxorem duxit, divortium ſimulavit ſub Maria, poſt mentitam hæreſis ejurationem aufugit cum conjuge, ab Eliſabetha quaſi Confeſſor, novi utique generis, ad Herefordienſem Sedem evectus, inde ob ſimoniam multiplicem turpiter ejectus eſt. Hornius, deprædatis ſociis, quibuſcum evaſerat, latronis perſonam egregie ſuſtinuit, & ab Helvetis redux Vintonienſes Inſulas ab eadem Regina obtinuit. Sed & Cordevalius Apoſtata erat, ſpretoque ſollemni, quod emiſerat, caſtitatis voto, conjugatus. Hi porro ad unum omnes Zuingliana lue infecti erant, Ordinis & Ordinationis ex æquo hoſtes, & a Crammero edocti, Laicum quemque per ſolam Regis, Populive electionem Epiſcopum illico fieri. Quid porro mirum, ſi hujus furfuris homines, ut quomodocumque inaugurarentur, tenebras & angulum inquiſierint. Quid non e contra mirum, ſi quo tempore tot in Londinenſi urbe ſupererant Catholici, conjugati Apoſtatæ, ſollemni ac publico ritu, in Eccleſia ſeu Lambethenſi, ſeu quacumque alia Ordinati fuiſſent? Annon ſannas, inſultus etiam, forte & ſcandaliſatæ plebis tumultum præſentire ac pertimeſcere debuerunt, &c.

51 Neque tamen inſulſum omnino erat apud Cheapſidem ordinari: cum hoſpitium illud ædibus, ut loquimur, inſtructis *, non abſimile, & ab Epiſcopis Londinum adventantibus frequentaretur, & domeſtica Capella ornatum eſſet, teſte Fullero & aliis. Vide eumdem le Quien, Tom. I. pag. 214. & ſeq.

* *Hotel garni.*

Verum dato, ſed neutiquam conceſſo, quod Cheapſideana Ordinatio puriſputis fabellis annumerari debeat, nihilo plus proficient Anglicani, eorumque vindices. Nec ſolide argumentatur Diſſertator, cum evulſa pro viribus Cauponaria inauguratione, Lambethenſem effica-

efficaciter ſibi probaſſe videtur. Hic enim medium quid occurrit, ſcilicet ut pari gradu fabulis accenſeatur utraque Ordinatio, & Cheapſideana, & Lambethenſis. Sic igitur ſecundo loco progredi licet.

Actum illud ſeu inſtrumentum fidem, qualis in præſenti requiritur, certam facere non poteſt, quod graves & multos ſuppoſitionis caracteres præfert. Atqui Actum Lambethenſe... Actum enim, quod numquam productum fuit eo tempore quo produci debuerat; contra quod ſtatim ut emerſit, tamquam ſuppoſititium, & notorietati contrarium, ceteri omnes, præter Epiſcopales Anglicanos, inſurrexere; quod demum varia in ſemetipſo ſpurii partus capita complectitur, graves utique nec paucos ſuppoſitionis caracteres habet. Atqui Lambethefe Inſtrumentum hiſce defectibus ſcatet. 52

1. Enim productum non eſt quo tempore naturaliter produci debuerat. Siquidem primum an. circiter 1603. editum eſt a Georgio Abbot, Archiepiſcopo Cantuarienſi, opera Maſſonii, ejuſdem Abbot Capellani. Atqui, ut arguebat Matthæus Keliſſon, Duacenſis Seminarii Præſes, in *examine novæ Reformationis*, Duaci impreſſo ann. 1616. mirum eſt quod Anglicani Actum iſtud non oppoſuerint *Hardingo, Stapletono, & aliis* Romanæ Eccleſiæ Doctoribus, qui toties veræ Ordinationis defectum jam ab initio Anglis Epiſcopis objecerant. Sic enim ora eorum *facile obſtruxiſſent*. 53

Equidem Regiſtrum illud a Georgio Abbot exhibitum fuit quatuor Catholicis, quos ut ipſum inſpicerent, e carceribus, ubi propter Fidem detinebantur, educi curavit idem Cantuarienſis pſeudo-Antiſtes. Verum, quidquid ex Godvvino, Landavenſi Epiſcopo Proteſtante, reclamet Diſſertator, conſtat Regiſtrum illud tunc inſtar fungi erumpens, ab iiſdem Catholicis, vel pro falſo, vel pro ſuſpecto habitum fuiſſe. 1. Enim qui ex iiſdem quatuor Catholicis unus erat P. Faircloth negavit, ſe Regiſtro huic fidem habere poſſe, eo quia pater ſuus Proteſtans, forte Puritanus, qui in ipſa Cheapſide Platea mercaturam agebat, ſibi tamquam occulatus teſtis pluries narraſſet, primarios illos Anglicani Gregis ductores in hoſpitio conſecratos eſſe. 2. Nedum ex horumce Catholicorum litteris veritatem Regiſtri admiſerunt Fits-Herbertus, qui tunc Romæ, & Keliſſon, qui Duaci degebat; immo hinc crevit eorum & aliorum ſuſpicio, quod precati paullo poſt Alexander Faircloth, & Thomas Lathvvait, ut Regiſtrum examinare ſibi liceret, id a Cantuarienſi Archiepiſcopo negatum ipſis fuerit conſtanter. Hæc ſane ſerii examinis denegatio grave contra Regiſtri hujus veritatem præjudicium movet. Intererat profecto Anglicani Epiſcopatus ut de ejuſdem validitate omnibus conſtaret, Catholicis præſertim, qui eam hactenus inficiati erant. Ut quid ergo quod rapidiore oculo coram Anglicanis quatuor Præſulibus intuiti erant, propius videre & expendere prohibiti fuerunt? Rem ita narrat Champney, Lib. de vocat. Miniſt. cap. 14. pag. 527. edit. 1616. & 1618. *Rogati* Faircloth & alii tres *a præfatis dictis Epiſcopis, ut quod viderant, Thomæ Fits-Herberto ſignificare non omitterent, illudque præſtare polliciti, ad carceres ſuos reducti fuerunt, ubi rem totam ſecum diligentius con-* 54

S 2 *ſide-*

ſiderantes, atque adeo perpendentes, ſe illud ſolum litteris ſuis teſtari poſſe, nimirum quod talia vidiſſent Acta; utrum vero germana eſſent atque authentica, & ab omni fraude & falſitate immunia, nihil prorſus ſtatuere poſſe. Ut pleniorem igitur de hac re certitudinem tam ſibi, quam aliis procurarent, duo priori loco prænominati (Alex. Fairclotb & Thomas Lathvvait) ſcriptis litteris ab Archiepiſcopo rogarunt, ut copia illis fieret præfatum Codicem liberius atque diligentius inſpiciendi, ſed repulſam paſſi ſunt. Quod totum ut geſtum fuit, Thomæ Fits-Herberto per litteras ſuas ſignificarunt.

55 Reponit quidem poſt Maſſonium Diſſertator, Alexandrum Faircloth, ejuſque in vinculis ſocium, merito repulſam paſſos eſſe; ut qui rogaverint ad ſe tranſmitti Regiſtrum; quandoquidem inſtrumenta hæc tanti momenti, in quibus gravia multa continentur, *a ſede ſua dimoveri, ac privatorum, etiam optime affectorum, manibus, arbitrioque permitti nefas* fuerit. Ceterum ipſis permiſſum iri in ipſo Cartophylacio, *inſpectante Cuſtode inſtrumentorum publico, hæc & alia rerum Eccleſiaſticarum monumenta inſpicere, penituſque perſcrutari:* verba ſunt Maſſonii, qui hæc ab ipſo Abbot didicerat. Ita Courayer, in defenſ. Lib. 1. c. 6. p. 177. ubi ultra progreſſus, ſuo & Anglorum nomine Patrem le Quien invitat, ut per ſe, aut, quem maluerit, alium, Regiſtrum illud conſulat & mature examinet, antequam ipſum falſitatis redarguat.

56 Verum hæc ut minimum dubia ipſis etiam ſenſatis videri poterunt, niſi Maſſonio, quia Proteſtanti major debeatur Fides, quam Champneyo, quia Catholico. 1. Namque id tantum poſtularunt Chriſti Confeſſores *ut* ſibi *copia fieret præfatum Codicem liberius atque diligentius inſpiciendi*. Sed qui id unum rogant, non rogant ut ad ſe tranſmittatur Regiſtrum, quod reipſa tranſmitti non debet, niſi a Cuſtode attento. 2. Vix ſupponi poteſt P. Faircloth & ſocium ejus adeo deliros fuiſſe, ut ſuſpicati fuerint, ſibi Catholicis, & eo nomine ſuſpectiſſimis, committenda eſſe extra Palatium, nemine præſente, inſtrumenta, quæ ne quidem *optime* erga Proteſtantiſſimum *affectis* committuntur. 3. Quia Maſſonius, qui reſponſum iſtud Abboti refert, in ea etiam libri ſui editione, quam an. 1625. vivente eodem Præſule typis dedit (ſecus ac crediderat P. le Quien Tom. 1. pag. 240.) una ejuſdem Abboti auctoritate innititur. Nihil porro eſt cur major Abboto iſti fides habeatur, quam Roberto ejuſdem fratri, qui putidis ſuis adverſus Rom. Eccleſiam mendaciis Lincolnenſem Eccleſiam promeruit (le Quien, Tom. 1. nullitat. denuo demonſtratæ, pag. 142.) Ergo licebit etiam nunc his uti verbis, quæ ex Champnejo refert Courayerus ipſe part. 1. defenſionis ſuæ pag. 180. *Judicet jam quivis, licet minus æquus arbiter, qualia cenſenda ſint illa Acta, quæ adeo lucem abhorrent, & diſtrictiorem examinationem reformidant, ut nonniſi in præſentia Dominorum ſuorum, idque leviſſime, & tamquam per tranſennam ſpectari, tractarique permittantur*. Hinc quidem exultando infert Diſſertator, eam fuiſſe P. Fairclothi mentem, ut Acta hæc ſibi ſoli (probinc in carcere & extra Palatium) concrederentur: Sed male: Qui enim publicis in Bibliothecis libros evolvunt, etſi non ſoli, haud tamen ſub vigili, moramque, examen ac mutuas collationes, exprobrante *Dominorum* oculo, multo minus *leviſſime & tamquam per* tran-

tranſennam ſtudere, ac omnia raptim ſcrutari coguntur. Sane nihil non Abboto tentandum erat, ut ſuam Regiſtro primum prodeunti indubiam auctoritatem aſſereret. Id autem ſi apud Anglicanos ſuos obtinuit, non utique apud Catholicos, ut ſtatim liquebit.

Quod vero Adverſarium ſuum invitabat Diſſertator, ut per ſe, aut per alios, Regiſtrum examinaret, meræ erant ad populum phaleræ: multo utique facilius deteguntur fraus & vitium recentioris Manuſcripti Codicis, quam ejus qui diu conſenuit. Immo & eruditiores quique circa atramenti colorem, litterarum apices & cartham ipſam aberrant. Neſcit nemo celebrem Mabillonium, virum poſt homines natos in re diplomatica verſatiſſimum, in examine Acti Domum Bullioneam ſpectantis erraſſe, quod alii quidam perſpicacioris oculi ex una ſola littera nuper fabricatum judicarunt, rem confitente falſario, qui improbitatis pœnas luit a carnifice. In his ſpuria proles genuinam adeo imitatur, ut hæc ab illa vix poſſit ſecerni. 57

2. Contra Lambethanum Actum, ſtatim ut prodiit, reclamaverunt Catholici, ita ut ne unus quidem ponderis alicujus proferri valeat, qui authenticitatem ejus agnoverit. Subindicat equidem Godvvinus Keliſſonium, tamquam qui veritati manus dederit; quod & alii de Fits-Herberto inſinuant. Verum hæc putida ſunt ſtirpis ad mendacium natæ figmenta. Neuter enim aliud credidit, aut credere debuit, quam quod ſibi a Patre Faircloth, reſponſum erat. Atqui id unum reſponderat, aut reſpondere poterat Pater Faircloth, ſe quidem Actum aliquod vidiſſe; at ſibi denegatam fuiſſe illius mature examinandi facultatem. Et vero Fits Herbertus ſinceritatem Acti Lambethenſis jam ab an. 1613. quo primum a Maſſonio factum eſt publici Juris, ex eo ſolide impugnavit, quod preſſi a Catholicis novi novæ Sectæ Præſules ut conſecrationem qualemcumque ſuam probarent; neque umquam Epiſcopos, a quibus conſecrati eſſent, neque conſecrationis ſuæ teſtes ullos indicare tentaverint, neque ad Lambethenſe Inſtrumentum recurrerint. Iiſdem armis Lambethenſem fabulam ſubruit Keliſſonius in examine novæ Reformat. ubi hæc habet, pag. 131. *Quod vero ad tua Regiſtra attinet, neſcio e quibus ruderibus ea eruiſti; ſuſpecta ſaltem nobis ob multa videntur. Nam in primis ab Hardingo, Stapletono, & aliis, ut recte obſervat Scriptor quidam Anglus (Thomas Fits-Harding) in Apparatu ad Supplementum, & Reverendus etiam Fits-Simon in ſua doctiſſima Britanomachia, cum in initio renaſcentis in Anglia novæ Eccleſiæ, objectum eſſet hos Miniſtros & Epiſcopos, licet infulatos, non fuiſſe veros & legitimos, neque vere & legitime creatos, ora facile obſtruxiſſent, nec* tamen Acta illa *auſi ſunt proferre, vel allegare. Quod auget ſuſpicionem illud etiam eſt quod tam ſero proferantur, & tam diu latuerint; cum tamen a noſtris Doctoribus toties expetita fuerint*, &c. 58

3. Non modo reclamatum eſt contra Lambethenſe Actum, ſed & contra ipſum reclamari potuit tamquam publicæ notorietati contrarium. Siquidem Actum in quo Parkerii & ſociorum ejus conſecratio publice & ſollemniter peracta eſſe ſupponitur, eo tempore, quo qui vixerunt viri numeris omnibus abſoluti conſecrationem hanc peractam eſſe palam & conſtanter negaverunt, merito dicitur notorietati 59

publicæ contrarium: Niſi forte viri pietate & ingenio graves traducantur in homines mente & veracitate pariter deſtitutos, qui quod ſollemniter peractum eſſe urbs Londinenſis tota teſtabatur, nuſquam contigiſſe ore ad impudentiam mendaci clamitabant. Atqui Regiſtrum Lambethenſe Parkerii & Sociorum ejus, puta Jevvel, Horni, &c. conſecrationem eo tempore publice & ſollemniter peractam eſſe declarat, quo qui vixerunt viri omnimode graves hanc uſquam tali ritu celebratam eſſe pernegabant. Sic, ut alios omittam plures,

60 1. Eamdem negabat aperte Edmundus Bonner, Catholicus Londinenſis Epiſcopus. Cum enim ei, dum in ergaſtulo Vintonienſis Diœceſis includeretur, Regii ſuprematus juramentum præſtandum obtuliſſet Robertus Horn, Vintonienſis Epiſcopus, juramentum recuſavit Bonner, cauſſatus jusjurandum iſtud nonniſi ab Epiſcopo alteri Epiſcopo præſtandum offerri poſſe. Atqui ſi valeret Regiſtrum Lambethenſe, in quo conſecratio Hornii celebrata dicitur die 16. Februarii, ann. 1559. defenſio Bonneri a teſtibus mille, facti veritatem unanimi conſenſu adſtruentibus, ſtatim exploſa fuiſſet. Non ita porro ſeſe res habuerunt: ſed 1. nominati fuere Judices in rei totius examen venturi. Rebus jam judicio maturis, Judices alios poſtulavit Hornius. Unde lite ſenſim protracta, negotium tandem ad Parlamenti notitiam deductum eſt. Sed quis demum rei exitus? An Calumniatoris notam retulit Bonnerus? An Catholicum coram Judicibus Hæreticis vicit Hæreticus? Nequaquam: ſed ambæ Partes an. 1566. extra Curiam & Litem factæ ſunt, ſeu, ut Gallice loquimur: *Hors de Cour & de Procès*. Immo & eo nomine vicit Catholicus, quod decretum ſit a Parlamento, ne ab ullo e veteribus Epiſcopis Sacramentum hoc exigeretur; utique quia iiſdem armis, incommodis æque ac efficacibus, ſeſe tuituri eſſent. Interim expendat Lector an Catholicus, actu detentus in carcere, Reginæ inviſus, a Zuingliano potente coram Zuinglianis impetitus, non debeat vel hoc uno victor cenſeri, quod indamnatus evaſerit.

Reſpondet Bramhall, & ex ipſo Diſſertator, Hornii conſecrationem, non quamcumque a Bonnero pernegatam fuiſſe, ſed eam ſolum quæ valida foret, quia ſcilicet negaret is Ordinationes Parkerii, Horni & aliorum factas eſſe ſecundum leges; quandoquidem factæ eſſent ſecundum Eduardi Ordinale, quod a Maria expreſſe proſcriptum fuerat, ſub Eliſabetha vero expreſſe reſtitutum non fuerat, cum redintegratus eſt Liber *precum communium*. Couray. Diſſert. Tom. 1. pag. 143. & defenſ. Lib. 3. cap. 4.

61 Verum deceptus hac in parte, ut & in aliis pluribus Diſſertator ab iis, quos uti Magiſtros ſequitur, Maſſonio præſertim & Heylino ſuos quoque Lectores decipit. Etſi enim medium ex abolito per Mariam, nondum autem per Eliſabetham reſtituto Eduardi Ordinali, utcumque adhibuit Bonnerus (quod & ex Catholicis alii quidam fecerunt ex abundantia juris, ut loquimur,) non tamen in eo ſtetit, ſed longe ultra progreſſus, contendit Hornium Ordinationis, quæcumque ea foret, expertem fuiſſe. 1. Quia non ignorabat Bonnerus indubie futurum,

rum, ut Judices ſaltem aliqui Regis Eduardi Ordinale eo ipſo approbatum fuiſſe cenſerent, quo approbatus fuerat Liber communium precum, cujus pars quædam eſſe videbatur Ordinale prædictum. Ergo nec ignorabat indubie futurum, ut coram Judicibus ut plurimum Zuinglianis cauſſa caderet, ſi huic uni medio inniteretur. 2. Quia vel ex ipſo judicio liquet Bonnerum Hornio aliud quidpiam & gravius objeciſſe, videlicet defectum cujuſvis Ordinationis, ejus etiam quæ Regiis Legibus præſcripta eſſet: Siquidem nominati ſunt primum *Jurati*, qui Bonneri accuſationem expenderent. Atqui Juratorum munus non erat expendere an Eduardi Ordinale revixiſſet, bene vero an genuina eſſent, quæ proferre poſſet Hornius Ordinationis ſuæ inſtrumenta. 3. Quia egit Hornius ut Judicibus primum nominatis Judices alii ſubſtituerentur, tandemque ut res deferretur ad examen Parlamenti, cujus Decreto ab Hornii vexatione ſolutus eſt Bonnerus. Atqui ſi Hornius probare potuiſſet ſe juxta Eduardi Leges ordinatum fuiſſe, neque ita Judicum ſubſtitutione indiguiſſet, nec utcumque cauſſa cecidiſſet in Parlamento; cum, ſi non omnibus novæ Sectæ Aſſeclis, at ſaltem pleriſque certum videretur, Ordinale Eduardi, una cum Libro precum communium ab Eliſabetha plus ſatis reſtitutum fuiſſe; uti toties cecinerunt Heylinus, & alii Diſſertatoris prædeceſſores: & tamen male ſatis, ut infra videbimus.

2. Eamdem Parkerii, Hornii, ceterorumque id genus, conſecrationem negabat Stapleton, vir, Judice ipſomet Bramhall, Pontificiorum ſenſatiſſimus. Is enim Joannem Fecknam, Weſtmonaſterii Abbatem, a quo idem ſuprematus juramentum exihebat Hornius, iiſdem armis vindicat, quibus ſemetipſum tuebatur Bonnerus. Sic ille in Reſp. ad eumd. Horn. Lib. 1. cap. 5. *Dum eum*, Bonnerum, *exagitarent, & ad ſuſcipiendum juramentum fidelitatis omnibus modis importune urgerent, ipſi EPISCOPI LARVATI deprehenſi ſunt*. Et iterum: *Nec Eccleſiæ... nec Epiſcopi Parlamentarii eſſe potuerunt: nam ſtatuta Regni nihil de iis adhuc ſtatuerant*; ſeu nondum definierant, quod in fine litis Bonneri declararunt, Parkerium, Hornium, & alios, qui ſe pro Epiſcopis gerebant (quomodolibet inſtituti eſſent) pro veris Epiſcopis habitum deinceps iri. Quin & publicam de prætermiſſa ab Hornio & aliis Ordinatione fidem conteſtatur Stapleto his verbis: *Quis neſcit, te, tuoſque Collegas, non dico, aliter quam requirunt Canones, ſed nec ſecundum præſcriptum Statutorum veſtrorum ordinatos eſſe. Qua ergo fronte nomen Domini Epiſcopi VVintonienſis tibi arrogare audes, quo Leges tam Municipales, quam Eccleſiaſticæ te privant*? Et rurſum Lib. 4. cap. 7. *Si quærerem amplius*, inquit, *quo jure nomen Epiſcopi VVintonienſis... ſibi vindicet, cum tantum Litteris Patentibus Principis ad hanc functionem evocatus ſit, ſine conſecratione, ſine impoſitione manuum cujuſcumque Epiſcopi aut Epiſcoporum (qua impoſitione manuum S. Paulus uſus eſt in Timotheum, & univerſalis Eccleſia, illa tamquam proprio medio ad Eccleſiæ Epiſcopum ordinandum ſemper uſa eſt) neque ille, neque ſocii ſui, inordinati etiamnum exiſtentes Prælati .... per ſe umquam reſpondere poterunt, neque rationem reddere, cur Epiſcopi haberi debeant, ſed potius ut mere Laici, vel ſimplices Sacerdotes, ut antea ſemper fuerunt*. 62

63 Litigat equidem Diſſertator, eo quod primigenium exemplar Anglum habeat: *VVilhout due conſecration*, id eſt *abſque debita conſecratione*; quæ vox, inquit, non quamcumque, ſed ſolum *debitam*, id eſt omnimode legitimam, non tamen omnino validam conſecrationem excludit: ſtat autem illegitime quempiam & indebite, ſimul tamen valide ordinari.

Verum præterquam Latina verſio nuſquam a Stapletono improbata eſt, forte & ab eo priuſquam typis mandaretur, relecta; conſtat ex variis ejuſdem textibus ſecum invicem collatis, eum non modo licitam, ſed & debitam, id eſt omnino requiſitam, ſeu prorſus neceſſariam Ordinationem Hornio, Horniique inſtitutoribus abnegaſſe. Quod ut mage magiſque pateat, unum aut alterum præcitatis textibus textum adjungere juvat. Sic ille Homilia in Feſtum Evangeliſtæ Marci, Tom. 4. pag. 851. *Nemo legitime*, id eſt valide *mittitur* in meſſem Domini, *niſi ab Epiſcopo per manuum impoſitionem mittatur. Hac miſſione hodie carent hæretici, a nullis enim Epiſcopis miſſi ſunt. Etſi enim nunc quidem apud Calviniſtas & Lutheranos plerique mittantur per manuum impoſitionem; tamen quia primi Magiſtri a nemine mittebantur, tota hæc imaginaria miſſio merum nugamentum eſt... Tales* ſunt *omnes, qui hodie in Anglia ſunt Epiſcopi, qui veris Epiſcopis, ad unum, poteſtate regia, eaque feminea ejectis.... Epiſcopis, inquam, qui in Eccleſia Dei Ordinatione ſuccedanea præſidebant: nemini ſuccedentes, ſed a ſe ipſis incipientes, a nemine manuum impoſitionem accipiebant, nequidem a Germanis, vel Gallis, aut alicujus Reformatæ, ut vocant, Eccleſiæ Paſtoribus*. Et in controverſiis qu. 4. art. 4. eamdem materiam verſans: Anglo-Calviniſtæ, inquit de Anglis Epiſcopis loquens, *cum a principio ſola Regia auctoritate Cathedras Epiſcopales occuparent, nunc per manuum impoſitionem omnes ſuos Miniſtros ridicule ordinant, adlatrantibus Puritanis, & totam illam cæremoniam deridentibus*, &c. Ad hæc quid Diſſertator? unum hoc; ignotam igitur Stapletono fuiſſe cauponæ Ordinationem. Quaſi ſcilicet vel admiſſa cauponæ Ordinatione Anglicani Præſules neceſſario fuerint invalide ordinati; vel eadem rejecta neceſſario valide fuerint ordinati: quod utrumque falſum eſt; cum ut bene advertit Harduinus, & valide quis in profano loco, & invalide in ſacro conſecrari poſſit. Interim ſic ex Stapletano argumentari licet. Qui larvati tantum Epiſcopi erant; qui nec Eccleſiæ, nec ipſius etiam Parlamenti Epiſcopi eſſe poterant; qui Epiſcoporum nomine tam per Eccleſiæ, quam per Regni leges privati erant; qui ſine manuum impoſitione, licet juxta conſtantem Apoſtoli & Eccleſiæ uſum, non modo ad licitam, ſed ad validam conſecrationem neceſſaria, inſtituti erant per ſolas Principis Litteras; qui a nullo prorſus etiam hæretico per manus impoſitionem ordinati ſunt; qui demum eam Ordinationis imaginem non habuerunt *a principio*, quam tandem, *ridicule* licet *& adlatrantibus Puritanis*, admiſerunt; ii profecto, ſeu intra, ſeu extra cauponam, non ſolum illegitime, ſed & invalide prorſus ordinati ſunt. Atqui tales fuere novi in Anglia Epiſcopatus fundatores, teſte & fidem publicam atteſtante Stapletono, *Papiſtarum ſenſatiſſimo*: reclamante quidem Hornio, ſed ita ut, quod intra mediæ diei ſpatium fieri poterat, nec umquam Lambethenſe

Actum

Actum produxerit, nec vel ſemel eum nominaverit a quo ſibi manus impoſitæ eſsent. Ergo Actum Lambethanum non modo dubie, quod tamen nobis ſufficeret, ſed & probabiliſſime judicatur publicæ notorietati contrarium.

Et vero, qui ſecundum Ordinale Eduardi ordinati fuiſsent, a tribus Epiſcopis per impoſitionem manus fuiſsent ordinati. Atqui negat Stapleton Anglos ſic ordinatos fuiſse; idque in *propugnaculo fidei primitivæ*, &c. proinde in Libro an. 1565. ſeu ſex poſt prætenſam Parkerii Ordinationem annis impreſso. Poſtquam enim dixit: *De Legibus Angliæ municipalibus non loquor, nuper probatum fuit eos juxta illas Epiſcopos non eſſe*, ſubdit infra: *Proteſtantes autem hoc Sacramentum rejiciunt, & omnem talem gratiam negant, & Epiſcopales ſedes occupant ſine omni impoſitione manuum Presbyterii;* ſeu, ut paullo poſt loquitur: *Nec ullam impoſitionem manuum Presbyterii habentes*. Qua porro fronte vir nobilitate & ingenio gravis negaſset iis ullatenus impoſitas manus fuiſse, quorum conſecratio tot pene actu Londini teſtes habuiſset, quot incolas? 64

3. Similia ſcribit Ricardus Briſtovv in Lib. de motivis Religionis Catholicæ, Anglice ſcripto an. 1567. ubi poſtquam dixit, Parkerium, Grindall. Sandeſim, Hornium & alios, Epiſcopos factos eſse, *vel ſolis litteris Regiis, vel* RIDICULA *quadam conſecratione eorum qui nullam niſi a Regina conſecrandi acceperunt poteſtatem* (quæ verba Cheapſideanam Ordinationem indigitare videntur) ſic infra proſequitur: *Unde ſi quos eorum interdum pœniteat, redeuntes ad Eccleſiam, non alium tenent niſi laicorum locum: ſed nec ipſi expectant ut a nobis ſinantur in alio officio miniſtrare, niſi Ordines, noſtros quos prius non ſuſcepere, ſuſcipiant*. Ergo tunc temporis Eccleſia, ex Doctorum Catholicorum qui omnia viderant, teſtimonio, iterabat ordinationes Anglicanas, quia ſine vera ordinandi poteſtate peractas. Atqui niſi notorium fuiſset eas ut minimum dubias fuiſse, non adeo facile iteratæ eſsent. Aliunde vero nihil eſt cauſsæ cur minor nunc habeatur fides Doctoribus Catholicis, quam tunc temporis habita fuerit. Ergo eodem quo ſemel paſsu gradi debet Eccleſia, &, ut conjicimus, gradietur in poſterum. 65

Arguit equidem imperitiæ Briſtovvium Diſsertator p. 147. defenſionis, eo quod dicat Presbyteros antiquitus a Presbyteris ordinatos eſſe. Sed perperam, quia Presbyterorum nomen eo ſenſu uſurpat, quo, juxta Interpretes bene multos ſumitur ab Apoſtolo in his Epiſtolæ ad Titum verbis, c. 1. v. 6. *ut conſtituas per civitates Presbyteros*, id eſt Epiſcopos, prout indicare videtur ſubſequens iſte textus: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, &c. mirumque quod id eruditus ille Diſsertator non deprehenderit in ipſo Briſtovvi textu, ſic habente: *Ejuſmodi igitur erat mos Eccleſiæ Chriſti quam Apoſtoli fundaverunt, ut Presbyteri a Presbyteris, ſeu Epiſcopis ab Epiſcopis ordinarentur*. Vocula enim *ſeu* idem ſonat, ac *id eſt*: ut infantes olim didicimus. Ceterum Briſtovvius, teſte Dupino, vir fuit Theologus, ſani judicii, & Tridentinorum Canonum ſcientiſſimus. Iſtud porro hominum genus inditam ſolis Epiſcopis poteſtatem non transfert ad Presbyteros. De ceteris Scriptoribus, qui Ordinationes Anglicanas impetiere, quales ſunt Joannes Raſtall, Guillelmus Alanus Cardinalis, Nicol. Sanderus, 66

Oſo-

Oſorius, &c. Adi P. le Quien Tom. 1. Nullitatis denuo demonſtratæ, c. 1. §. 3. & 4.

3. Demum Actum Lambethenſe plura in ſe complectitur ſuppoſiti partus argumenta.

67 Namque 1. juxta Regiſtrum illud Parkerius die 17. Decembris an. 1559. conſecratus eſt, non ante, poſt eum vero & ab ipſo conſecrati dicuntur. Edmundus Grindal Londinenſis, & Ricardus Cox Elyenſis Epiſcopi, die ſcilicet Decembris 21. Atqui valide probatur iſtos omnes ante tempus illud pro Epiſcopis habitos fuiſſe.

68 Siquidem juxta Bramhal, Maſſon, & alios Ordinationis Anglicanæ vindices, is eſt Eccleſiæ Anglicanæ uſus, eæ leges, ut qui nondum conſecratus ſit, 1. numquam dicatur ſimpliciter Archiepiſcopus vel Epiſcopus, bene vero Epiſcopus electus; 2. ut *temporali* Eccleſiæ ſuæ bono non fruatur; 3. & id etiam tunc temporis * ſtatutum erat, ut nemo niſi jam conſecratus Epiſcopus ab Epiſcopo alio juramentum Suprematus exigeret: Atqui Parkerius, Grindal, & Cox ante menſem Decembrem vocabantur Epiſcopi ſimpliciter, temporales Eccleſiarum ſuarum reditus percipiebant, & Suprematus juramentum deferebant Epiſcopis jam conſecratis.

69 Quod Parkerius & alii pure & ſimpliciter Epiſcopi vocarentur patet ex Mandato die 20. Octobris a Regina dato, per quod *Reverendiſſimo in Chriſto Patri Matthæo* Parker, *& Reverendis in Chriſto Patribus Edmundo* Grindall, *& Richardo* Cox *Elienſi Epiſcopis* plena datur facultas *Sacramentum prædictum*, Suprematus videlicet, *de omnibus Archiepiſcopis*, *Epiſcopis*, &c. recipiendi. Quod autem reponit Diſſertator nomen *electi* a Secretario prætermiſſum fuiſſe, fidem omnem ſuperat; tum quia etſi ſemel fortuito prætermitti ea vox poteſt, uti prætermiſſa dicitur * in Acto Bonnerum ſpectante: (quod unicum dicti ſui exemplum ex ſola Burneti auctoritate attulit Diſſertator) at eam quinquies in eodem Acto ſuppreſſam fuiſſe nemo facile concipiet. 2. Quia Elizabethæ plurimi intererat ut Suprematus juramentum ab omnibus Eccleſiæ ſuæ Prælatis certo obtineret. Ergo ejus intererat ut Epiſcopos non ſimpliciter electos, ſed & vere conſecratos in hunc finem ſeligeret; quia vix fieri poterat ut veri Epiſcopi ſimplicibus Presbyteris obſequerentur. Ergo prædicti tres Epiſcopi, vel jam tum, id eſt duobus ante diem 21. Decembris menſibus conſecrati erant, vel pro conſecratis habebantur. Ergo Parkerii confirmatio die nona Decembris, ejuſdem vero conſecratio die Decembris 17. conſignari non poſſunt. Ergo jure ac merito in ſuſpicionem veniunt Acta Lambethana.

70 Confirm. 1. ex iis quæ in Annalibus ſuis refert Stovvius, Elizabetham

* Dico *tunc temporis*: antea enim vel ipſis laicis permiſerat Eliſabetha ut ſacramentum illud exigerent ab Epiſcopis. Verum cum facultas illa, quia laicis commiſſa erga Eccleſiaſticos homines primarii gradus, ſuo caruiſſet effectu, ſanxit Regina ut jusjurandum illud non niſi ab Epiſcopo uno alii Epiſcopo deferretur: & hæc dicta ſint ad præcludendam Diſſertatoris evaſionem. Vide le Quien Tom. 1. reſponſionis. p. 215.

* Notand. quod Bonnerus jam tunc confirmatus eſſet: contra vero Parkerius ſolum electus erat die 20. Octob. ſi valeat Regiſtrum Lambethan.

tham ſcilicet die Septemb. 9. ejuſdem an. 1559. Henrico II. Galliarum Regi nuper, defuncto in Eccleſia S. Pauli Londinenſis ſollemniter parentari voluiſſe. Is porro fuit cæremoniæ ordo: Exequias juxta ritum Eduardi celebrarunt Mat. Parkerius, Willelmus Barlovv. & Joannes Scory, qui funebrem Loco Grindalli Londinenſis Epiſcopi orationem dixit. Idipſum Guillelmus Noallius, Franciſci IX. ad Angliæ Reginam Legatus, rei totius ſpectator tradit in ſua ad Regem Chriſtianiſſimum Epiſtola; ubi Officium hoc qualecumque ab Archiepiſcopo Cantuarienſi celebratum eſſe ſcribit. Atqui ex iis non inepte colligitur, Parkerium, utpote qui ritu Pontificali celebraverit, & quidem ſi Acta Lambethana valeant, ante alios Epiſcopos, qui ab eo Cœnam receperunt, atque in Pontificali throno ſederit, ſicut & in thronis alii duo Epiſcopi ſederunt, vel jam fuiſſe conſecratum, vel pro conſecrato ſe geſſiſſe. Quo enim pacto Epiſcopus ſolum electus Epiſcopos duos, qui tunc conſecrati fuiſſe perhibentur, præceſſiſſet? Quomodo a ſimplici Sacerdote Cœnam recepiſſent veri Epiſcopi? Quomodo a ceteris (præter Stovvium tamen, qui viginti poſtea annis ſcribebat) ſimpliciter Archiepiſcopus nominaretur? Ergo.

Confirm. 2. ex Litteris Gilberti de Thich datis die 28. Novemb. 71
an. 1559. tribus proinde hebdomadis ante diem 17. Decembris, quæ ſic habent: *Ego prædictus* * *Rex armorum . . . non ſolum ex divulgata fama, verum etiam ex meo & ceterorum nobilium fide dignorum teſtimonio ſum veraciter inſtructus & informatus, quod Reverendiſſimus in Chriſto Pater Matth. Parker Archiepiſcopus Cantuarienſis, eſt præclara familia ortus .. ac diu in virtute claruit, &* VERI ET CHRISTIANI PRAESULIS OFFICIO FUNCTUS EST, ET IN DIES FUNGITUR: quæ poſtrema verba caute ſuppreſſit Diſſertator. Atqui nec fungitur, nec fungi poteſt veri Præſulis officio, qui nequidem confirmatus eſt, nedum conſecratus ſit. Ergo vel Parkerius ante diem in Regiſtro Lambethenſi aſſignatam ordinatus erat; vel, ut ei toties exprobraverunt Stapleton, atque etiam in Judicio ſociis ejuſdem Bonnerus, furis inſtar in gregem irrepſerat abſque miſſione, manuum impoſitione, aut ordinatione ulla, quam reapſe inutilem prorſus, ac mere ſuperſtitioſam judicabat.

*Herault d'armes.

Confirm. 3. ſi conſecratio Lambethana in falſi ſuſpicionem venire 72
non poſſit, vel quia eruta eſt e Regiſtro publico; vel quia eruta eſt e Regiſtro quod adulterari non potuit; vel demum quia eruta eſt e Regiſtro quod intactum remanſiſſe invicte demonſtratur. Atqui ex his nullum certo affirmari poteſt.

Non primum; cum ex ipſo Diſſertationis Auctore non illico ve- 73
rum ſit quidquid publicis e Tabulariis depromitur. Sic ille Reſponſionis ſuæ Lib. 1. p. 122. *Ce n'eſt pas à la vèritè une raiſon de recevoir comme inconteſtable un titre, parce qu'il eſt tirè d'un Regitre public.* Utique Archivia monumentis omnigenis plerumque turgent, ſic ut bona malis vehiculum præbeant.

Non 2. 1. quia Anglicana Regiſtra ſæpe ex cartis ab invicem ſe- 74
junctis coaleſcunt, quæ finito Regiſtro, id eſt, poſt Epiſcopi mortem, in unum volumen compinguntur. Ita candide idem Scriptor ibid.

ibid. p. 159. *Ces dérangemens* (ou tranſpoſitions) *pauvent arriver en Angleterre plus ſouvent qu'ailleus, car on m'aſſure que ces Regitres ne ſont ſouvent compoſés que de feuilles volantes, qu'on relie en un ſeul corps de volume, quand le Regitre eſt fini*. Quid porro facilius, quam folium *volans* vel interponere ubi non erat, vel alii pro nutu ſubſtituere? 2. quia tot extiterant ſub Elizabethæ regno Falſarii, ſeu fictorum inſtrumentorum artifices, ut iis generalem veniam largiri coactus fuerit Jacobus I. ejuſdem Elizabethæ ſucceſſor, his verbis: *Pardonamus falſas fabricationes chartarum, ſcriptorum, ſive aliquorum monumentorum, ſcriptorum quorumcumque, ac publicationes eorumdem*. Quis porro credat e tot hominibus erga Religionem Catholicam peſſime affectis neminem unum fuiſſe, qui præ ſcrupulo *volantem* cartham, Parkerianæ conſecrationis indicem, quo tandem Papiſtarum linguas obſtrueret, fabricari & Regiſtro aſſuere recuſaverit? Hujuſne doli incapaces erant Guillelmus Cuyl, ejuſdemque filius, uterque Elizabethæ a ſanctioribus conſiliis, uterque in Religionem Catholicam furens, quam prior ſub Eduardo deteſtatam ſub Maria profeſſam mendaciter, ſub Elizabetha ejuravit; poſterior, cujus tempore Lambethana Conſecratio divulgari cœpit, per omne nefas, ipſamque pulverum conſpirationem, inſectatus eſt, 3. quia non eſt gravior ac certior Parkeriani Regiſtri fides atque auctoritas, quam Cranmeriani. Atqui iſtud tamen falſa Acta continere indubium eſt; tum quia in eo Nicolaus Ridley & Hugo Latimer dicuntur conſecrati fuiſſe, prior quidem *cum unctione Chriſmatis* (quæ locutio, ut affectata & exemplo carens, dolum prodit, quia nimia cautio dolus) in Epiſcopum Roſienſem; poſterior vero in Epiſcopum Vigornienſem: qui tamen nuſquam conſecrati ſunt; cum ante ſupplicium cui a Maria addicti ſunt, a ſolo Presbyteratu degradati fuerint; tum quia Barlovvii in Epiſcopum Aſſavenſem confirmatio conſignatur die 15. Sept. an. 1535. & tamen fatentur nunc Anglicani omnes, & cum iis Diſſertator, Barlovvium in Epiſcopum Aſſavenſem nonniſi die 16. Januarii an. ſequentis electum fuiſſe, confirmatum vero die 23. Februarii; quandoquidem Henricus Standish. Aſſavenſis, Antiſtes, ad minimum menſe Novembri ſupereſset in vivis. Ergo regiſtra hæc tantopere celebrata, fraudi & dolis neutiquam inacceſsa ſunt. De his adi P. le Quin Tom. 1. nullitatis ſecundo demonſtratæ, p. 222. 224. 242. &c.

75 Reſpondet quidem Diſſertator Ridleyum & Latimerum ab Epiſcopatu degradatos non fuiſse, quia tunc temporis perſuaſum erat Catholicis Anglis Ordinationes hæreticorum invalidas eſse. Addit idem omiſsam eſse degradationem ab Epiſcopatu contra ſententiam Legati, qui teſte Fox eam præceperat.

Verum neutra hæc reſponſio ſatisfacit. Non prima; quia gratis, ſi non calumnioſe, Catholicis, qui tunc in Anglia degebant, affingitur quod hæreticorum Ordinationes irritas crediderint; tum quia contrarium tenebant Petrus Soto & Barth. Caranza, quorum præcipue ſtudio & curis inſtaurata eſt Religio ſub Maria; tum quia Gardinerus, Tonſtall, & alii qui ſub Henrico VIII. rite ordinati fuerant, Zuingliani licet, ab ipſo etiam Epiſcopatu fuere degradati; tum quia Latymerus

merus & Ridleyus alioqui nec ab ipſo forte Presbyteratu degradati eſſent. Non ſecunda; quia nemo erat qui latam a Legato degradationis ab Epiſcopatu ſententiam infringere auſus eſſet. Neque hoci n puncto plus meretur fidei Poteſtans Foxius, quam, teſte Colliero & ipſo etiam Proteſtante, in aliis pluribus mereatur. *V.* Le Quien nullit. ſecundo demonſtr. p. 226. & ſeq. Harduinum in indice defenſ. *V.* Fox.

3. Nec probari poteſt intactum remanſiſſe Parkerii Regiſtrum. Et 76
unde id, amabo, demonſtrabit Oxonienſis Doctor? An ex nativo Anglicanorum candore? Atqui conſtat Angliam Falſariis ſcatuiſſe. An quia non ii ſunt Angli qui Catholicam Religionem per malas artes impetere velint? Sed & conſtat eos cælum, Acheronta, & omnes ſcelerum genus moviſſe, ut Papiſtas ad fundamentum uſque exinanirent. An quia nihil iſto hoc artificio in cauſſæ ſuæ munimen indigerent? At indigebant quam maxime: cum a Romanis perinde & a Puritanis vexati, quod nonniſi Epiſcoporum larvas, inaneſque imagines haberent, e re ipſorum eſſet, clamorem hunc, novæ Sectæ capitaliter exitioſum, tandem compeſcere. Certe, cum Librum ſuum evomuit Diſſertator, inierant Angli quidam ſerium revertendi ad unitatem Catholicam conſilium; rati, ut res ſe habent, veram non eſſe Eccleſiam, cui deſit legitima Epiſcoporum ſucceſſio. Quidni idem alii ſub Elizabetha cogitaverint? Sed quidni etiam ut defectioni huic occurrerent zelatores Sectæ, id circa Regiſtrum unum moliti ſunt, quod circa tot alia Inſtrumenta ſeu Acta tentavere.

At, inquis, probant hæc quidem Regiſtrum Lambethanum potuiſſe 77
vitiari; de facto autem vitiatum fuiſſe non probant. At, inquam ego, probant ſimul poſſe ſerio dubitari annon reipſa vitiatum fuerit; proinde an ita fidendum ſit Parkerianæ Ordinationi, ut ex ea velut inconcuſſa Nationis ampliſſimæ ſalus ſuſpendatur. Id autem adeo nolim, ut in pari cauſſa ne unius quidem Oppidi Baptiſmum uti indubium admittere auſim. Supponatur 1. Tractus cujuſdam ſeu Regionis incolas neceſſitatem Baptiſmatis inficiari cum Bucero, prout neceſſitatem Ordinationis ſacræ rejiciebant Cranmerus, Parkerius, & id genus alii cum Zuinglio. 2. Eoſdem a duobus hinc & inde ſectis palam incuſari, quod Chriſtianos ſe dicant, nec tamen, uti Chriſtianorum mos eſt, ullo inſtrumento probare poſſint ſe Baptiſmo tinctos eſſe. 3. Eos quidem de Baptiſmo ſeu gloriari, at interim nullum ejus monumentum proferre. 4. Ab iis poſt annos quadraginta, quo tempore Regio tota pullulabat falſariis, proferri Actum volanti cartæ commiſſum, quod fidem faciat ipſos novo ritu ab aliis admiſſo, ab aliis rejecto, baptizatos fuiſſe. 5. Adverſus Actum iſtud, tamquam vel impoſturæ prolem, vel aliquid ſumme dubium a Catholicis, iiſque ſcientia & pietate conſpicuis reclamari. His, quæ mutato nomine, Parkerianam hiſtoriam exhibent, ſuppoſitis, quæro an coram Deo reus ſit qui homines illos conditionate baptizet, an innocens, qui renuat baptizare?

Non deſunt tamen Regiſtro Parkeriano, etſi diu cudi & recudi potuit, intrinſeca ſuppoſitionis indicia.

1. Enim Godvvinus & Maſſon circa diem, menſem, quandoque & 78
annum, in quibus conſecrati ſunt Proteſtantes Epiſcopi, ut Grindal,

Horn,

Horn, Barkei, inter ſe non conſentiunt; & hi tamen Acta publica conſuluerant. Quæ porro fides Actis quæ a ſe invicem diſcordant? Emendavit quidem diſſonantiam hanc Godvvinus in editione Operis ſui altera. Sed quis non illico animadvertat id factum eſſe ut Regiſtri recens a Maſſono editi honori conſuleretur. Vide le Quien Tom. 1. Nullit. p. 380. & Harduin.

79 2. Neque Regiſtrum cum Anglicanis Scriptoribus, nec Anglicani Scriptores cum Regiſtro circa Epiſcopos Parkerii Conſecratores conveniunt. Siquidem in Regiſtro legit Maſſonius, conſecrationem Parkerii factam eſſe a Barlovvio, Scory, Milone Coverdale, & Joanne ſuffraganeo Betfordienſi, qui quidem Joannes non Joannes ſed Ricardus vocatur, tum in vita Parkerii, tum in commiſſione quæ profertur uti data a Regina Elizabeth ad confirmandum & ordinandum Parkerium. Contra vero Sutcliffius, aliquot ante Maſſonium annis ſcribens, ex ipſo Parkerianæ conſecrationis Acto, quod ſe vidiſſe ait, uti Parkerii conſecratores recenſet Barlovvium, Coverdale, Scory, alioſque ſuffraganeos duos, quos, inquit, videre eſt in Acto conſecrationis. Butlerus autem his annumerat ſuffraganeum Doverenſem, cujus nulla eſt in Actis ceteris mentio. Demum Baker in Chronico Regum Angliæ, tres ſolum refert Parkerii Ordinatores, nempe Barlovvium, Scory & Coverdale. Hæc porro tum in numero, tum & in nomine diſcrimina nemini præter Diſſertatorem leve quid & minutum videbuntur. Nullum certe extat ſæculare tribunal, quod variantia hujus generis Acta admittat, uti ſubindicat ipſe Diſſertationis parens, Lib. 3. defenſ. p. 239. Ut quid ergo in re tam gravi admittantur ab Eccleſia. Vide le Quien nullit. ſecundo demonſt. p. 256.

80 3. Narratio conſecrationis Parkerii, vel eſt Actum juridicum, ſeu proceſſus verbalis, uti eam nominat Oxonienſis Doctor in Diſſert. vel mera eſt Relatio hiſtorica, uti eam vocat in Defenſione Diſſertationis. Atqui neutra ratione fidem ullam mereri poteſt. Non ut proceſſus verbalis; cum huic deſint, tum præambulum in hiſce Actis adhiberi conſuetum, tum data, ſeu diei, menſis & anni adſcriptio, tum & chirographi teſtimonium, uno verbo omnia ad proceſſum verbalem neceſſario requiſita. Non ut Relatio hiſtorica, quia Relatio, præſertim ſi nullo teſtium, aut Notariorum munimine fulta ſit, Actum qualitercumque juridicum conſtituere non poteſt; immo nec ad Regiſtrum ullatenus pertinet. Adde quod Relatio hæc & affectata ſit, cum minutiora quæque referat, & earum ſimillima ſit quæ quotidie plebi ad pontem novum venales offeruntur. Interim jam a limine actionem tenebroſam indicat. *Mane*, inquit, *circiter quintam aut ſextam* horam, *die Dominico* 17. *Decembris*, tribus proinde circiter horis ante ortum ſolem, *per occidentalem portam ingreditur Sacellum Archiepiſcopus, toga talari coccinea, caputioque indutus, quatuor præcedentibus funalibus*, &c. V. Diſſert. p. 61. ad calcem voluminis, & dolum ſuſpicare.

81 Reponit quidem Oxenienſis Magiſter, ad 1. non ideo Actum quodvis ſpurium cenſeri debere, quod male citatum ſit: cum alioqui ſuſpecta eſſe deberent Eccleſiæ ſeu Romanæ, ſeu Gallicanæ Acta, quæ pluries tum ab iis qui Pontificum Rom. vitas ſcripſere, tum a Sam-

mar-

marthanis in Gallia Chriſtiana falſo citata fuere (defenſ. Lib. 1. p. 135.) Ad 2. vero *Clerici*, ut loquimur, ſeu Amanuenſis vitio factum eſſe, ut nomen unum nomini alteri ſubſtitutum fuerit, &c.

Verum etſi ſolutio hæc ſoliditatem ſuam habere poteſt, an tantam 82
habet, tamque evidentem, ut legitimum quodcumque dubium abigat? Annon contra ipſum Auctorem retorqueri poteſt? Annon Pontificiæ Hiſtoriæ Scriptores, ipſique etiam Sammarthani, plerumque decepti ſunt, quia Acta vel ſpuria, vel adulterata habuere pro ſinceris? Annon etiam, quia deficientibus Actis recurrendum fuit ad proprias vel alienas conjectationes? An demum non majori cura explorandum eſt Actum ad Sacramenti valorem ſpectans, quam quod ad meram hiſtorici puncti curioſitatem pertinet?

Sed quidni, inquies, idipſum Grindallo & aliis contigiſſe dicatur, 83
quod Sammarthanis contigit, nimirum ut Acta ipſa minime conſuluerint? Quidni? quia longo a ſe invicem intervallo diſtant Anglicani illi & noſtri Scriptores. Anglicanos urgebant & inſectabantur tum Catholici, tum & Puritani, velut ſine ulla manuum impoſitione ordinatos. Pervaſerat rumor ille Italiam, Galliam, finitimaſque Regiones. Ut revinceretur calumnia, totum amplæ Nationis Epiſcopatum afficiens, ſatis erat ut Scriptores unus aut alter, non innumera prope Regiſtra, ut Sammarthani, ſed unum dumtaxat conſulerent: aut ſaltem exilem ſimul & faſtuoſam Lambetanæ Ordinationis Relationem, quæ tamen, quia nihil habeat juridici, non multi fuiſset ponderis, exhiberent. Erat id obvium atque facillimum; nec tamen per annos 50. factum aut etiam tentatum eſt. Unde, quæſo? niſi quia necdum compacta erat famoſa illa Relatio; aut ſi jam cudi incœpta, non poterat emitti in lucem, quo tempore innumeri huc uſque ſuperſtites adverſus fabellam reclamaſsent.

P A R S   S E C U N D A

Factum Barlovvii.

DUbium de Barlovvii conſecratione legitimum haberi debet; mo- 84
do & legitimæ contra ordinationem Zuingliani hujus proponantur difficultates, & argumentis in ejuſdem gratiam propoſitis non improbabiliter ſatisfiat. Atqui utrumque verum eſt.

1. Namque mirum eſt, Actum conſecrationis Barlovvii, quod a 85
duobus ferme ſæculis ubicumque inquiritur, nullibi gentium reperiri; non in Regiſtro Cranmeri, qui eum conſecraſse ſupponitur; non in aliis ſeu Eccleſiarum quibus præfuiſse dicitur, ſeu Regni ipſius tabulariis; præſertim, cum, ut, obſervat Miniſter Stephens, innumera ejuſdem Barlovvii Acta iis in locis ubi eſse debent, prompte & facile reperiantur. *Il eſt ètonnant*, verba ſunt præcitati Miniſtri apud P. le Quien Tom. 1. Nullit. c. 9. p. 471. *qu' on trouve une infinitè d' Actes, qui concernent la perſonne de G. Barlovv, dans les Greffes des Egliſes & des Cours où ils doivent etre enregiſtrès & gardès, & qu' il n' y ait que celui de ſon Sacre qui ne paroiſſe nulle part . . . Car s' il avoit ètè ſacrè par*

un autre que par l'Archeveque Cranmer, on trouveroit en quelque endroit, & ſur-tout à Lambeth, une commiſſion de ce Primat pour en faire la cèrèmonie. On ne dècouvre rien. Maſſon, que l'Archeveque Abbot employa à cette recherche, n'a rien pu produire... Brambal n'a pas ètè plus heureux... quoique les Catholiques euſſent redoublè leurs inſtances pour qu'on produiſit quelque tèmoignage poſitif & authentique de ce ſacre... Burnet tout encouragè qu'il ètoit par le Parlement de 1669. & avec tous les ſecours que lui fourniſſoient toutes les perſonnes qui l'aidoient, ne put rien apporter de nouveau. Enfin VVarthon. qui dans ſon Anglia-Sacra *a dècouvert un nombre infini de fautes, de mèpriſes, de bèvues dans les Livres de ceux qui ont ècrit avant lui ſur la meme matiere (* Nota bene *) n'a pu, ni perſonne après lui, vèrifier que Barlovv ait ètè ſacre.* An vero deſiderati illius Inſtrumenti defectum indubie ſuppleant alia monumenta ſubinde expendam.

86 2. Excepto Godvvino, teſte mendaci, ut inter eruditos convenit, nec diſsentit Corayerus, Barlovvius paſſim dicitur electus in Epiſcopum Aſsavenſem die 16. Januarii an. 1535. & die 23. Februarii confirmatus, ut tradit Warthon in *Anglia ſacra*. Vacante autem paullo poſt Epiſcopatu Menevenſi, ibidem in Epiſcopum electus dicitur die Aprilis decima, & juxta Warthonium die vigeſima ejuſdem menſis confirmatus; demum die 26. eumdem Cranmerus ex mandato Henrici VIII. in Epiſcopatus ſui poſseſſionem immiſit. Ergo ſi conſecratus eſt, ſub hæc tempora conſecrari debuit, ut & de facto conſecratus fuiſse perhibetur. Atqui tunc revera conſecratus non eſt. Sicubi enim conſecratus fuit, vel in Anglia, vel in Scotia, quo a Rege legatus miſsus eſt ad Jacobum V. Non in Scotia, (ſive eo bis miſsus fuerit, ut volunt aliqui, ſive ſemel tantum, ut aliis placet) Siquidem in Scotia omnium in ſe odia concitavit, tum quia fœdus eſset Ordinis Canonicorum Regularium deſertor, & ſacrilego irretitus conjugio: tum quia habitus eſt, ut erat, & pro Schiſmatico, qui Scotiæ Regem a communione Sedis Apoſtolicæ dimovere conabatur; & pro hæretico, qui novos quibus ſcatebat errores, ibidem diſseminabat pro viribus. Sed neque in Anglia conſecratus eſt. Non quidem Aſsavenſis Epiſcopus, uti primo aſseruerat Oxonienſis Doctor in Diſsert. ſua p. 46. qui in ejuſdem defenſione Lib. 3. p. 386. palinodiam cecinit, tum ex monitis Anglicanorum ſuorum; tum quia teſte doctiſſimo Warthon in Anglia ſacra, ubi de Epiſcopis Aſsavenſibus, *fieri nequaquam potuit* ut Barlovvius in Aſsavenſem Epiſcopum conſecraretur. Unde, ut argumentemur ad hominem, conſtat Henricum VIII. aliquando diſpenſaſse a pœnis per legem *præmunire* latis adverſus eos qui commiſsum ſibi alterius Epiſcopi conſecrandi mandatum ultra 20. dies exequi differebant. Jam vero neque conſecratus eſt Epiſcopus Menevenſis: Siquidem a Courayero dicitur conſecratus die 23. April. quæ Dominica erat, a. 1536. neque infra id temporis conſecratus fuiſse ſolido ullo monumento probari poteſt. Atqui ſuppoſita veritate Acti mox citati, cui plurimum innititur Diſsertator, conſtat Barlovvium tunc temporis conſecratum non fuiſse. Scilicet enim die 26. ejuſdem menſis obtinuit Barlovvius ab Henrico facultatem temporali Eccleſiæ ſuæ reditu perfruendi (*la main levèe du temporel de S. Davids*) hæc autem facultas his exprimitur verbis: *Cum Præcentor &,* Diſſert. p. 79.

Capi-

Capitulum dictæ Cathedralis Eccleſiæ (Menevenſis) *poſt mortem prædicti Epiſcopi* (Richardi Ravvlius) *licentia noſtra inde prius obtenta, dilectum & fidelem noſtrum Vvillielmum Barlovv, nunc dictæ Eccleſiæ Cathedralis Menevenſis per nos nominatum Epiſcopum in ſuum elegerint Epiſcopum & Paſtorem, Reverendiſſimus in Chriſto Pater Thomas* (Cranmer) *Archiep. Cantuarienſis electionem illam acceptaverit & confirmaverit, ipſumque ſic electum Epiſcopum prædictæ Eccleſię prefecit & Paſtorem, ſicut per Litteras patentes ipſius Archiepiſcopi inde directas nobis conſtat. Nos nunc certis de cauſſis & conſiderationibus nos ſpecialiter moventibus ... de gratia noſtra ſpeciali ... per pręſentes damus ... eidem nunc Epiſcopo omnia & ſingula, exitus, firmas, redditus, proficua, reverſiones, advantagia*, &c. *Teſte Rege 26. die Aprilis*, &c. Atqui in eo diplomate multa quidem fit mentio de Barlovvii electione, atque etiam de confirmatione, ſed altum eſt de conſecratione ejus ſilentium. Immo hæc ſupponitur nondum facta, cum Rex non niſi *de gratia ſpeciali*, & *certis de cauſſis* ipſum *ſpecialiter moventibus* temporalis ſui reditus fruitionem Barlovvio tribuat, quæ tamen, ut paullo ante præfatur idem Princeps, *durante* ſolum *tempore vacationis Epiſcopatus illius nobis jure prærogativę noſtrę Regię pertinuerunt & ſpectaverunt, ac pertinere & ſpectare dignoſcuntur*.

Confirm. 1. quia non ſine omni fundamento dubitatur an e Scotia reverſus eſſet Barlovvius, quo tempore in Anglia conſecratus fuiſſe ſupponitur, uti pluribus nec improbabiliter oſtendit Fenellus in Diſſertatione ſua pag. 168. & ſeq. 87

Confirm. 2. quia non eſt omnino delirus qui, ſi minus cum Harduino confidenter aſſerit, at ſaltem ſuſpicatur, Barlovvium numquam in Epiſcopum Menevenſem electum fuiſſe, adeoque Acta omnia, in quibus electio ejus aut confirmatio in illam Sedem recenſentur, & e quibus nullum eſt certam hanc proferens clauſulam: *Per Breve de privato ſigillo*, pro ſuſpectis haberi poſſe. Nempe vero Barlovii cognomen erat Vvillelmus, non Thomas. Atqui Menevenſis Epiſcopus an. 1536. & diu poſt, Thomas vocabatur, non Vvillelmus. Sic enim habet non una, ſed duplex Parlamenti convocatio ab Henrico VIII. prior quidem facta an. 1536. *E. Archiepiſcopo Eborum. G. Epiſcopo London. G. Epiſcopo Exon.* & poſt alios duodecim, *T. Epiſcopo Menevenſi*. Poſterior vero ann. 1541. eadem initiali Littera T. eumdem Menevenſem Epiſcopum indigitat. Senſit id Diſſertator, & ideo initiales cujuſque Epiſcopi Litteras ſuppreſſit. Verum hæc ejus agendi ratio nemini probata eſt, & ab Harduino ultra metas æſtuante falſarii notam auctori ſuo obtinuit. 88

Confirm. 3. qui ex Mandato Reginæ Elizabeth conſecratus eſt an. 1559. necdum conſecratus erat an. 1536. niſi pluries conſecrati fuerint pſeudo illi novæ ſectæ Antiſtites. Atqui Barlovvius ex Mandato Elizabethæ, &c. Sic enim habet Regia illa commiſſio ad ipſum Parckeruim directa: *Nos electionem illam* Barlovvii in Epiſcopum Ciceſtrienſem *acceptantes, eidem electioni Regium noſtrum aſſenſum adhibuimus ... mandantes quatenus eumdem Mag. Vvillel. Barl. in Epiſcopum & Paſtorem Eccleſiæ Cathedralis Ciceſtrienſis prædictæ ... electum, electionemque prædictam confirmare: & eumdem Mag. Vvillelmum Barloo. Epiſcopum & Paſtorem Eccleſiæ* 89

prædictæ conſecrare ... velitis ... Teſte Regina apud Vveſtmonaſterium XVIII. die Decembris. Ita Rymer Collect. Tom. 15. p. 550.

90 Confirm. 4. quia ſi Barlovvius circa an. 1536. conſecratus fuerit, utique conſecrari debuit juxta Rituale Romanum, ſub Henrico VIII. conſtanter obſervatum (licet auctore Fenello jam Ordinationis Romanæ excidium meditaretur Princeps apoſtata, magiſque ex tunc rerum ſpeciei, quam rebus ipſis conſuleret.) Atqui ex Hardingo, & Guillelmo Fulke, viro inter proteſtantes non ignobili, quotquot ſub primordia Regni Elizabeth, ſecundum Rituale vetus ordinati fuerant, Catholici erant; ceteri vero qui Catholicum dogma ejuraverant; iique duo tantum, ſcilicet Joannes Scory & Miles Coverdale; juxta Rituale Eduardi ordinati fuerant. Ergo vel Barlovvius ſub Eduardo conſecratus eſt, quod nemo hactenus ſomniavit; vel a Catholicis perinde & ab hæreticis pro non conſecrato habitus eſt ſub ipſum Elizabethæ tempus; adeoque nec potuit conſecrare Parkerium; qui proinde a Scoryo & Coverdalo conſecrari debuit: quæ hypotheſis vel invitos nos ad Cheapſideanam ordinationem reducit. Hinc vulgatum illud perilluſtris Henrici Conſtable: *Parkerus a duobus ad ſummum Sacerdotibus, non Epiſcopis ordinatus fuit: ſi tamen Barlous Scoræo in ea actione adſtiterit*. V. le Quien nullit. Tom. 1. pag. 276. & 500.

91 His equidem omnibus reſpondet Diſſertator: neque enim is eſt vir ingenio, ſcribendi facilitate, ſed & dicacitate nimia pollens, qui conticeſcat: Reſpondet itaque 1. in Barlovvii cognomine Litteram T. Amanuenſis vitio irrepſiſſe pro littera W. nec ſibi vertendum eſſe in crimen, quod mendam apertam correxerit. Sic ille: *Tout Ecrivain qui cite un endroit viſiblement defectueux, eſt en droit de le citer comme il doit etre, plutot que comme il eſt; & ce ſeroit etre ſuperſtitieux plutot que fidele, que d'y trouver a redire*. Porro ſubeſſe in præſente mendam Scribæ ſeu Amanuenſis probat ex aliis, ut vocat, indubiæ fidei monumentis.

92 2. In Mandato Regio ab Elizabetha dato ann. 1559. nullam fieri Barlovvii conſecrandi juſſionem cum in eo plane deſinit verba iſta: *& eumdem* Mag. *Barloo. Epiſcopum conſecrare*, quæ perperam textui a Raynero addita ſunt; prout a Scriptore qui exemplar ipſum conſuluit non ita pridem, didicit Corayerus. Subdit ex iiſdem verbis, etſi in Acto ipſo forent, nihil poſſe inferri: cum pluribus exemplis conſtet in hujuſmodi Actis vocem *conſecrare* non raro adhibitam fuiſse erga eos qui jam conſecrati erant, ſed nec raro fuiſſe omiſſam, etſi ageretur de hominibus necdum conſecratis.

93 Non diffitebor ſuum eſſe hiſce reſponſis pondus: ſed an tale ac tantum ut, quod unice agitur in præſens, dubium quodcumque legitimum excutiant, licebit cum multis ambigere. Ut enim reſponſionem utramque paucis perſtringam; annon vereri eſt ne vel Diſſertator ipſe, vel ii quorum veſtigiis inſtitit, gravia quædam Acta in ſui gratiam emendaverint, rati ſe ea ſolum in veritatis gratiam emendare, & unis Scribarum lapſibus mederi? An Acta e Cranmeri Regiſtro deſumpta, e quibus ſaltem nonnulla certo vitio laborant (puta quo Barlovvius & Eduardus Fox die 15. Decembris confirmati fuerint, ille in Aſſavenſem Epiſcopum, iſte in Herefordienſem) plus merentur fidei,

quam

quam Acta duo Regia, quæ, uti monet ipſe Diſſertator, ſi bene memini, per manus quinque tranſeunt, antequam iis committantur ad quos ſpectant? Annon illa Scribæ inadvertentia, pluries a Diſſertatore recantata, neſcio quid ſuſpicionis parit in animo?

Nihilo ſolidior eſt, & tranquillandæ omnino conſcientiæ idonea magis pars reſponſionis altera, 1. Quia non ita facile concipitur Rymerum, virum Proteſtantem, ac notæ tum probitatis, tum & in inveſtigandis Actis omnibus ſolertiæ, phraſim unam, Anglicanæ cauſſæ noxiam, Acto graviſſimi momenti inſeruiſſe, atque Manuſcripto ſuo inſertam, & ex eo typis datam legiſſe & relegiſse, nec emendaviſſe; 2. Quia quod in Actis illis legit Rymerus, idipſum diu antea legerunt Heylinus & Baker, quorum prior teſtatur, ſe tres tantum, primo Eliſabethæ anno, detexiſſe Epiſcopos Proteſtantes, qui omnes juxta novum Eduardi VI. ritum ordinati fuerunt, quo ritu cum ex omnium confeſso ordinatus non fuerit Barlovvius, qui tamen *Proteſtantiſſimus* erat, certum videtur eum tunc temporis ne a ſuis quidem habitum fuiſse pro Epiſcopo. Poſterior vero, qui tanta ſollicitudine omnia indagavit, ut ſcribat, Chronicum ſuum, etiamſi univerſa Angliæ regiſtra & monumenta forte diſpereant, horum vices ſuppleturum eſse, narrat ad ann. 1559. pag. 351. Parkerium, poſtquam conſecratus eſt, octodecim alios & in his Barlovvium conſecraſse; adeo ut non ægre quis ſuſpicetur miſeros illos ſacræ Ordinationis deriſores, mutuam ſibi inaugurationem præſtitiſse. 3. Eſto Actum ut nunc eſt, conſecrandi Barlovvii juſſionem non importet, unde conſtabit Eccleſiæ illud, præſertim ſi ut Regiſtrum Parkerii, volantibus carthis inſcriptum ſit, non fuiſse in gratiam cauſsæ communis immutatum? Certe non adeo inacceſsa eſt Turris Londinenſis, ut omnem fraudi aditum præcludat; cum ipſis etiam privatis Acta ejus quandoque liceat perſcrutari; quod & obtinuit recens ille Scriptor, cujus actoritate gloriatur Diſsertator, quemque fœdiſſimum eſse calumniatorem probat Fenellus, hæc ipſius contra Catholicos in carceribus ſub Eliſabetha verba retorquens: *Cujus perfidia, infinitis exemplis manifeſtata, id efficit, ut nec in minima re ejus teſtimonium ullius ponderis haberi debeat.* 4. Ex eo quod vox *conſecrare* appareat in Actis ubi neceſsaria non eſt, deſit vero in iis ubi neceſsaria foret, ſequitur equidem hanc perperam inſeri potuiſse Acto quod nunc expendimus: non autem hanc ei de facto perperam inſertam fuiſse: neque enim fiunt quæcumque fieri poſsunt. Certe nullum hujuſmodi defectus occurrit exemplum per totos primos duodecim annos Regni Eliſabeth; mirumque quod talis error ſupponatur contigiſse jam ab initio, cum Miniſterium gererent Crookbach, Cecill & Bacon, viri, ſi qui umquam extiterint, in arte ſua periti. Sed & mirum quod Parkerius apud Aulam Regiam omnipotentis, nec inſcius ſe ſuaque omnia a Catholicis ſedulo obſervari, Actum illud reformari non curaverit, &c. Vide Fannell, p. 264. & ſeq. & qui calamum ejus dure intemperantem averſaberis, rationes & momenta perpende. 94

Quod autem argumentis in gratiam conſecrationis Barlovvianę propoſitis, nec inepte omnino, nec improbabiliter ſatisfiat, patebit 95

bit ex modo dicendis. Ea tamen ante ſolvi par eſt, quæ ad Parkerium pertinent.

Solvuntur objectiones in gratiam Parkerii propoſitæ.

96 Obj. 1. Ille revera conſecratus eſt, quem conſecratum eſse declarant, tum Auctores Coætanei, tum Parckerius uterque, pater & filius, tum & conſecrationis ejus Actum, contra quod ſolidi nihil objici poteſt. Atqui Parkerium in Palatio Lambethano conſecratum eſse declarant, 1. Auctores coævi, & in his Cambden (ſupra n. 7.) 2. Parkerius ipſe in diario vitæ ſuæ, quod a Strypeo publici juris factum eſt; 3. Parkerii filius, &c. (ibid. pag. 520.) 4. legitimum ejuſdem conſecrationis inſtrumentum, de quo ſupra n. 7.

97 Reſp. 1. neg. maj. qua parte ſpectat, ſeu Cambdenum, ſeu Parkerium utrumque. Præterquam enim Cambden, qui Annales Eliſabeth ſcripſit an. 1615. non admodum Parkerii coævus dici poteſt, non is eſt ille qui in præſenti cauſsa fidem mereatur plurimam, 1. quia Auctor *Nullitatis Cleri Prælatici Angliæ* teſtatur ſibi certo compertum eſse, quod Cambden, ne quibuſdam diſplicerer, multa ſibi cognita reticuerit: ea porro reticuit indubie quæ Catholicis faverent. 2. Quia multa ſcripſit falſiſſima; & in his iſtud præſertim, quod Eliſabetha cum Catholicis Epiſcopis *ſuprematiæ* juramentum recuſantibus egerit humaniſſime, eoſque, demptis ſolum Bonnero, Vvittho, & Vvatſono, ſuis e carceribus, poſt brevem temporis moram eduxerit, ita ut pacifice omnes in lectulo ſuo mortui ſint; & cum eis Fechnam Abbas Vveſtmonaſterienſis; prout & ſcripſerunt Heylin, Burnet & Collier. Atqui tamen ex Stapletonio, tunc vivente, & omnium gnaro, Tonſtallus in carcere obierat, languebat Fechnam in ergaſtulo an. 1565. & dum adverſus Hornium ſcribebat Stapleton, id eſt, an. 1566. *reliqui tam pii Epiſcopi in carcere* detinebantur: Quin nec rupta erant eorumdem vincula an. 1568. quo tempore ſcripſit Hardingus contra Jevvel, arteſque ejus, dolos & mendacia omnium oculis ſubjecit. Ergo ſi fidem aliquam meretur Cambdenus, haud certe plenam illam meretur, quæ in re tam gravis momenti neceſsaria ſit. 3. Quia ſtudioſus Sectæ ſuæ vindex Cambden totis ulnis Lambethanæ ceremoniæ hiſtoriam, duobus antea annis a Maſsonio ventilatam amplecti debuit; ne periret regnum Satanæ in capitali puncto adverſus ſemetipſum diviſi. Quid ergo mirum ſi in idem conſpiret? Quid non mirum, ſi forte ab eo diſsentiret. Vide P. le Quien, Tom. 1. Nullitatis, pag. 419.

98 Nihilo validius urget teſtimonium utriuſque Parkerii, 1. quia ſerius productum ſit, & ſtatim ut prodiit, rejectum a Catholicis; 2. quia profluat a manu doli & vanæ gloriæ ſuſpecta; doli quidem, cum eum vel ipſi Proteſtantes redarguerint, quod in Antiquitatibus Eccleſiæ Britannicæ e variis Libris capita quædam Univerſitati Oxonienſi faventia ſuppreſserit, quædam corruperit. (Le Quien, Tom. 1. Nullit. 2. demonſt. p. 198.) Vanæ gloriæ; quia Parkerii, ſeu patris, ſeu filii ſummopere intererat, ut pro legitimo Paſtore, non pro intruſo haberetur. Unde eo modo conſecrationem ſuam teſtatus eſt, quomodo

do nobilitatem ſuam teſtatam eſſe voluit; cum tamen juxta Scriptores hujus temporis duos, e vili Artifice oriundus eſſet (idem ib. pag. 197.) 3. Quia ſi conditionate baptizatur infans expoſitus, qui teſtem baptiſmatis ſui ſchedulam gerit: quidni conditionate ordinetur, qui ſolam Ordinis primitus legitime ſuſcepti teſtificationem habet a Parkerio (in his enim uterque Parkerius perſonam unam conſtituit: cum a patre reſcierit filius id quod ſcripſiſſe perhibetur) eſt quidem Baptiſmi inter & Ordinationis teſtimonium nonnihil diſcriminis: at in eo præcipue, quod ſchedula Baptiſmi index ſit ab ignoto quopiam; contra vero Parkerii teſtimonium ſit ab homine, qui Sacerdotio ſuo renuntiaverat pro viribus, qui Eliſabethæ inſtitutor eam flexit ad ſchiſma, qui cœlibatus hoſtis contra Eccleſiæ Leges uxorem duxit, quam contra ipſius Eliſabethæ Leges ſervavit conſtanter. Ergo ſexcenta id genus Acta, niſi certis aliis atque invictis fulciantur, pulvere quidem oculos obruunt, ſed reapſe nihil probant, nedum certi quid demonſtrent.

Reſp. 2. neg. min. quatenus Actum Parkerianæ conſecrationis reſpicit. Actum enim quod graves ac plurimos ſpurii partus caracteres habet, fidem indubiam facere non poteſt. Atqui Actum Lambethenſe, ſeu potius Relatio hiſtorica &c. Vide ſupra, n. 51. & ſeq. 99

Inſt. Actum quod auctoritas publica certum eſſe declarat, quodque Actis ejuſdem ævi indubiis omnino congruit, fidem indubiam parere debet, niſi Acta Orbis univerſi omnia in dubium revocare placeat, & exitialem Pirrhoniſmum invehere. Atqui Actum Lambethenſe 100

1. Certum declaratur auctoritate publica, non una, ſed multiplici: 101
geminam referre plus ſatis fuerit. Prior ſic habet: *Concordat cum originali in Bibliotheca Collegii Corporis Chriſti apud Cantabrigenſes. Ita teſtor Matth. Vvbirin, Notarius publicus, & Academiæ Cantabrigenſi Regiſtrarius principalis. Januarii* 8. 1674. Poſterior legalizatio ex Anglico ſermone his verbis Gallice reddita eſt: *A Cambrigde le 11. Janvier 1674. Nous ſouſſignès apres avoir vu l' original de cet Acte, & en avoir examinè le ſeing, & tout ce qui peut faire juger de ſa ſincèritè, dèclarons que nous ſommes entierement perſuadès que cet Erit eſt le vrai Procès verbal de la conſècration de l' Archeveque Parker, auſſi ancien que le porte la date. En foi de quoi nous avons ſignè les jour & an que deſſus. Hen. Paman. Orat. public. Henri More D. D. Ra Vvidrington S. T. D. & D. Marg. P.* apud Courayer, inter probationes juſtificativas, pag. LXIV. & LXV.

2. Idem Actum aliis nec dubiis ejuſdem ævi monumentis egregie 102
conſonat. Siquidem Liber cui titulus, *Antiquitates Eccleſiæ Britannicæ*, in quo Epiſcoporum 70. Cantuarienſium, adeoque & ipſius Parkerii, qui horum erat LXX. vitæ continentur, hæc habet totidem verbis. *Anno itaque Domini* 1559. Matth. Parker *Cantuarienſis Epiſcopus electus eſt a Decano & Capitulo Eccleſiæ Metropoliticæ Cantuarienſis, poſteaque eodem anno,* 17. *die Decembris, adhibitis quatuor Epiſcopis, Vvillielmo Ciceſtrenſi, Johanne Herefordienſi, Milone quondam Exonenſi, & Richardo Bedfordienſi, lege quadam hac de re lata requiſitis, conſecratus eſt*: & hæc ad marginem legitur nota: *Hæ confirmationes & conſecrationes in Regiſtris apparent*. Et in tabula ſeu indice ad calcem Operis leguntur hæc verba: *Matth. Parker, Th. D. Presb. ſæcularis Norvic. æt.* 56. *conſec.* 1559. *Decemb.* 17.

Atqui ex eo textu invicte probatur Lambethana Parkerii Conſecratio; cum & textus authenticus ſit, ut patet ex Operis hujus exemplaribus, quæ ad minus viginti & unum in Anglia ſuperſunt; & in lucem cum Opere prodierit an. 1572. tribus proinde annis ante mortem Parkerii; & a nemine tunc temporis, in eo quod ſpectat ad conſecrationem, impugnatum fuerit: Qui enim ei notas Parkerio injurioſas adjecit Puritanus, plane intactum reliquit conſecrationis articulum, quem proinde efficaciter confirmat. Ergo.

103 Reſp. diſt. min. Auctoritas publica certum declarat, id eſt declarat certo exiſtere Actum Lambethanum, idque ſatis male, C. Certum declarat, id eſt declarat veritatem rei per Actum illud enuntiatæ, N. Itaque teſtantur Notarii exiſtere Acta duo, quæ Parkerium Lambethi conſecratum eſſe referunt. At conſecrationem hanc de facto peractam eſſe, prout in his Actis refertur, nec teſtantur, nec teſtari poſſunt; quia ea res eſt facti, quæ ut vere, ſic & mendaciter Acto in privatis ſcriniis furtim abſcondito inſcribi potuit. Quapropter ſicut nemo dubitat quin vere exiſtant innumera Monumenta, quæ tamen, non a Pyrrhonianis modo, ſed & ab eruditis falſum enuntiare judicantur, cum id feriæ cauſſæ poſtulant; ſic & falſum cenſeri poteſt, id quod in Relatione Lambethana & Cantabrigienſi narratur, ſi graves id cauſſæ requirant. Atqui ex dictis graves ſunt cauſſæ, quæ ſi non evidenter, ac ſaltem dubie indicant, Relationem hanc a mendaci viro mendaciter fabricatam eſſe, & ideo nonniſi fidis amicis concreditam, donec opportuno tempore in gratiam Epiſcopatus Anglicani, & in honorem Parkeriani nominis prodire poſſet. Ergo. Vide eumd. n. 51. & ſeq.

Dixi: *idque ſatis male*. Siquidem Matth. Vvhinn teſtatur indiſtincte, adeoque generatim & in omnibus Actum Cantuarienſe cum originali concordare. Atqui tamen aliud ab alio in punctis plus quam viginti diſcrepat. Sunt hæc quidem minuta & exilia, ſed tamen ab homine ſincero animadvertenda. Quamquam grave ſatis diſcrimen deprehendi poſſit in hac utraque phraſi: I. *His peractis per Occidentalem portam Sacellum egreditur* * *Archiepiſcopus generoſioribus quibuſque ſanguine ex ejus familia eum præcedentibus*. II. *His peractis ... Sacellum egreditur Epiſcopus generoſioribus quibuſque ſanguine & ex ejus familia eum præcedentibus*. Prior enim hominem nobili ſanguine ortum palam indicat. Ambigua poſterior ſic intelligi poteſt ut Parkerium præcederent nobiles & ipſius conſanguinei, ſuo quiſque ordine, nobiles primum, ſubinde conſanguinei.

104 Neque accuratior eſt Anglica legaliſatio. Hujus enim Auctores fidem faciunt, ſibi poſt lectum Acti hujus originale, inſpectumque chirographum, perſuaſum omnino eſſe, quod Actum illud & ipſiſſimus ſit verbalis proceſſus Archipræſulis Parkerii, & ejuſdem Antiquitatis quæ per datam ſeu adſcriptam diem exprimitur. Atqui hæc pene ad ſtuporem ridicula ſunt; 1. enim Actum illud, nec formam, nec ſpeciem ullam habet proceſſus verbalis, ſed Relationis meræ, quo eam nomine donat Courayerus in Diſſertationis defenſione; circa quod relege n. 79.

* Pro *egreditur e Sacello*; barbara hæc latinitas neſcio quid mali portendit.

n. 79. 2. Nec ullo chyrographo, ſeu teſtium ſubſcriptione munita eſt, ſed his quæ præteritum tempus denotant, concluditur verbis: *Acta, geſtaque hæc erant omnia in præſentia Reverend. Epiſcoporum Edmundi Grindall, Lond. Epiſcopi electi, Ricardi Cockes Elienſis electi, Edvvini Sandel Vvigorn. electi, Anthonii Huſe Armigeri principalis, & primarii Regiſtrarii dicti Archiepiſcopi, Thomæ Argall Armigeri Regiſtrarii Curiæ prærogativæ Cantuarienſis, Thomæ Vvillet & Joh. Incent Notariorum publicorum, & aliorum quoque nonnullorum*. Hic autem neque Conſecrator, neque Conſecratus, nec ulli eorum coram quibus hæc acta, geſtaque fuiſſe dicuntur, ſubſcribunt magis, quam & *alii* illi *nonnulli*, qui cæremoniæ interfuiſſe dicuntur. Hæc quidem obſervatio ſcrupulum injicere poteſt, circa alia quædam Acta, ſeu Crammeriana, ſeu Parkeriana. Verum hæc ſolvant ii quorum ſolvere intereſt. Interim mirari licet, Primatis Anglicani conſecrationem, Londini celebratam, paucos adeo teſtes habuiſſe, ut poſt recenſitos ſeptem, ceteri *nonnullorum* vocabulo exprimantur. Sed & mirum, quod inter teſtes non occurrat Carolus Hovvard, Comes de Nottinghamia, & ſummus rei Anglorum maritimæ Præfectus, ſeu Amiralis primarius, quem Maſſon eo conveniſſe fabulatur, ut conſanguinei ſui conſecrationi intereſſet. Apage nugas. Fuerit Parker ex infima plebe, nobilis fuit, ſi vir ſumme probus: ſin contra, plebeius, ac plebeio deterior.

Quod ſpectat ad Librum de Antiquitatibus Eccleſiæ Britannicæ, 105
omiſſa ſolutione Harduini, aliquando equidem, ſed docte ſemper & ingenioſe deliri, qui contentam in eodem Libro Vitam Parkerii, Puritani in ipſam notas, Cujacii de eo teſtimonium (quod ultimum caput ſolertiſſime demonſtrat,) aliaque id genus ſpuria vel inſigniter adulterata eſſe contendit; hac, inquam, omiſſa ſolutione, quæ nos in immenſum trahat: Reſp. ex eo Libro nihil contra nos, quin & forte contra adverſarios aliquid inferri poſſe. Ad id nimirum tria ſufficiunt, 1. ut facta ibidem Parkerianæ inaugurationis Relatio Relationi e Cantuarienſi Regiſtro depromptæ in multis non obſcure contradicat; 2. ut eadem Relatio non aliam habeat auctoritatem, quam Parkerii ipſius, teſtis in propria cauſſa legitime ſuſpecti; 3. demum ut quæ Relationem hanc continet Parkerii vita, opus ſit tenebroſum, & Catholicis perinde ac Hæreticis, dempto tamen aliquali fidorum amicorum numero, prorſus ignotum. Atqui tria hæc conſtant, aut ſaltem, quod centies repetiiſſe non pigebit, admodum veriſimilia ſunt.

Et quidem 1. prolixior illa Parkerii Vita conſecrationem ejus alio mo- 106
do enarrat, quam Regiſtrum Cantuarienſe. Si quidem 1. in iſto Regiſtro nulla facta legitur Parkerii inthroniſatio per Epiſcopos quatuor; immo, non quidem in relatione, de qua ſuperius, ſed in Cartha Regiſtri Lambethenſis, inthroniſatio per Procuratorem facta dicitur. Contra vero in Vita Parkerii inthroniſatio per Epiſcopos quatuor facta perhibetur. 2. in Regiſtro concio a Scoreo habita præcedit cæremoniam conſecrationis: at in Vita concio ſubſequitur conſecrationem & inſtallationem. 3. Juxta Relationem, *nonnulli* ſolum, id eſt pauci cæremoniæ interfuerunt, & nemo præter Epiſcopos communionem recepiſ-

ſe legitur. Contra autem in Vita prolixiori legitur Euchariſtiam *a frequenti graviſſimorum hominum cœtu* perceptam fuiſſe. At quo pacto *frequens*, id eſt maximus hominum cœtus Euchariſtiam recipere potuit in loco, ubi *nonnulli* tantum interfuiſſe dicuntur a *Relatore*, qui quam potuit maximam cæremoniæ ejus ſpeciem exhibet; immo ubi pauci intereſſe poterant, tum propter incommodam matutini temporis horam, tum propter immenſam, quæ timeri debebat, Catholicorum multitudinem. Vide Patrem le Quien in addition. ad calcem Tomi 1. Nullit. pag. 1v. & ſeq. & Tom. 1. Nullitatis ſecundo demonſtratæ, p. 270. & ſeq.

107 2. Narratio quam ſubjicit prolixior Parkerii vita, non aliam habet quam ipſius Parkerii auctoritatem; cum hæc vel ab eo ſcripta ſit, ut volunt plures; vel a Sacellano ejus, cognomine Joſcelin, qui hanc ſub Parkerii oculis conſcripſit, eique ipſam in Præfationis fine affingere videtur. Quid mirum porro ſi Parkerius poſt objectum publice Hornio conſecrationis defectum, nervos omnes per ſe, ac per familiares domeſticos intenderit, ut ſaltem in poſterum rumores illos novæ Sectæ fatales per monumenta opportuno tempore in lucem preditura compeſceret? Non fuit profector vir intactæ fidei Parkerius; cum & S. Auguſtinum, alioſque Anglicanæ Eccleſiæ Fundatores ſacrilege calumnietur; & commiſſa ab eo in Antiquitatibus Eccleſiæ Britannicæ menda centies caſtiget Vvarthon. in Anglia Sacra, & ipſi dolum ac fraudem exprobraverint ipſi Proteſtantes, uti videris apud le Quien, ibid. pag. 198. &c. Adde quod vel a prima linea indigne mentitur, cum ſe *a Decano & Capitulo* Cantuarienſis Eccleſiæ electum eſſe dicit. Neque enim Decanus nomine Vvotton, treſque vel quatuor Canonici, qui, ejurata ſollemniter Fide, Parkerium elegerunt, numeroſiſſimæ Cantuarienſis Eccleſiæ Capitulum conſtituebant.

108 3. Denique iſta hæc Parkerii vita opus eſt noctis & tenebrarum, cujus pauciſſima quæ typis mandata ſunt exemplaria, pauciſſimis quoque ac fidis amicis, id eſt novam Sectam per fas & nefas promovere paratiſſimis, concredita ſunt. Unde tanta hujus Operis raritas in Anglia, ut nonniſi ſummo labore quædam ejus exemplaria reperiri potuerint; quæ nec Catholicis, nec ipſis Proteſtantibus cognita fuere; cum Relationem in ea vita contentam Stapletonio, Campiano, Dureyo, Kelliſon, ceteriſque Rom. Eccleſiæ defenſoribus nuſquam objecerint Vvitakerus, Sutcliff, Bulterus & alii Proteſtantis cauſſæ vindices. Adi le Quien, Tom. 1. Nullit. ad calcem, pag. x1. qui etiam, Tom. 1. Nullit. ſecundo demonſt. affixas hiſce libris annorum epochas recentiores eſſe probat quam crediderit Diſsertator.

109 Quod ſpectat ad notam iſtam marginalem: *Hæ Confirmationes & Conſecrationes in Regiſtris apparent;* nemo eſt qui ſtatim non animadvertat eam, utpote evidenter affectatam, plus Anglicanis Ordinationibus nocere, quam proſit. Ecquis Ill. Guill. Vintimilii Conſecrationem referens, ſanus ad marginem ſcribat: *Hæc Conſecratio in Regiſtris apparet*; quaſi pro recentibus, notoriiſque & indubiis factis, ut eſse volunt Parkerii Conſecrationem, ad Regiſtra remittatur. Ergo hic, ut alibi pluries, *Nimia cautio dolus*. Ceterum adjecta hæc furtim notula, ne in omnibus quidem paucis illis exemplaribus occurrit,

rit, de quibus ſupra dictum eſt; cum eam Miniſter Stephens in Originali exemplari non invenerit. Adde quod ſimul cum Vita cui inhæret, ad tenebras damnata eſſet, donec hinc ſibi emergere liceret, poſt eorum omnium mortem, qui contra fabulam, ut corvi teſtes, inſurgere potuiſſent. V. le Quien, Null. 2do. dem. Tom. 1. pag. 286. &c.

Inſt. 2. ſaltem brevior Parkerii Vita in publicam omnium lucem 110
edita eſt a Puritano cum notis Parkerio admodum injurioſis. Atqui brevior iſthæc Vita non inthronizationem Parkerii ſolam recenſet, ſed & ejus legitimam Conſecrationem his verbis refert: *Ad ultimum* petierunt omnes, *ut manus illi impoſita maxime cedat ad Dei gloriam*, &c.

Reſp. 1. Vitam a Puritano editam eo uſque raram fuiſſe, ut li- 111
cet ſub finem vitæ Parkerii edita videatur *, a nemine tunc temporis Catholico vel Acatholico cognita fuerit & citata: ſive hæc quiſquilias inter amandata ſit; ſeu ab Auctore ipſo, quantum fieri potuit, ſuppreſſa ex metu Eliſabethæ, quæ Parkerio ſemper fuit devotiſſima; ſeu aliis de cauſſis, quæ poſt diuturnum adeo tempus detegi jam non poſſint. Hinc unum duntaxat ejus exemplar in Gallia detegere potuit Pater le Quien, e Seignelaca Bibliotheca nunc ad Regiam tranſmiſſum: ut monet ipſe in addit. ad Tom. 1. *Nullitatis*, pag. VI. & VII.

Reſp. 2. neg. min. Objecta enim verba non e breviori illa vita 112
quam dedit Puritanus, deprompta ſunt, ſed ex prolixiori Latina, quæ, ut dictum eſt, tenebris addicta erat, donec poſt certum tempus luci tandem committi poſſet. Ubi ergo bona fides Diſſertatoris? Certe fatetur ipſe diem Conſecrationis Parkerii in brevioris hujus vitæ textu deeſſe, tantumque ad marginem reperiri. Vide Nullit. 2do. demonſt. Tom. 1. pag. 286. Quin & Vita brevior commemorat quidem inſtallationem Parkerii (aliter quam in Regiſtro commemoratur, ut dixi num. 106.) at Conſecrationem ejus nitide & aperte non exhibet. Uno verbo quidquid e Regiſtris, & ex utraque Parkerii Vita eruitur, ambages, tenebras & contradictionem ſapit atque redolet.

Obj. 2. admittenda eſt Lambethana Ordinatio, vel Cauponaria. 113
Atqui hæc anilem fabellam plenis faucibus eructat, 1. quia plena eſt contradictionum. Supponit enim Parkerum, ejuſque Socios, Ordinationem, uti ſuperſtitioſum ritum declinaſſe, & tamen quidquid penes ſe fuit effeciſſe, ut pro vere Ordinatis haberentur. Hæc autem tam diſcrepantia quis conciliare valeat? 2. quia huc recurrunt gravia momenta, quæ ſupra nu. 13. 14. & ſeq. ex Diſſertatore recenſui; quæque nullo ingenii acumine ſubverti poſſunt.

R. ad 1. pmo. neg. maj. fieri enim potuit ut Ordinatio Cauponaria 114
ex

* Scribit Diſſertator Latinam brevem Vitam, quam Anglice vertit Puritanus, jam ab ann. 1569. compoſitam fuiſſe, cum hujus anni *datam* exhibeat exemplar originale. Verum datam hanc, ſi exhibeat tempus quo Vita hæc finita ſit & perfecta, falſam omnino eſſe probat P. le Quien: cum in ea ſermo ſit de Anglicis illis Bibliis quæ *Epiſcoporum* dicuntur, quia a Parkerio & quibuſdam ejus in ficto Epiſcopatu Collegis, elaborata fuere: hæc autem nonniſi an. 1573. prodierint. Vide *nullitatem* 2do. *demonſtratam*, pag. 276. & ſeq.

ex levioribus conjecturis credita ſit a Champnejo; & Ordinatio Lambethenſis ad aſſerendam Angliæ qualemcumque Epiſcopatus umbram primum in tenebris efficta fuerit, deinde temporis lapſu, extinctis jam Catholicis omnibus qui reclamare potuiſſent, in vulgus mendaciter ſparſa. Immo non deſunt qui utramque, Cauponæ ſcilicet & Lambethani Palatii hiſtoriam conciliari poſſe credant; ita ut Parkerius in hoſpitio id omne receperit quod ad Epiſcopalem gradum ſufficere exiſtimabat, id eſt pene nihil præter Mandatum Regium; in Fano autem Lambethano, ſummo mane, & coram *nonnullis* tantum, iiſque fidis teſtibus intronifatus fuerit; prout fert ipſius Vita.

115 Reſp. 2. neg. min. Etſi enim Cauponaria hiſtoria ſuis obnoxia eſt difficultatibus, ut & aliæ id genus hiſtoriæ complures; non tamen tantis ut probabiliter ſolvi nequeant.

1. Enim nihil mirum ſi homines qui quemcumque Ordinationis ritum, uti ſuperſtitioſum exhorrebant, eundem pro viribus effugerint: ſed neque mirum ſi iidem continuis Catholicorum & Puritanorum clamoribus vexati, æquivoce aliquando ſubindicaverint ſe fuiſſe ordinatos. Annon ſæpe ſæpius mentitur iniquitas ſibi, immo & mentiri cogitur? Utique non magis mirum eſt quod Parkerius, etſi vere non conſecratus, pro conſecrato haberi voluerit, quam mirum ſit quod fervente Decii perſecutione multi qui Idolis numquam ſacrificaverant, iiſdem ſacrificaſſe cenſeri voluerint.

116. 2. Nec magis urgent momenta, quæ Diſſertatori adeo gravia videntur.

117 Non primum ſupra nu. 13. Nihil enim frequentius, quam ut qui profundiores latebras quærunt, deprehendantur in latebris. Nec difficile fuit ut Thomas Neal, favente ſeu Tabernario, ſeu famulo quopiam Aſſavenſis Epiſcopi, in angulo quopiam locatus fuerit, unde ea omnia perſpiceret, nec ipſe, ſaltem a ſuſpectis perſpiceretur. Interim viro ſagaci ac probo dicenti ſe vidiſſe, male reſpondetur: *Videre non potuiſti*.

118. Non ſecundum (ſupra n.14.) potuit enim Parkerius exiſtimare futurum ut Landavenſis Epiſcopus, qui eo uſque jam imbellis fuerat, ut Suprematus Juramentum præſtaret, id omne in nova Conſecratione faceret, quod ab eo fieri peroptarent novi Pſeudoantiſtites. Mirum ſane quod bonus ſenex, neque timori, neque precibus ceſſerit: moris eſt enim ut qui jam fede lapſi ſunt, fœdius labantur; licet aliquando, inſtat D. Petri ex lapſu firmiores evadant.

119 Non tertium (ſup. n.15.) Neque enim quia qui primum fulmen impavide tulit Diſſertator, ſecundum non illubens ferat; ideo qui primam excommunicationem incurrerat Epiſcopus Landavenſis, ſecundam ſtatim aſpernari debuit. Nihil profecto dubii eſt quin & amici ejus & conſcientia ipſa ſuum ei primum ſcelus ſæpe exprobraverint: potuit igitur ſcelus alterum horreſcere, & ab eo ſibi cavere. Præterea eſto non multum ſperaret Bonnerus fore ut a novo crimine per cenſuræ metum deterreretur Epiſcopus Landavenſis: annon hanc idcirco comminari debuit? debuit Sane; tum quia contra ſpem ſperat Caritas; tum quia id unum timet ne officio ſuo deſit.

120 Non 4. (ibid. n.16.) tum quia Regiſtrum Cranmneri non in uno capi-

capite vitioſum eſt; adeoque per ſe ſolum nihil probat; cum mendaci, nequidem verum dicenti fides habeatur; tum quia Scoryum numquam conſecratum fuiſſe, quo tempore in Cranmeri Regiſtro conſecratus fuiſſe ſupponitur, gravia ſuadent momenta, de quibus, ne unicæ, tandemque faſtidioſæ quæſtioni diutius immoremur, conſule tum Harduinum in quæſtione facti, p. 193. & ſeq. tum P. le Quien in Nullitate ſecundo demonſtrata, pag. 239. &c.

Solvuntur momenta in gratiam ordinationis Barlovvi congeſta.

Obj. illius Conſecratio tamquam indubia haberi debet, quem ſub 121
Henrico VIII. adeoque ſecundum Leges Pontificalis Romani conſecratum fuiſſe probant, tum poſitiva Anglorum minime ſuſpectorum teſtimonia, tum Epiſcopales actus ab eodem palam factitati, tum & ipſum factionis eidem oppoſitæ ſilentium, quæ licet ei multa objecerit, numquam Conſecrationis defectum objecit. Atqui conſecrationem Barlovvii probant.

1. Poſitiva Anglorum teſtimonia; præſertim vero doctiſſimi Vvar- 122
thon, ſupra nu. 18. Nepotis Barlovvii, eo ſuſpecti minus, quod & Catholicus foret, nec propatruo ſuo pepercerit; ac demum Mariæ Reginæ, (ibid. nu.22. & 23.)

2. Epiſcopales actus a Barlovvio palam exerciti; puta quod inter 123
Regni Pares in Parlamento pluries ſederit; quod ante Epiſcopos indubie conſecratos ſubſcripſerit; quod an. 154½. unus fuerit ex Conſecratoribus Arthurii Bulkelei. (ſupra nu.19. 20. & 21.)

3. Nuſquam vel Catholici vel Puritani defectum Conſecrationis 124
Barlovvio objecere, millies dubio procul objecturi, ſi vel tantillum probabile fuiſſet, eumdem non fuiſſe conſecratum.

R. ad 1. neg. min. & dico Barlovvii Ordinationem ad ſummum 125
probabiliter ſuaderi per rationes ſtatim objectas; ſed non adeo efficaciter demonſtrari, ut omnis tollatur dubii legitimi radix; quod tamen, uti pluries monuimus, in re tanti momenti omnino neceſſarium eſt.

1. Enim teſtatur quidem Vvarthonius Barlovium a Capitulo Aſſa- 126
venſi electum fuiſſe, & a Crannero confirmatum: Aſt eumdem fuiſſe conſecratum ne uno quidem verbo indicat: quod ſatis grave eſt præjudicium.

Neque obſtat Lex *præmunire*, cui multum innititur Diſſertator: Hæc 127
enim non ſpectat ad Epiſcopos electos, quaſi poſt dies viginti conſecrari teneantur; ſed ad ipſos Conſecrantes, quos, quia ex iis multi Sedi Apoſtolicæ clam adhærerent, cogere voluit Henricus VIII. ut novis Epiſcopis manus imponerent ante receptas, pro more antiquo, Rom. Pontificis Bullas. Juxta hanc Legem conqueri poterant Epiſcopi nominati de Epiſcopo iiſdem manus imponere recuſante; ſi manus ſibi quamprimum imponi deſiderabant. At ſi de recipienda Ordinatione parum vel nihil erant ſolliciti, non erat cur Epiſcopus a Rege in Conſecratorem deſignatus redargui poſſet. Jam vero non is erat Barlovvius, qui ad Conſecrationem feſtinaret; cum tam ipſe, quam ipſius Metropolita Cranmerus, atque etiam Laicus Cromvvel, Generalis Regni

Vica-

Vicarius, Ordinationem & Rituale Romanum, veluti Opus ſuperſtitiotionis plenum, deteſtarentur. Ergo facile eludi potuit Ordinatio, præſertim ob itinera Barlovvii in Scotiam. Certe hoc anno 1536. Epiſcopi nonnulli jam in antiquæ Fidei ruinam unanimibus votis conſpiraverant: nec ab ea tantum abhorrebat Henricus VIII. quantum videbatur. Facile igitur eidem perſuaderi, facile etiam fingere potuit ſibi perſuaſum eſſe, factam eſſe Ordinationem, quæ reapſe peracta non erat. Immo facile eludi potuerunt quantulæ Henrici inquiſitiones, prout eas alio in capite eluſerunt Barlovvius & Cranmer, uxores ſuas ſervando contra vetitum Regis, qui dubio procul id reſcivit ab inimicis utriuſque, & ob neceſſarias ſibi utriuſque operas diſſimulavit V. le Quien, Tom. 1. pag. 489.

128 Quod ſpectat ad teſtimonium Pronepotis Barlovvii, omiſſa ſolutione Harduini, qui teſtificationem hanc ab impoſtore aliquo ad aſſerendam Barlovvii Conſecrationem impudenter fabricatam eſſe contendit: R. Nepotem Barlovvii, qui propatrui ſui Ordinationem ſcriptis mandavit, circa an. 1624. aut ſerius, adeoque ferme centenarius, Ordinationem hanc non referre uti teſtem ejus oculatum: neque vero infans decennio minor, Conſecrationis umbram a genuina Conſecratione ſecernere potuiſſet. Ergo quidquid refert, ex auditu patrui refert. Non negamus autem Barlovvium pluries de Conſecratione ſua locutum eſſe; at vere locutum negamus. Et vero quæ fides ſecundo huic Barlovvio, qui Conſecrationem conſanguinei ſui referens, neque menſem, neque diem, neque inſtrumentum ejus refert; qui adeo rerum ad Barlovvium ſeniorem ſpectantium imperitus eſt, ut nec nominationem ipſius ad Aſſavenſem Epiſcopatum, nec ejus in Scotiam legationem cognoverit, &c. Ceterum Barlovvianam hanc ſtirpem non unius criminis ream fuiſſe oſtendit P. le Quien, Nullit. ſecundo demonſtratæ, pag. 319.

129 Sed neque Parkerii Ordinatio hinc ſcite probatur, quod Epiſcopalia multa geſſerit; quod inter Pares ſederit in Parlamento, &c. Ad id enim neceſſe non fuit ut vere conſecratus eſſet, ſed *ad ſummum* ut pro Conſecrato haberetur. Fuit autem facillimum ut ex paucorum aliquot amicorum teſtimonio inſtar conſecrati haberetur qui reipſa conſecratus non eſſet. Et vero inſignis ille Apoſtata Latymer, quem *laſcivum ſenem* vocat Stapleton, per annos quatuor, ſub Henrico VIII. habitus eſt pro Epiſcopo Vigornienſi, ſedit cum Regni Paribus in Parlamento, ſubſcripſit in Convocationibus Cleri, ut Antiſtes, interfuit tamquam Epiſcopus aſſiſtens Conſecrationi Epiſcopi alterius, &c. Atqui tamen Latymer, Zuingliano ſpiritu plenus, Conſecrationem effugit. Et id patet, 1. quia Actum Conſecrationis ejus nullibi reperitur; 2. quia cum ſub Maria Regina degradatus eſt, Epiſcopi, qui conditionem ejus & gradum ſerio percunctati fuerant, eum, non ab Epiſcopatu, uti erga Cranmerum fecere, ſed a Presbyteratu ſolo degradaverunt. Ergo fieri potuit, etiam ſub Henrico, ut qui vere Epiſcopus non erat, omnibus Epiſcoporum prærogativis frueretur. Idem evenit Ridleyo, quem qui degradaverunt ſub Maria, nuſquam fuiſſe conſecratum aſſeruerunt; quod & ipſe demum agnoviſſe viſus eſt. Atqui tamen ge-

rebat

rebat ſe pro Epiſcopo Ridleyus. Quin & extat Actum Conſecrationis ejus in Regiſtro Cranmeri, ubi & recenſentur Conſecratores ejus. Ergo quæcumque ad horumce Zuinglianorum Ordinationes pertinent, ſi non doloſa prorſus, at doli & fraudis ſuſpectiſſima merito judicantur.

Dixi *ad ſummum*. Non ægre ſiquidem ex Anglis ipſis probari po- 130
teſt, nullam eſſe in Anglia Legem, quæ expreſſim vetet ne Epiſcopus nondum conſecratus in Parlamento ſedeat. Verum de his quæ novum Volumen exigant, adeatur P. le Quien, in Nullitate, Tom. 1. pag. 508. 510. & alibi paſſim.

Quod addit Diſſertator, nuſquam a Catholicis objectum Barlovvio 131
fuiſſe, quod Epiſcopalia munia exercuiſſet, licet minime Epiſcopus, &c. ut ſupra num. 24. egregie falſum eſt. Siquidem ex ſupra dictis conſtat Hardingum, alioſque Catholicos Doctores palam aſſeruiſſe novos Anglicanæ Sectæ Epiſcopos, *EX PROPRIO IPSORUM CONFESSO*, a nullo qui ab Apoſtolis recta linea deſcenderet, conſecratos fuiſſe. Atqui hinc manifeſte ſequitur, tandem aliquando certo fuiſſe compertum, Barlovvium nihilo plus quam Parkerium & alios reipſa ordinatum fuiſſe. Si enim ſub Henrico VIII. ordinatus eſſet, ut volunt Adverſarii, ordinatus fuiſſet ſecundum Pontificale Romanum, quod nonniſi poſt Henrici mortem ſuppreſſum eſt; adeoque ordinatus eſſet ab aliquo qui recta linea ab Apoſtolis, quantum ad Ordinationem deſcendiſſet.

Et vero ſcribebat an. 1584. Guillelmus Fulke, Doctor Proteſtans, 132
nullos primis Eliſabethæ temporibus extitiſſe Epiſcopos, veteri ritu, id eſt ad Leges Romani Pontificalis ordinatos, præter Catholicos, quos ipſa omnes ejecerat, dempto, qui Supremæatum juraverat, Antonio Kitchin, Landavenſi Epiſcopo. Ergo vel ipſis Anglicanis indubium erat, Barlovvium, juxta Pontificale Romanum conſecratum non fuiſſe. Atqui tamen ſi conſecratus fuiſſet ſub Henrico VIII. ſecundum Pontificale Romanum conſecrari omnino debuiſſet. Ergo neceſſum eſt ut Conſecrationem vir Zuinglianus effugerit; etſi palam jactando ſe conſecratum fuiſſe, aliquibus perſuaſerit ſe reipſa fuiſſe conſecratum: quod tamen omnibus ſub Maria ſedulo inſpectis falſum deprehenſum eſt.

At, inquies, ann. 1554. regnante Maria, Sedes Bathenſis, quæ una 133
erat cum Sede Menevenſi, declarata eſt vacare *per liberam & ſpontaneam reſignationem Vvillel. Barlovv. ultimi Epiſcopi & Paſtoris ejuſdem;* eo quod ſcilicet Barlovvius matrimonium contraxiſſet, ut tradit Regiſtrum Cantuarienſe. Atqui libera reſignatio veram Conſecrationem ſupponit. Adde quod Barlovvii depoſitio non dicitur facta propter Conſecrationis nullitatem, ut dicitur de Epiſcopo Lincolnienſi, ſed propter initum ab eo conjugium. Ergo.

Confirm. ex impiis hiſce Barlovvii verbis: *Si Rex, prout ſupremum* 134
Eccleſiæ Anglicanæ Caput, doctum quem Laicum in Epiſcopum elegiſſet, is citra Ordinationem ullam, non minus Epiſcopus foret, quam ego ſim, aut alius quivis in Anglia Epiſcopus. Ergo vere conſecratus erat Barlovvius, etſi Conſecrationem minime neceſſariam judicaret.

R. ad 1. neg. min. 1. quia ut Barlovvius Beneficium ſuum reſigna- 135
ret,

ret, ſatis erat hinc quidem ut pro Epiſcopo haberetur, inde vero ut Maria contra Barlovvium, & alios Epiſcopos, qui adverſus ipſam non conſpiraverant, *ſummarie* tantum *& de plano*, *& ſine ullo ſtrepitu & figura judicii* procedi voluerit. Atqui ita ſe res habuerunt, ut ſcribit Collier, Tom. 2. p. *363*. Ergo ad intentum Mariæ ſufficiebat reſignatio, id eſt, quod caute notandum, dimiſſio Barlovvi, ſive is reipſa conſecratus eſſet, ſive ſolum haberetur pro conſecrato. Aliud ſane fuiſſet, ſi Barlovvius, ut & alii contra Reginam conſpiratores Epiſcopi, ultimo ſupplicio afficiendus fuiſſet: tunc enim vera aut ſuppoſita ejus Conſecratio, penitus fuiſſet examinata, ut intelligeretur an a Presbyteratu ſolo, an etiam ab Epiſcopatu fuiſſet degradandus.

136 Nec obeſt quod coacta Barlovvii reſignatio in ſolum ejus matrimonium refundatur. Sicut enim ex eo quod Maria ſolum ejus matrimonium eidem objecerit, colligi non poteſt, quod ei Zuinglianam hæreſim objicere non potuiſſet; ſic nec colligi poteſt, quod eidem defectum conſecrationis objicere non potuiſſet, ſi cauſſam ejus plene & non *ſummarie* tantum inveſtigari voluiſſet.

137 Confirm. Certum eſt Epiſcopos qui ſecundum Eduardi Rituale conſecrati fuerant, pro invalide conſecratis habitos fuiſſe, tum a Maria, tum & a Parlamento ipſius. Atqui tamen perinde ac Barlovvius ſimpliciter dicuntur Epiſcopi in nominatione eorum qui ipſis ſucceſſerunt; eorumque Sedes vacare dicitur per deprivationem N. ultimi ejuſdem Epiſcopi. Quin & in Sententia adverſus eos lata, licet eos Regina gravium criminum reos eſſe declaret, tamen nec Zuinglianam hæreſim, nec aliud in ſpecie ſcelus objicit, quam quod *poſt expreſſam profeſſionem caſtitatis expreſſe, rite & legitime emiſſam, cum quibuſdam mulieribus nuptias* ſacrilege & ſcandaloſe *contraxerint*. Ergo pari jure non ideo Barlovvius cenſeri debet conſecratus fuiſſe, quia ſimpliciter renuntiatur Epiſcopus, nec aliam ſubit quam ſcandaloſi matrimonii accuſationem.

138 Ad confirm. non magis ex objecta Barlovvii voce colligi poteſt, eum vere conſecratum fuiſſe, quam colligi poſſit novos quoſdam homines vere eſſe ex nobili proſapia, quia quotidie dicant: *Is vel ille non minus nobilis eſt quam ego ſim*. Immo id nemo confidentius dicit quam Plebejus quiſque. Adde quod hæc Barlovvii verba: *Tam Epiſcopus foret, quam ego ſim; AUT ALIUS QUIVIS IN ANGLIA EPISCOPUS*, non obſcure indicant fuiſſe tunc temporis in Anglia Epiſcopos, qui aliter conſecrati fuiſſent quam Barlovvius. Ad hæc quid Diſſertator? Nihil, & bene. De his adi eundem le Quien, tum in Nullitate, pag. 515. & ſeq. tum in Nullitatis demonſtratione, pag. 326. utrobique Tom. 1. Verum hæc ſufficiant in preſens, quæ qui coram Deo expenderit, neſcio an facile judicet Ordinationes Anglicanas ex parte gemini Anglicanæ Eccleſiæ Fundatoris extra dubium omne poſitas eſſe. Nunc de eiſdem ſub alio intuitu ſpectatis dijudicandum.

A R-

ARTICULUS SECUDUS.

De Ordinationibus Anglicanis penes formam conſideratis.

HÆc quæ Juris eſt quæſtio, in eo conſiſtit an valeant Ordinationes juxta novum Eduardi Rituale celebratæ; proinde an dato, non autem conceſſo, quod Parkerius a Barlovvio ſecundum Ritualis hujus leges ordinatus ſit, vere is ordinatus exiſtimari debeat. 139

Eaſdem ex æquo pro invalidis habuere PP. Harduinus & le Quien. 140
Harduinus quidem, tum ex materiæ, tum & ex formæ defectu; quia juxta ipſum materia Diaconatus & Presbyteratus in Eccleſia Occidentali eſt inſtrumentorum porrectio: forma autem in imperativis verbis, quæ porrectioni huic reſpondent, adæquate conſiſtit. At vero Pater le Quien ideo Anglicanæ Ordinationis formam rejicit, quia legitimæ Ordinationis formam conſtituit in precibus, quæ ejuſdem Ordinationis præcipuum finem, Sacerdotium nempe & Sacrificium, ſi non expreſſim, at ſaltem implicite & virtualiter exprimant: quæ finis expreſſio cum Anglicano Rituali deſit, neceſſe eſt ut ſubſtantialiter vitioſum reputetur. Non placuit Harduino ſententia hæc, etſi trita apud Theologos: unde eam, ut erat a natura vivax, ſatis acriter impugnat, Tom. 2. Diſſertationis confutatæ, poſt pag.270. Quin & eidem ſententiæ obſtitit Franciſcus Vivant, Academiæ Pariſienſis Cancellarius, in Opere inſcripto: *La vraie maniere de contribuer a la reunion de l'Egliſe Anglicane a l'Egliſe Catholique*, ubi ſic nu.60. pag. 70. *Nous ne voyons pas non plus, que l'Auteur ait tort de ne ſe pas rendre, ni a la neceſſitè que quelques Scolaſtiques ont penſe y avoir, que la forme d'un Sacrement exprime la fin & l'effet du Sacrement; ni a la conſequence tiree de l'erreur ſur le Sacerdoce & le Sacrifice, pour prouver la nullitè des Ordinations de ceux qui ſont dans cette erreur.* At quæ non vidit vir ille pius, nec certe imperitus, viderunt alii plerique. Quod antequam expendamus, juvat potiſſimas formæ ad Ordinationem tum Presbyteri, tum & Epiſcopi, ab Eduardo præſcriptæ partes hic inſcribere.

Ritus Anglicanus ordinandi Presbyterum.

Ritus ordinandi Presbyteri is eſt, 1. poſt longam exhortationem, 141
quam ſtatim ſubſequitur S. Cœnæ adminiſtratio, lectio item tum cap. 20. Act. Apoſt. a v.17. ad 36. tum & Evangelii ex Joan.10. a v.1. ad 17. ac demum recitatio, vel cantus Hymni *Veni Creator Spiritus*, &c. Archidiaconus eos omnes qui Presbyteratum ſunt ſuſcepturi, præſentat Epiſcopo qui ad Populum converſus, inquirit nullumne crimen aut impedimentum cognoſcat in iis, *quos*, inquit, *annuente Deo ſtatuimus hodie in ſacrum Presbyterii Miniſterium cooptare.* Tum poſt Litaniam, in qua devote petitur, ut Anglicanam Eccleſiam liberet Deus a Tyrannide & exceſſibus Rom. Pontificis, orationem hanc fundit Epiſcopus ordinans:

Omnipotens Deus, largitor bonorum omnium, qui per Sanctum Spiritum tuum diverſos Miniſtrorum Ordines in Eccleſia tua conſtituiſti, dignare, quæſumus, benigno miſericordiæ tuæ aſpectu hos famulos tuos qui hodierno 142

die

die ad Presbyterii functionem vocantur : ita illos veritate tuæ doctrinæ inſtruas, ita vitæ innocentia communias, ut in hoc ſuo munere præſtando fidelem tibi operam præſtare poſſint tam verbo quam exemplo, &c.

143 Tum propoſito ſingulis juramento de ſuprema Regis poteſtate, tam in Eccleſiaſticis rebus, quam in Politicis, novam præmittit exhortationem Epiſcopus, qua exponit *quæ ſit amplitudo & dignitas ejus functionis ad quam hodierno die vocati* ſunt Ordinandi . Hanc porro amplitudinem ſic exhibet : *Vos igitur in nomine D. N. J. C. obteſtamur, ut ſerio apud animos veſtros cogitetis de onere magnitudineque officii veſtri, utpote qui appellamini in S. Litteris Legati, Excubitores, Paſtores, ac Diſpenſatores Domini ad docendam, præmonendam, paſcendam & curandam familiam Domini*. Idem eſt ceterarum prolixæ ejuſdem orationis partium ſenſus : nihil hic in deſcribenda illa Sacerdotalis poteſtatis *amplitudine* de oblatione & ſacrificio: immo non lectus de induſtria is Pauli locus in quo dicimur *Diſpenſatores Myſteriorum Dei*.

144 Hæc mera ſunt ad Ordinationem præambula; quandoquidem necdum emiſſa ſit ab initiandis ſua Fidei profeſſio, quam finita hac oratione ut exigat Epiſcopus, inquirit a Candidato, 1. an *pleniſſime ei perſuaſum ſit, ſe juxta voluntatem Dei . . . & legitimam hujus Regni conſtitutionem*, *vocatum eſſe ad Presbyterii Miniſterium ;* 2. an credat, *univerſam doctrinam Chriſtianam, quæ ad ſalutem æternam . . . . neceſſario requiritur*, *in S. Litteris ſufficienter contineri ;* & nihil aliud Populum ſibi commiſſum edocere velit; & ſimilia quæ paullo fuſius ante objectionum ſolutionem infra evolventur .

145 His de ſacrilego more promiſſis, orationem hanc fundit Epiſcopus .

Omnipotens Deus, qui voluntatem hanc mentibus veſtris inſtillare dignatus eſt, vires viciſſim ac facultatem concedat vobis ad hæc officia præſtanda, atque implenda, ut bonum illud opus ſuum, quod incepit in vobis, fœliciter perficiat uſque ad ſupremum illum diem, quo venturus eſt ad judicandum vivos & mortuos .

146 Poſt hæc rogatur univerſa Congregatio, ut velit tacitis ſuis precibus & votis ardentibus iſtud negotium, ejuſque ſucceſſus Deo commendare ... quo facto precatur Epiſcopus hoc modo:

Deus omnipotens, ac Pater cęleſtis, qui ex infinita erga nos caritate Filium tuum Unigenitum J. C. ... dignatus es exhibere, ut nobis eſſet propitiator, & vitæ æternę auctor ; qui immenſo illo pretio Redemptionis noſtræ perſoluto, in Cælum aſcendens, Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Doctores & Paſtores in hunc Mundum emiſit . . . . gratias tibi agimus quas poſſumus maximas pro hac tanta erga majores noſtros benignitate, atque beneficentia tua. Imprimis vero ex toto cordis affectu ineffabilem tuam erga noſmetipſos miſericordiam agnoſcimus & prædicamus, quod hoſce ſervos tuos coram hic adſtantes vocare dignatus ſis ad id munus ac Miniſterium, quod in æterna ſalute comparanda verſatur . Concedas, quæſumus, per & propter eumdem Filium tuum, & nobis ipſis, & aliis ubivis gentium ſanctum nomen tuum invocantibus, ut animorum noſtrorum gratitudinem pro hoc tanto beneficio declaremus per obedientiam noſtram, utque majorem in dies in vera Fide & agnitione Filii tui profectum faciamus per ſalutarem Sancti

tui

tui Spiritus aſſiſtentiam. Ita tandem fiet, ut non ſolum per hos tuos Miniſtros, ſed per eos etiam in quorum gratiam Miniſterio ſuo funguntur, ſanctum tuum nomen perpetuo glorificetur, fineſque regni tui benedicti longius ac latius propagentur. Per eumdem Filium tuum, &c.

Hac finita precatione Epiſcopus, & Presbyteri præſentes manus 147
ſuas imponunt ſingulorum qui ordinantur capitibus ſeparatim; Epiſcopo interim hæc verba pronuntiante: *Accipito Spiritum S. Cujus remiſeris peccata, erunt ei remiſſa: & cujus ligaveris peccata, erunt ei ligata. Tu vero fidelem age diſpenſatorem verbi Dei & Sacramentorum: in nomine Patris*, &c.

Epiſcopus item ſingulis eorum in manus tradens S. Scripturæ Codi- 148
cem, ſic dicit: *Habeto tu auctoritatem prædicandi verbum Dei, & adminiſtrandi Sacramenta in illa Eccleſia, quæ tibi fuerit commendata.*

Hoc peracto, ait Rubrica, Symbolum fidei decantetur per cœtum; 149
ſtatimque ſe ad S. Communionem accingant, quam omnes qui Ordines SUSCEPTURI SUNT, pariter percipiant... Tunc autem poſt ultimam Collectam, immediate ante benedictionem, ſequatur iſta precatio. *Miſericors Pater, obſecramus humillime clementiam tuam, ut e ſancta tua Sede cæleſtem benedictionis tuæ rorem ſuper hoſce ſervos tuos facias deſcendere: ut omni vitæ ſanctimonia juſtitiaque, tamquam veſte decora induantur; quo verbum tuum illorum voce prædicatum, ſemper vim ſuam & efficaciam obtineat, nec ullo tempore inutile auditoribus, vel infructuoſum reperiatur. Nobis quin etiam gratiam concedas audiendi verbum tuum ſtudio propenſo, illudque fideliter amplectendi, tamquam inſtrumentum æternæ noſtræ ſalutis... Per J. C. D. N. Amen.*

Si preſſius urgeantur verba hæc præcedentis Rubricæ: *Omnes qui Or-* 150
dines ſuſcepturi ſunt, &c. dicendum erit Ordinationis Anglicanæ formam, potiſſimum, niſi omnino, ſitam eſſe in poſtrema hac oratione: *Miſericors Pater*, &c. Porro oratio hæc totum Presbyteri miniſterium in una verbi divini prædicatione reponit. Senſit dubio procul incommodum iſtud Diſſertator: unde cum verba hæc: *Accipite Spiritum S.* neget Ordinationis formam eſſe, quia abſoluta ſunt; formam hanc in tota orationum collectione repoſuit. At inde nihilo melius ſe habet ejuſdem cauſſa: cum tota illa orationum Anglicanarum collectio nihil enuntiet quod Diacono non conveniat; nihil quod verum novi fœderis Sacerdotem deſignet; nihil quod ex notorio Anglicanorum ſenſu genuinam ejus ideam non excludat; ut ex infra dicendis liquebit.

Non extra rem fuerit in præſens advertiſſe, Anglicanos defatiga- 151
tos querelis Catholicorum, qui nimis vagum phraſis hujus: *Accipite Spiritum S.* eis ſenſum perpetuo objiciebant, ſic locum hunc tandem emendaſſe ſub Carolo II. an. 1662. *Accipito Spiritum S. ad officium & opus Presbyteri in Eccleſia Dei, quod tibi committitur per impoſitionem manum noſtrarum. Quorum remiſeris peccata, remittuntur*, &c.

Ritus conſecrandi Archiepiſcopum vel Epiſcopum.

Poſt lecta, tum epiſtolam ex 1. Timot. 3. a v. 1. ad 8. & Chriſti 152
verba de paſcendis ovibus ex Jo. 21. v. 15. & 16. Epiſcopus electus præ-

ſentatur per duos alios Epiſcopos Archiepiſcopo, vel Epiſcopo alii, de ipſius conſenſu vices ſuas gerenti.

153 Tunc Archiepiſcopus (loco Pontificii diplomatis) Mandatum Regium de illius conſecratione produci & publice recitari curat. Deinde juramentum de ſuprema Regis poteſtate agnoſcenda atque etiam de obedientia ſibi Archiepiſcopo præſtanda exigit. Mox cœtum præſentem ad auxilium divinum implorandum hortatur, *antea quam*, inquit, *perſonam hanc nobis præſentatam admittamus, vel opus ei demandemus, ad quod eam confidimus a Spiritu S. vocatam eſſe.*

154 Hac ſicut in Ordinatione Diaconi decantatur Litania, in qua ſuo loco additur petitio hæc: *Te rogamus, ut huic fratri noſtro electo Epiſcopo benedictionem & gratiam tuam largiri digneris, quo munus iſtud ad quod vocatus eſt, diligenter exequi poſſit*, &c.

Hac vero oratione Litania concluditur.

155 *Omnipotens Deus, largitor bonorum omnium, qui per S. Spiritum tuum diverſos Miniſtrorum Ordines in Eccleſia tua conſtituiſti, dignare, quæſumus, hunc ſervum tuum ad Miniſterium Epiſcopatus jam vocatum, clementer intueri: ita illum inſtruas doctrinæ tuæ veritate, ita vitæ innocentia adornes, ut in hoc ſuo munere obeundo fidelem operam præſtare poſſit & verbo & exemplo ad tui nominis gloriam, atque emolumentum Eccleſiæ tuæ, per merita Salvatoris N. J. C. &c.*

156 Tunc Archiepiſcopus in Cathedra ſedens, quærit ab eo *qui conſecrandus adſtat*, an ſibi perſuaſum habeat, ſe *ad hanc adminiſtrationem vere vocatum eſſe*; an credat *S. Scripturam ſufficienter continere omnem Doctrinam quę ad ſalutem neceſſario requiritur*, &c. Deinde hanc fundit orationem: *Deus omnipotens... qui hanc voluntatem tibi conceſſit, concedat inſuper vires ac facultatem ad hæc omnia efficaciter præſtanda*, &c. Ferme ut ſupra, p. 606.

157 Poſt recitatum aut decantatum eo loci Hymnum *Veni Creator*, dicit Archiepiſcopus,

Exaudi, Domine, deprecationem noſtram.

℟. *Et clamor noſter ad te perveniat.*

Precemur.

Omnipotens Deus & miſericors Pater, qui ex infinita tua bonitate Jeſum Chriſtum... nobis donaſti Redemptorem... qui poſtquam ſua morte perfeciſſet opus reconciliationis noſtræ, atque in cælum aſcendiſſet, dona ſua abunde largitus eſt hominibus, conſtituens alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores, ad ædificationem & conſummationem Eccleſiæ: concedas, quæſumus, huic ſervo tuo eam gratiam, ut ſemper ſit paratus ad Evangelium, lætumque noſtræ tecum reconciliationis nuntium promulgandum: Præterea, ut auctoritate ſibi conceſſa, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, non ad detrimentum, ſed ad emolumentum Eccleſiæ utatur: itaque familiæ tuæ, ſicut fidum ac prudentem decet œconomum, pabulum ſuo tempore diſtribuens, recipiatur tandem in cæleſte gaudium. Per J. C. D. N. qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit, &c.

158 „ Archiepiſcopus & Epiſcopi præſentes, manus ſuas imponunt ſu-
„ per caput Epiſcopi ELECTI, ſic dicente Archiepiſcopo: “

Acci-

Accipe Spiritum S. & excitare memineris gratiam Dei, quæ eſt in te per manuum impoſitionem. Dedit enim nobis Deus Spiritum, non timoris, ſed poteſtatis, caritatis & ſobrietatis.

„ Porro Archiepiſcopus S. Codicem accipiens, eique tradens, hæc dicit verba: “ 159

Attendas lectioni, exhortationi, atque doctrinæ; quæ in hoc Libro continentur ſerio meditare. Ea utaris diligentia, ut profectus tuus in iſtis rebus omnibus fiat manifeſtus. Attendas, inquam, tibi & doctrinæ tuæ: hoc enim fideliter præſtando, & te ipſum ſervabis & eos qui te audiunt. Erga oves Chriſti, non te lupum geras ſed paſtorem; gregem non devorans, ſed paſcens. Infirmos ſuſtentes, ægrotos ſanes, contritos vincias, extorres reducas, perditos quæras. Ita ſis miſericors, ne fias remiſſus; ita diſciplinam exerceas, ne ſis crudelis: ut cum ſummus ille animarum Paſtor apparuerit, immarceſſibilem gloriæ coronam accipias. Per J. C. D. N. Amen.

„ Archiepiſcopus hic ſe accingit ad S. Cœnam, quocum RECENS 160
„ CONSECRATUS EPISCOPUS, aliique communicabunt. Inſtar ul-
„ timæ vero collectæ, immediate ante benedictionem, concludat cum
„ hac precatione.

Clementiſſime Pater, oramus te ſupplices, ut ſuper iſtum ſervum tuum benedictionem tuam ſuperne facias deſcendere: itaque illum Sancto tuo Spiritu imbuere digneris, ut prædicando verbum tuum, ſedulam operam præſtare poſſit doctrinæ, reprehenſioni, caſtigationi, obteſtationi cum omni tolerentia, ſiatque ſalubre fidelibus exemplum, tam in ſermone, quam in moribus ſuis: amore, fide, caſtitate, vitæque integritate excellens: ut poſt hunc curſum exactum, in illo ſupremo die coronam juſtitiæ conſequatur, quam ſuis Dominus, juſtus ille Judex repoſuit, Qui vivit & regnat unus Deus tecum, & cum Spiritu Sancto in omnem æternitatem. Amen.

Quemadmodum vero emendata eſt ſub Carolo II. quantum ad Ordinationem Presbyteri vaga hæc formula: *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. ſic & quantum ad Epiſcopi conſecrationem emendata eſt formula: *Accipe Spiritum S. & excitare memineris*, &c. unde nunc ſic habet: *Accipe Spiritum Sanctum ad officium & opus Epiſcopi in Eccleſia Dei, quod jam tibi committitur per impoſitionem manuum noſtrarum: In nomine Patris, &c. Ac memento ut exſuſcites gratiam Dei, quæ data eſt tibi per manuum noſtrarum impoſitionem. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutem & ſobrietatem.* 161

Sed & ab initio cæremoniæ præmittitur hæc, quæ in antiquis editionibus deeſt, Collecta: *Omnipotens Deus qui per J. C. Filium tuum, Sanctis tuis Apoſtolis multa excellentia dona largitus es, quique illis in mandatis dediſti ut gregem paſcerent; gratiam largire, quæſumus, omnibus Epiſcopis, Eccleſiæ tuæ Paſtoribus, ut diligenter verbum tuum prædicent, utque piam illius diſciplinam rite adminiſtrent. Plebi autem da, ut obſequenter ei ſe ſubmittant, ſicque omnes æternæ gloriæ coronam conſequantur. Per J.C.D.N. Amen.* 162

Interrogationibus vero præviis recitationi Hymni: *Veni Creator*, hæc nunc annectitur, *Num fidelis eris in ordinandis & mittendis aliis, iiſque manus imponendo?* 163

Mutationes illas nullius eſſe momenti cenſet Diſſertator, pag. 45. & ipſe Pater le Quien, prout animadverti ſupra num. 6. certum eſt 164

 tamen

tamen Caroli II. formam aptius finem & effectum Ordinationis, ſaltem Epiſcopalis indicare quam indicet Eduardi VI. licet nec id ſatis præſtet, uti patebit ex dicendis. Unum addo non admodum ſibi conſtare Anglicanos ordinandi ritus: quandoquidem Epiſcopalis forma, ſecus ac de Presbyterali credi poteſt, in his ſita videatur verbis: *Accipe Spiritum S* &c. Cum antequam proferantur, Epiſcopus ſolum *electi* nomen obtineat; iiſdem vero, & his etiam quæ S. Codicis traditionem comitantur, prolatis, ſtatim Epiſcopus *recens conſecratus* nuncupetur. Verum his propter alibi dicta omiſſis, ſit

165 CONCLUSIO: Ordinationes Anglorum ex parte formæ non tantum dubiæ ſunt, ſed & certo invalidæ.

166 Prob. Ordinationes quæ fiunt ſecundum formam ex omni parte nullam, certo ſunt invalidæ. Atqui Ordinationes Anglorum fiunt... Siquidem ad formam validam tria ut minimum requiruntur, 1. ut emanet ab auctoritate legitima, 2. ut nihil habeat intrinſece vitioſi; 3. ut debitam intentionem a Miniſtro non excludat. Atqui nihil horum habet forma Ordinationis Anglicanæ, contra vero vitia iis omnino adverſa includit.

167 Et quidem primo non prodit ab auctoritate legitima. In rebus enim Eccleſiaſticis, iis præſertim quæ ad Sacramenti alicujus ſubſtantiam ſpectant, nulla alia eſt auctoritas legitima quam Eccleſiæ; uti ſponte fatetur Diſſertator, Tom. 1. p. 252. & ſeq. Atqui vel ex primo intuitu patet formam Ordinationis Anglicanæ non ab auctoritate Eccleſiaſtica prodiiſse, ſed a Civili.

168 1. Enim nova Eduardi forma ad conſilium & mentem Parkerii & Barlovvi fabricata eſt. Ii porro, cum, ut medullitus Zuingliani, perſuaſum haberent, Regem ſupremum eſſe rei Eccleſiaſticæ ſicut & Politicæ arbitrum *, de recipienda ab ipſo forma cogitare quidem potuerunt, non autem de ea per Eccleſiaſticam ſuam auctoritatem præſcribenda. Nec certe pſeudo-Epiſcopi duo ſacrilegam novæ hujus formæ legem, toti Angliæ, quæ tunc maximam ſui partem Catholicis Epiſcopis conſtabat, indicere potuiſsent.

169 Et vero quod ſola civilis poteſtas veterem Pontificalis formam aboleverit, & induxerit novam, patet ex ſtatuto, per quod Londinenſis Senatus, an. 1552. Ordinationis Librum Libro Communium Precum conjungi decrevit. En ejus verba, prout extant apud Diſſertatorem, pag. 14. *Le Roi du conſentement des Seigneurs & des Communes aſſemblèes en Parlement, & de l'autoritè dudit Parlement, a fait revoir, èclaircir & perfectioner ledit Livre*, ET DE LA MEME AUTORITÈ *y a joint la forme & la maniere de faire & conſacrer les Archeveques, Eveques, Petres & Diacres*, POUR ETRE DE LA MEME FORCE, AUTORITÈ ET VALEUR, *que le Livre ainſi revu & perfectionnè, etre eſtimè de meme nature & de meme genre, & etre recu, adoptè & mis en uſage aux memes clauſes,* *con-*

* Auctor hiſtoriæ Reformationis Anglicanæ, typis Londinenſibus editæ an. 1694. licet ex Epiſcopalium grege ſit, hanc refert & approbat Cranmeri propoſitionem. „ Omnimoda auctoritas, tam Eccleſiaſtica, quam ſæcularis, a Regia poteſtate, velut a ſupremo capite, ac omnium Magiſtratuum fonte ac ſcaturigine primitus emanavit. " Ita refert Stripeus in Memorialibus Craumeri, p. 141. Vide Theodoricum a S. Renato, ubi infra, Tom. 1. p. 59.

conditions & exceptions, & ſous les memes peines, que ledit Livre a ètè reçu par l' Acte du Parlement paſſè la ſeconde annèe du Regne de Sa Majeſtè, pour ordonner l'uniformitè dans le Service Divin & l' adminiſtration des Sacremens par tout le Royaume: Et ſera ledit Acte en la meme force & vivigueur, tant a l'ègard dudit Livre des Communes Prieres ainſi expliquè & cyjoint, qu' à l'ègard de laditè forme d'ordonner les Archeveques, Eveques, Petres & Diacres cyjointe, que l' a ètè la premiere publication dudit Livre des Communes Prieres. Atqui juxta hunc textum non aliunde quam a poteſtate ſæculari *vim*, *auctoritatem*, ac *valorem* ſuum habet nova illa Epiſcopos & Presbyteros conſecrandi forma: ſicut & ab ea robur ſuum habet Liber Communium Precum, qui ex Regis mandato & Parlamenti conſenſu *reviſus eſt*, *elucidatus eſt*, & *ad perfectionem ſuam*, id eſt ad hæreſis ſenſum *adductus*.

Confirm. Ideo negat Diſſertator ſupra n. 38. Ordinale Eduardi fœtum eſſe politicæ auctoritatis, quia ejus fabricandi cura nonniſi Epiſcopis ac Theologis commiſſa eſt; ſtatimque ut reformatum eſt, vim habuit ſuam abſque ullo laicæ poteſtatis interventu, adeoque ex ſola Epiſcoporum auctoritate. Atqui prius non ſufficit: poſterius impendio falſum eſt. 170

Et quidem 1. non ſufficit ut Epiſcopi, tamquam in Liturgicis rebus verſati magis, novi Ordinalis Fabricæ allaboraverint; ſed neceſſum eſſet, ut eidem tum ſuo, tum & Eccleſiæ, ſaltem Anglicanæ, nomine allaboraſſent. Neutrum porro dici poteſt.

Non primum: Qui enim meri fuerunt Regiæ voluntatis executores, non quatenus Eccleſiaſtici, ſed ut puri Commiſsarii egerunt. Atqui Cranmerus, Goodrich, aliique novi Ordinalis artifices, nihil aliud fuerunt aut eſse potuerunt, quam Regiæ voluntatis executores. Siquidem Rex eo uſque Eccleſiaſticæ auctoritatis ſubſtantiam totam ſibi uſurpaverat, ut Officialium ſententiæ nomine ejus inſcriberentur, ac publicarentur, nec niſi ſigillo ejus munitæ prodirent. Epiſcopos ipſe inſtituebat & deſtituebat pro *ſupremo* nutu. Verbi divini prædicatione Paſtoribus interdicebat ad arbitrium; neque eos aliud e ſuggeſtu prædicare ſinebat, quam Homilias ab Hugone Latymero, & Joanne Hooper ad hæreſis genium compoſitas. Diœceſes viſitabat per Commiſsarios, quibus totam quam Paſtoribus adimebat auctoritatem, (adeo ut ne quidem Epiſcopis liceret Sacerdotes ordinare) turpi & ſacrilego auſu concredebat. Uno verbo, ut notat & redarguit Stapleton Lib. 1. contra Hornium c. 20. *doctrinam credendam injungebat*, *Officii divini ordinem præſcribebat*, *fidei articulos approbabat vel reprobabat*, &c. Quis porro ſub illo ſupremo magis Epiſcopo, quam Rege, Epiſcopos caracteris ſui non tam oblitos quam oſores, quidpiam vere Eccleſiaſtici tentaviſse imaginetur? Merito igitur Herbertus Thorndik, quem pluries, nec ſine laude citat Diſsertator, Lib. de juribus Eccleſiæ, hæc ſcribit: *Le meilleur moyen de parvenir à l'unitè rompue par la rèformation, ſeroit d'abolir les Eveques, dont l' Ordination a ètè faite contre toutes les loix de l' Egliſe, & tire toute ſa force de l' autoritè ſeculière*. Quin & ingenue fatetur Doctor Heylin, id unum Cranmero, qui Aulam Regiam in Reformationis negotio moderabatur, propoſitum fuiſse, ut 171

antiquam de Epiſcopatu tamquam divinitus inſtituto ideam ſubverteret. De his omnibus adi Boſſuetum, quem toto 9. Diſſertationis capite, tacito tamen nomine, confutare nititur Corayerus; prout & effugii ſui tempore confeſſus eſt in Epiſt. ad Card. Noallium tranſmiſſa. Sed & conſule P. le Quien Tom. 1. Nullitatis, c. 2. P. Theodoricum a S. Renato in eximio Opere cui titulus: *Juſtification de l'Egliſe Romaine ſur la rèordination des Anglois Epiſcopaux*.

172 Non ſecundum: neque enim alicujus Eccleſiæ nomine agit, qui ſchiſmaticos aliquot actionis ſuæ approbatores habet; ſed is ſolum qui majorem & ſaniorem hujus Eccleſiæ partem approbatricem habet. Atqui approbationem hanc nec habuit, nec habere potuit Cranmerus; cum tunc temporis Epiſcopi plerique Catholici forent, & ſacrilegæ novitati obſiſterent pro viribus. Ex his quidem plures depoſuerat Eduardus: at vel ipſa hæc iniqua depoſitio reclamationem eorum arguebat. Quin & quinque ex nondum depoſitis medio in Senatu novitati obſtiterunt, uti ſcribit ipſe Diſſertator Lib. 5. c. 1. p. 9. Unde vix quarta pars Epiſcoporum, qui in Anglia ſunt 26. aut 27. iniquitati manus dedit; prout oſtendit Theodoricus Tom. 1. p. 105. Eſto igitur, ſecundum Diſſertatoris principia, valet nunc Ordinale Anglicanum, quia jam Angliæ totius, ſchiſmaticæ licet, ſuffragio munitum eſt; at certe valere non potuit Eduardi temporibus, quia tunc non ab Eccleſia tota Anglicana, immo nec a ſaniori & majori ejus parte comprobatum erat.

173 2. Falſum eſt quod Eduardi Ordinale, ſtatim ut reformatum eſt, vim habuerit ſuam ab Epiſcopali, non autem a laica poteſtate; tum quia, ut mox dictum eſt, reclamabant Catholici quique Epiſcopi, quorum tamen aſſenſus neceſſarius omnino fuiſſet; tum quia quidquid ex ſolo Regis imperio & nomine fit, ſive prius quam fiat, approbetur; ſive approbetur poſtquam factum eſt, in ſolam ejuſdem Regis potentiam referri debet; tum quia ſicut ſola Regis auctoritas Rituale antiquum efficaciter abolere potuit; ſic & ſola vim novo Ordinali conferre potuit: cum juxta impium novæ ſectæ ſyſtema, Omnimoda *auctoritas, tam Eccleſiaſtica, quam ſæcularis a regia poteſtate* emanare diceretur; ita ut mortuo Henrico VIII. novam regendæ ſuæ Diœceſis facultatem ab Eduardo poſtulaverit Cranmerus; tum quia Ordinale Eduardi a Parlamento confirmatum eſt, ut docet Anglicanus Miniſter auctor Libri inſcripti: *Eſſai, où l'on propoſe les moyens de parvenir à la Communion Catholique*, apud le Quien Tom. 2. Nullit. pag. 45. & oſtendit Theodoricus Tom. 2. p. 286. Tum denique quia ſi a ſolis Epiſcopis conditum fuiſset & publicatum, eſſet tamen primitus ab auctoritate Laica; quia totam ſuam auctoritatem a Laicis habebant primarii illi Anglicanæ Sectæ reformatores.

174 Secundo Ordinationis Anglicanæ forma intrinſece vitioſa eſt. 1. Enim intrinſece vitioſa eſt forma, quæ ex homine non Presbytero facit Epiſcopum. Ut enim, ait Bellarminus Tract. de Ordine, c. 5. cui expreſse conſentit Diſsertator p. 2. p. 35. *Impoſſibile eſt ordinari Epiſcopum, qui antea non ſit Presbyter, vel certe non tunc accipiat utramque Ordinationem; quia utraque eſt eſſentia Epiſcopatus*. Atqui Anglicana forma

facit

facit Epiſcopos qui ante non ſunt Presbyteri ; quia numquam facit Presbyteros. Siquidem Anglicana Ordinatio veros Sacerdotes efficere nequit, niſi & conſecrans id intendat ſaltem exterius ; & idipſum exprimat forma modo aliquo, qui reipſa formis Sacerdotes inſtituentibus, ſeu vere conſecratoriis æquivaleat. Atqui apud Anglos deeſt & intentio exterior veros conſecrandi Sacerdotes, & forma quæ verum Sacerdotium exprimat modo æquivalenti formis vere conſecratoriis. 1. Quidem deeſt intentio etiam exterior. Intentio enim veros conſecrandi Sacerdotes eſt intentio conſecrandi homines, qui vere & proprie conſecrent & ſacrificent Corpus & Sanguinem Chriſti. Atqui intentionem hanc ne exterius quidem habent Angli, ſed diſertim excludunt. Etſi ſola hujus ſyllogiſmi minor propoſitio probanda incumbit, quia ſola negatur & negari poteſt ab homine Catholico, placet tamen majorem antea probare.

Prob. itaque major ex Concilio Trid. Seſſ. 23. Can. 1. ubi ſic : *Si quis dixerit non eſt in novo Teſtamento Sacerdotium viſibile & externum, vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini ... anathema ſit*. Ibid. c. 1. *Sacrificium & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni Lege extiterit. Cum igitur in novo Teſtamento ſanctum Euchariſtiæ ſacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum eſſe viſibile & externum Sacerdotium*. Unde ſic : In his quæ neceſſario relativa ſunt, qui unius intentionem habet, habet & intentionem alterius, aut ſaltem eam non excludit. Atqui ex citatis textibus Sacerdotium & ſacrificium adeo relativa ſunt, ut ſacrificii poſitio vel everſio poſitionem aut ſubverſionem Sacerdotii neceſſario involvat. Ergo qui unius ideam excludit, alterius nec ideam, nec intentionem habere poteſt. 175

Confirm. ex Seſſ. 22. Can. 2. ubi : *Si quis dixerit illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem ſuum ; anathema ſit*. Unde ſic : per illius poteſtatis receptionem conſtituuntur Sacerdotes, qua tales, per quam ipſi in Sacerdotes conſtituti ſunt Apoſtoli. Atqui ex Concilio Trid. Apoſtoli in Sacerdotes conſtituti ſunt per receptionem poteſtatis offerendi, adeoque & conficiendi Corpus Chriſti. Ergo Sacerdotes conſecrantur per receptionem ejuſdem poteſtatis. Ergo qui poteſtatem hanc tribuere nolunt, nolunt veros Sacerdotes conſtituere. 176

Jam vero quod intentionem hanc exterius etiam non habeant prætenſi Angliæ Epiſcopi probatur; Illi etiam exterius non habent intentionem conſtituendi Sacerdotes qui vere conſecrent atque ſacrificent ; qui ſacrificium verum exterius & palam rejiciunt, qui quotidianam incruenti Sacrificii oblationem, velut inpoſturam & blaſphemiam, in ipſa quam emittunt fidei profeſſione, execrantur, qui Sacerdotii ideæ, per quam communiter intelligebatur poteſtas ad ſacrificium tamquam primarium objectum relativa, aliam ſubſtituunt ideam, vi cujus non exprimitur niſi ſola ratio *ſeniorum*, & hominum ut ſuper alios invigilent præpoſitorum ; qui denique Sacerdotes noſtros, dum apoſtatant, 177

non ante recipiunt, quam Sacerdotium ſuum ejuraverint. Atqui hæc omnia de Anglis qui Eduardi Ordinale fabricaverunt, certiſſime conſtant.

178 1. Enim articulus trigeſimus Confeſſionis Anglicanæ a Cranmero promulgatæ hæc habet, quibus contra F. le Courayer uſi ſunt Gallicani Præſules qui Librum ejus protrivere: *Sacrificia, quibus vulgo dicebatur Sacerdotem offerre Chriſtum in remiſſionem pœnæ aut culpæ pro vivis & defunctis, blaſphema figmenta ſunt & pernicioſæ impoſturæ.* Hæ quidem voces, *blaſphema figmenta*, an. 1562. a Parkerio & aliis expunctæ ſunt, ad votum Reginæ Elizabeth: At eæ apud pleroſque Franciæ & Sabaudiæ Proteſtantes hactenus perſeverant: & ad minus ſacrificium, quod Cranmero, primiſque Angliæ Reformatoribus blaſphemum erat figmentum, ejuſdem nunc Aſſeclis pernicioſa eſt impoſtura. *Vide P. le Quien Tom. 2. pag. 43. & Theodoricum Tom. 2. pag. 44. & ſeq.*

179 2. Maſſonius, acer olim Anglicanarum Ordinationum contra Champneium defenſor: *Poteſtas*, inquit, *offerendi ſacrificium, quam præcipuam Chriſtiani Sacerdotii functionem eſſe judicatis, revera Miniſtros Antichriſti, non Chriſti facit.* Porro non ii ſunt Angli, qui Antichriſti Miniſtros facere intendant, ergo nec intendunt, ſed expreſſe, palam & aperte recuſant facere Sacerdotes qui ſacrificium offerant. Hinc

180 3. Presbyter a Romana Communione ad Anglicanam transfuga, Sacerdotio ipſe ſuo renuntiare compellitur his Pſeudominiſtelli verbis: *Vide nullum Sacerdotem in Eccleſia Anglicana admitti poſſe, niſi primariam Sacerdotii veſtri functionem ejuraverit, quæ in Miſſatione & Sacrificatione conſiſtit.* Nemo certe id intendit largiri, quod acceptum ejurare compellit.

181 4. Demum tota Sacerdotii Anglicani ratio in eo eſt, ut viri quidam ex ætate aut moribus graves, ſeu a Rege, ſeu a multitudine deputati ceteris invigilent, verbum Dei annuntient, &c. donec, ſi iiſdem videbitur, ad priorem ſtatum regrediantur. Quod præſertim ſub Eduardo factum eſt, cujus a ſola auctoritate *vim ſuam tota hauriebat Ordinatio*, ut ſupra gemendo confitebatur Herbertus Thorndick.

182 Mirum ergo quod Diſſertator has emiſerit propoſitiones, quæ primum ab Epiſcopis viginti, ſubinde ab Ebredunenſi Concilio proſcriptæ ſunt. Prima. *Il eſt faux que les Anglois ne reconnoiſſent point de Sacrifice dans le ſens de nos meilleurs Thèologiens, c' eſt-à dire, un Sacrifice rèprèſentatif & commèmoratif.* Quinta. *Je ſais qu' à d' autres ègards on appelle le Sacrifice dè l' Autel un Sacrifice rèel: mais ce ſont de ces queſtions de nom ſur leſquelles ſe partagent les Thèologiens*, &c. Sed de his repete quæ diximus Tom. VI. ubi de ſacrificio Miſſæ, c. 3. p. 683.

183 Confirm. Illi non habuerunt intentionem faciendi quod fecit Chriſtus, qui exterius profitebantur Chriſtum circa Ordinem nihil feciſſe; qui proinde nullam formam vere ſacramentalem habere poterant. Atqui Angli Epiſcopales qui Liturgiam reformaverunt, profitebantur Chriſtum... Idem quoque profitebantur qui cum illis funeſtæ huic reformationi allaboraverunt. Qui enim reformationi iſti operam impenderunt, ii, ut ſcribit Doctor Heylin, fuere Calvinus ipſe, Petrus Martyr, Bucerus, in primis vero Cranmerus Cantuarienſis Pſeudoantiſtes,

ſtes, & Barlovvius Menevenſis. Atqui primi tres Ordinem expungebant e Sacramentorum numero: duo autem poſteriores, ex Diſſertatoris confeſſo, pag. 181. in *notoriis* circa ordinationis materiam *erroribus* verſabantur; adeo ut exiſtimarent hominem ex ſola Principis deſtinatione, & citra conſecrationem ullam, ſtatim Epiſcopum fieri: unde & ajebant, poſitum aliquem in deſerta inſula, ubi a nemine inaugurari poſſet, mox ut a Rege Epiſcopus nominaretur, Epiſcopum fore. Atque hinc eſt quod Calviniſtæ perſuaſum habentes per Anglicanam Ordinationem nihil intrinſeci conferri, Anglicanos Epiſcopos non ægre ſuſciperent, dum a Catholicis Epiſcopis abhorrebant. Hinc etiam eſt, quod, licet Burnetus, & alii quidam Angli, verum genti ſuæ Epiſcopatum aſſerere conati ſint; alii tamen ingenui magis, & inter alios famoſus ille Scriptor Anglicanæ Reformationis, de quo ſupra nota ad num. 168. commentitium hunc Epiſcopatum, ut & ſæcularia officia in unam Principis auctoritatem refundit. Verum formam Anglicanam propius rimari lubet & indagare. Sic ergo rurſus progredior.

Ea forma intrinſece vitioſa eſt, quæ nec uſurpata eſt umquam, nec 104
uſurpari potuit in ulla Chriſtianorum ſocietate; quæque adeo toti antiquitati, penes ipſam ſubſtantiam, ſemper incognita fuit. Atqui talis eſt Eduardi VI. forma. Duabus enim de cauſſis Anglicana forma antiquitati cognita dicitur a Diſſertatore, 1. quia, juxta ipſum, forma Ordinationis conſiſtit generatim in certis precibus, per quas invocetur Spiritus Sanctus ſuper Ordinandum; quæque gratiam in Ordine conferendam exprimant, & munia ejus indigitent; 2. quia eæ preces ab Eccleſia etiam hæretica, ſaltem Nationali, determinari poſſunt, & ab Anglicana ſufficienter determinatæ fuerunt. Atqui falſum eſt 1. preces, in quibus Anglicanæ Ordinationis formam, invitis forte Anglicanis, reponit Diſſertator, ſufficienter in Ordinali Anglicano determinari. Siquidem preces in quibus Ordinationis forma conſiſtit, exprimere debent, & apud omnes mundi populos exprimunt verum Sacerdotium, verum proinde Altaris miniſterium, adeoque veram offerendi ac ſacrificandi poteſtatem; & ad hæc exprimenda determinantur, tum per verba ipſa, tum per publicam Ordinantis & Ordinandi fidem. Sic in Ordinatione Græcorum Ordinans Epiſcopus petit pro ordinato Presbytero, *ut fiat dignus qui aſſiſtat ſine querela ſanctuario Dei*, atque ut offerat *dona & ſacrificia ſpiritualia*. Et jam a ceremoniæ initio Diaconus *ſacræ aræ* incumbens, promoveri dicitur in Presbyterum, quo Presbyteri nomine verum Sacerdotem vero Sacerdotio, adeoque vera ſacrificandi poteſtate donatum tota ejus intelligit Eccleſia. In Ordinatione vero Epiſcopi ſecunda oratio de Epiſcopis loquitur tamquam *qui Chriſti vicem & thronum obtineant*, *ut offerant ſacrificium & oblationem pro populo*. Eæ porro orationes, cum manuum impoſitioni conjunctæ ſint, Ordinationis formam continent vel exponunt. Sed & eædem ritus ſunt perantiqui, cum præceſſerint ſchiſma, & Græci receptos a Patribus uſus tenaciter conſecraverint. Sic in conſecratione Patriarchæ Alexandrini ſæpe repetitur *ſummi Sacerdotii* nomen; & a Deo petitur ut promovendus offerat ipſi *ſacrificium purum & ſanctum diebus omnibus*; utque *Sacerdotium* ejus uſque in finem conſerve-

tur immaculatum. Sic in pleriſque Orientalium Ritualibus petit Archidiaconus ut N. ordinetur *ad altare*, eique *Sacerdotium* conferatur. Sic & in Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ Ordinationum formas exhibent, Epiſcopi conſecrator (Lib. 8. c. 3.) precatur, ut is Deo placeat *offerendo* ipſi *mundam & incruentam Hoſtiam*, *quam per Chriſtum* inſtituit *myſterium novi Teſtamenti*. Qui vero Presbyterum ordinat, ibid. c. 24. ſupplex petit a Domino ut Neomyſta *ſacrificia pro populo immaculata perficiat*. Idem eſt Pontificalis Romani ſenſus: in ejus enim oratione, quam a primis temporibus Latina uſurpavit Eccleſia, poſtulat Antiſtes, ut Deus *ſuper hunc famulum* ſuum *benedictionem Sancti Spiritus*, *& gratiæ Sacerdotalis virtutem* infundat. Quæ vero ſit hæc Sacerdotalis gratia jam ab initio admonuit Epiſcopus his verbis: *Sacerdotem oportet offerre*.

285. Cum ergo, juxta Diſſertatorem ipſum, preces communi & invariabili Eccleſiarum omnium uſu conſecratæ, ad Ordinationis ſubſtantiam merito pertinere judicentur; aliunde vero certum ſit nullam eſſe toto in Orbe Eccleſiam, quæ inter ordinandum mentionem non faciat Sacrificii, Altaris, Hoſtiæ aut Sacerdotii; planum eſt Anglicanam Ordinationem nullius eſſe poſſe momenti, niſi ejuſdem rei mentionem faciat, vel expreſſe, vel ſaltem virtualiter & implicite, ita tamen ut mentio hæc, ſi ſolum implicite fiat, ex communi hujus Eccleſiæ ſenſu omnibus perſpecta ſit. Atqui longe diſtat Anglicana Ordinatio ab hac veri, ſeu Sacerdotii, ſeu ſacrificii mentione peragenda. Hujus enim Ordinationis formam reponit Diſſertator in precibus impoſitionem manuum præcedentibus. Atqui preces illæ nihil etiam implicite habent de vero Sacerdotio. Precatur Antiſtes Deum ut gratiam Ordinando conferat, qua is miniſterii ſui functiones rite obeat? Verum eæ functiones in hoc tantum conſtituuntur, ut Ordinandus plebem Dei regat, inſtruat & paſcat verbo. Nulla ibi vox quæ Sacerdotii aut ſacrificii ideam ſuppeditet. Si quid decerptum ſit e Pontificali Romano, ſcrupuloſe cautum eſt, ne inde Sacerdotii notio enaſci poſſet. Vox Presbyteri ſic a Reformatoribus explicata eſt, ut ſeniorem exprimat, non Sacerdotem, ſeu ſacrificii Miniſtrum. Unde Pilkington, ex quo licet non nominato multa ſubripuit Diſſertator, *Nulli*, inquit, *jam ſunt*, *proprie loquendo*, *Sacerdotes*, *quia Euchariſtia non eſt proprie ſacrificium*. * Hinc quæ per Ordinale Eduardi traditur Presbytero Anglicano poteſtas remittendi peccata, palam intelligitur Calvini ſenſu, adeoque eſt poteſtas mere exterior, nec alia eſſe poteſt, quia nullum eſt apud Anglos Pœnitentiæ Sacramentum. Epiſcopi nomen ad ſignificandam Inſpectoris & Præpoſiti perſonam ubique determinatum eſt, nec alia, ex Hornii ipſius confeſſo, de cauſſa retentum, quam quia per illud ſuperioritas & regimen exprimuntur, ut notat Stapleton. Nulla item ſuperſunt Altaria; hæc enim, populo licet ad arma concurrente, tandem diruta ſunt, ſolaque ſervata eſt menſa, Zuingliano more; quia Altare ordinatur ad Sacrificium, menſa vero ad manducationem. Miniſter profana ut plurimum veſte, numquam Sacerdotali indutus, ſiſtit ſe ad menſæ latus, capite ad meridiem converſo, ne ſi Orientem reſpiciat, idem cum Romanis Sacerdotibus celebrare cenſeatur.

Ne-

* Apud Theodoric. a S. Renato, Tom. 2. pag. 141. & 143.

Ne autem gratis hæc dicta videantur, juvat quoſdam e Primariis 186
Ordinationum Reformatoribus, quos cordatus quiſquis ſubverſores potius nominaverit, audire. Robertus Horn, Cranmeri diſcipulus, & ab Elizabetha creatus Vintonienſis Antiſtes, expreſſe declarat Presbyteri nomine non intelligi hominem qui ſacrificium offerat: ſed, inquit, *Presbyteri Ordo hoc ſenſu ſumptus ſolum ad Clerum Apoſtaticum Romanum pertinet; & propterea, ſi uſpiam Miniſtros Chriſti Sacerdotes nuncupavero, ſciatis velim me tantum uſitatam & diu receptam conſuetudinem loquendi,* LICET IMPROPRIAM *ſequi.* Cranmerus audentior, quia ſacrificium rejiecebat, rejicebat & Sacerdotium. *Nondum*, inquit, Maſſonius, *excogitaverat Sacerdotium non requirere verum ſacrificium.* Concinit Witaker Anglicanus his verbis: *Si vobis laici videmur, equidem non dolemus: Sacerdotes quidem nec eſſe, nec haberi volumus. Nulli ſunt Sacerdotes, qui Sacrificium divina auctoritate faciant.* Hinc in Bibliorum verſione per Parkerium recognita, vox *Presbyter*, Anglice *Prieſt*, quoties in novo Teſtamento occurrit, reddita eſt per vocem *Elder*, quæ ſeniorem ſignificat.

Reſpondet equidem Diſſertator hujuſmodi Auctores Presbyteranos 187
fuiſſe. Sed 1. conſtat eorum nonnullos fuiſſe Epiſcopales. Siquidem Pilkington non erat Presbyteranus, cum ſuum de controverſiis Librum ſcripſerit ſuadente Georgio Abbot Cantuarienſi Metropolita, Epiſcopalibus devotiſſimo, & ei in dedicatione multos in bonum fidei annos deprecetur, quod non faciat Presbyteranus, qui Epiſcopales pro Semipapiſtis habet. Atqui tamen Pilkington Zuingliano plane modo præſentiam realem negat, eaſque contra ipſam adhibet probationes quibus utuntur Sacramentarii, puta quod Corpus Chriſti ſit in cælo; quod ſimul pluribus in locis eſſe non poſſit, &c.

2. Non utique Diſſertatoris cauſſam juvat Cranmeri, aliorumque 188
Romani Pontificalis corruptorum Presbyteraniſmus, immo ſubvertit. Qui enim dum potiora antiquæ formæ verba ſubtraherent, quaſdam tantum retinebant ejus voces, quas ſenſu palam hæretico interpretabantur; ii ſane aliud facere intendebant, quam inſtituerit Chriſtus & intendat Eccleſia. Atqui Reformatores... neque circa id mentem ſuam diſſimulabant. Ergo

Confirm. 1. ex S. Thoma part. 3. q. 60. art. 8. O, ubi hæc: *Si Mi-* 189
niſter Sacramenti intendat per additionem vel diminutionem alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur quod intendat facere quod facit Eccleſia. Atqui per diminutionem in Romano ritu factam alium Angli ritum induxere, a quo quidquid ſacrificium aut verum Sacerdotium exprimeret, ſuſtulerunt. Immo nec, ſi nudas Sacrificii & Sacerdotii voces, detorto penitus earum ſenſu, retinuiſſent, idem intendiſſent quod intendit Eccleſia: ſicut nec idem intendiſſet cum Eccleſia, qui baptizando in nomine Patris, & Filii, &c. palam & exterius profiteretur, ſe Patris nomine Noetum, nomine Filii Praxeam, nomine autem Spiritus S. Montanum intelligere.

Confirm. 2. quia ſi, ut Diſſertatori placet, Ordinalis Eduardi forma 190
* ad veram Ordinationem ſufficiat, neceſſum eſt ut in Cœna ab Angli-

* Male dicitur materia & forma, ubi deeſt Sacramentum.

glicanis confecta Corpus Chriſti reipſa præſens agnoſcatur. Sicut enim, juxta ipſum, Epiſcopus Anglicanus vere ordinat, quia vere eſt Epiſcopus; ſic & Anglicanus Sacerdos cum debitis materia & forma vere conſecrat. Atqui Catholicorum nemo hactenus Chriſtum ut præſentem in Anglicana Cœna adoravit: neque id a Diſſertatore, ex quo Angliam incolit; factum opinor. Ergo. Atque hinc

191 Tertio, Anglicanum Ordinale, non modo non includit, ſed & poſitive excludit debitam intentionem. Intentio enim debita jure ac merito ea dicitur, quam ante Zuinglii ac Calvini novitates conſtanter habuerunt omnes mundi Eccleſiæ, ne demptis quidem ſchiſmaticis. Atqui ante Zuinglium, ejuſque aſſeclas, ea ſemper fuerat omnium mundi Eccleſiarum intentio, ut Sacerdotes initiando, veri ſacrificii Miniſtros conſecrarent; quia quidem ab idea, tamquam ab apoſtatici Cleri Romani figmento, abhorrent Anglicani novatores, ut ſupra probavimus. Ergo.

192 Prob. 2. eadem noſtra theſis. Ordinatio facta ſecundum Rituale, quod nullam omnino vim, vel, ut minimum, ſufficientem vim non habebat, nullius omnino momenti eſſe potuit. Ita fatetur Diſſertator, nec immerito: quia ſi mutatio in formas Sacramentorum induci poteſt, utique nonniſi per certam legitimamque auctoritatem induci poteſt. Atqui Parkerii ordinatio ann. 1559. ſi Lambethæ peracta ſupponitur, peracta eſt ſecundum Rituale, quod vim nullam habebat, vel ad minus non habebat ſufficientem.

193 Ut probetur minor, ſupponenda ſunt duo apud omnes recepta, 1. Ordinale Eduardi an. 1553. ſub Maria Regina proſcriptum fuiſſe per Cardinalem Polum, Catholicoſque omnes Epiſcopos, accedente Parlamenti conſenſu. 2. Legem quæ abrogata eſt, tamdiu, in Anglia præſertim, non vigere, donec abrogationi ejus derogetur; de quo vide P. Theodoric. Tom. 2. pag. 298.

194 Atqui certum videtur, Ordinale Eduardi a Parlamento ann. 1559. proinde ante Parkerii conſecrationem non fuiſſe reſtitutum. 1. Quia in Actis Parlamenti hujus ne unum quidem extat de Ordinali iſto verbum.

195 2. Quia juxta Diſſertatorem (Tom. 1. Defenſ. pag. 297.) Bonnerus Londinenſis, ut intentatam ſibi ab Hornio Vintonienſi Pſeudopræſule, agnoſcendi Suprematus actionem excluderet, ex eo potiſſimum * probat Hornium non eſſe Epiſcopum, quod juxta Ordinale Eduardi nondum reſtitutum ordinatus fuiſſet: quæ exceptio notorietatem facti ſupponit, ut notat Theodoricus pag. 302. Hinc inſignis ille Stapleton. *Et tamen*, inquit, *Epiſcopi... ſecundum legem Eduardi, eamque Maria regnante abrogatam, & nondum ab Elizabetha reſtauratam inſtituebantur*. Hinc & coætaneus Scriptor Sanderus aſſerit primos illos Antiſtites, *cum vulgo dicerentur, & ipſis Anglicanis Legibus probarentur non eſſe Epiſcopi, brachium ſæculare invocare coactos fuiſſe, ut ipſis condonaretur quod minus rite & legaliter in priori inauguratione geſtum erat*. Unde ait, *nomen illis impoſitum ut Epiſcopi Parlamentarii dicerentur*.

3. Pro-

* Hoc quidem medium non omittebat Bonnerus, at nec ei potiſſimum, nec ſoli innitebatur, ut dixi num. 60.

3. Probationem hanc confirmant ea quæ in Parlamento ann. 1566. geſta ſunt & dicta. Ibi enim dictum eſt 1. multos eſſe apud quos nata ſint dubia circa conſecrationem Epiſcoporum Regni. Hi porro multi non erant ex Catholicis; neque enim ii dubitabant, ſed plane inficiabantur validitatem hujuſmodi conſecrationum; ut ex ipſo Hardingo patet, qui ſecundum Ordinale Eduardi initiatus, ſeſe confeſſus eſt invalide ordinatum, 2. ut hanc difficultatem ſolvat Parlamentum, non utitur naturali & obvia reſponſione; ſeu non dicit, approbatum cenſeri deberi Ordinale Eduardi per approbationem Libro communium precum datam; ſed tantum declarat bonum eſſe Rituale hoc, & deinceps præſentis hujus Parlamenti auctoritate valiturum. Quantum vero ad Ordinationem Parkerii, hanc valuiſſe probat, quia ex Mandato Reginæ peracta eſſet : addi poſſit, & completa : Neſcit enim nemo celebrem hanc, quam ſuo Parkerii Ordinandi Mandato adjunxit Clauſulam Elizabetha : *Supplentes nihilominus ſuprema auctoritate noſtra Regia... ſi quid aut in his quæ juxta Mandatum noſtrum prædictum per vos fient, aut in vobis, aut in veſtrum aliquo, conditione, ſtatu, facultate veſtris ad præmiſſa perficienda deſit aut deerit eorum, quæ per ſtatuta hujus Regni, aut per leges Eccleſiaſticas in hac parte requiruntur*, AUT NECESSARIA SUNT, *temporis ratione, & rerum neceſſitate id poſtulante. In cujus rei, &c. Teſte Regina apud VVeſtmonaſterium VI. die Decemb.* (1559.) Quæ clauſula eo uſque temeraria eſt & impia, mirum ut ſit eam juxta Canoniſtas Anglos, quos citat, nec utique redarguit Diſſertator pag. 55. approbari potuiſſe. 196

4. Ideo contendit Diſſertator Ordinale Eduardi ab Anglico Senatu an. 1559. reſtitutum fuiſſe, quia idem Ordinale per Senatuſconſultum an. 1552. evaſerat pars Libri communium precum, quem omnes an. 1559. reſtitutum fuiſſe confitentur. Atqui falſum eſt omnino Eduardi Rituale habitum fuiſſe pro parte Libri communium precum. 1. Quia idem Liber ſecum non comparatur. Atqui an. 1552. Senatus Anglicus Eduardi Ordinale conferebat cum Libro communium precum. Quandoquidem declarabat eamdem fore Ordinalis hujus auctoritatem, quæ Libri communium precum, 2. quia cum variæ Libri alicujus partes nonniſi unum idemque volumen conſtituunt, volumen illud una tantum, non duplici approbatione donatur. Atqui Parlamentum an. 1552. aliam Ordinali, aliam Libro communium precum approbationem dedit; & utrique aliud & aliud Statutum ſuum juſſit conjugi. 3. Quia Synodus Londinenſis, cui an. 1562. præfuit Parkerius, ipſe ſui propria in cauſſa judex, Ordinationes ab an. 1559. habitas valere judicat; nec mirum, cum is non eſſet Parkerius, qui ſe ipſum degradaret. Porro validitatem hanc non fundat Parkerius in approbatione quam Ordinali dederit an. 1559. Parlamentum. (Ecquis tamen, Deus bone! crediderit, approbationem hanc, ſi vera fuiſſet, a Parkerio fuiſſe omittendam; cum id ambiret unum, ut conſecrationem ſuam ſecundum Regni leges valuiſſe demonſtraret) ſed eam fundat in approbatione Parlamenti an. 1552. Atqui hæc approbatio ſub Maria revocata fuerat. Ergo. 197

Senſit rei hujus veritatem Burnetus, quam ut eludat, reſpondet ex revocata per Mariam Ordinalis approbatione, nihil contra ordina- 198

tio-

tiones quatenus res ſunt ſacra & Eccleſiaſtica inferri poſſe; ſed tantum quatenus actio ſunt civilis & politica. Aſt in primis demonſtrandum erat in Ordinationibus ad mentem Zuinglianam, quæ prohinc a Rege, tamquam ſupremo rei tam ſpiritualis, quam civilis moderatore, vim totam habebant, celebratis, aliquid ſacrum fuiſſe & vere Eccleſiaſticum. Id vero aſſeret quidem Burnetus, licet qui hodie ſunt Angli, ſacrilega reformationis ſuæ primordia tacite execrentur, ut & Calvinianæ palam exhorrebat Grotius: ſed nequidem probare tentabit.

199 Verum age: ſupponamus reſtitutum fuiſſe in Parlamento an. 1559. Eduardi Ordinale; nihilo plus proficiet recens Anglicani Miniſterii vindex. Quia Ordinale Sacrum reſtitui non poteſt niſi Eccleſiaſtica auctoritate, eaque legitima. Atqui ex ſupra dictis Epiſcopi legitime conſecrati, atque in carceres ab Elizabetha inverecunde conjecti, nuſquam reſtitutioni huic conſenſerunt. Ii enim omnes, qui numero quindecim erant, & ſecundum Romani Pontificalis normam fuerant conſecrati, novum deteſtabantur Eduardi Rituale, & contentam in eo Regii Suprematus profeſſionem; cujus Sacramentum, dempto Landavenſi Epiſcopo, præſtare omnes recuſaverunt. Atque id tradunt Hardingus, Doctor Fulke Poteſtans, qui an. 1584. ſcribebat, &c. Vide le Quien Tom. 1. pag. 500.

200 Nec eſt quod opponat Diſſertator approbationem Ordinali huic ſub Eduardo datam. 1. Quia hæc anno regnantis Mariæ primo retractata fuerat. Eadem porro in his erat Mariæ auctoritas quæ Eduardi; immo & longe major, cum ex Eccleſiæ totius voto aut imperio ageret. 2. Quia approbatio ſub Eduardo data, vel omnino laica erat, vel in ipſis etiam Epiſcopis a Laica Regis auctoritate oriebatur. 3. Quia non valet approbatio, niſi fiat a majori & ſaniori parte: Porro non aſſenſit novitati per Eduardum invectæ pars Epiſcoporum major & ſanior. Immo tam alte reclamaverunt, ut depoſiti idcirco fuerint, aliique in eorum Sedes immiſſi: Quin & in ipſo Eduardi Parlamento, ubi propoſitum eſt novi Ordinalis elucubrandi conſilium, Epiſcopi quinque palam diſſenſere, uti jam advertimus.

201 Prob. 3. Eæ Ordinationes invalidæ cenſeri debent, quarum invaliditatem ſollemnibus judiciis tota agnoviſſe videtur Eccleſia. Atqui Ordinationum Anglicanarum invaliditatem..... Earum quippe Ordinationum invaliditatem tota agnovit Eccleſia, quas conſtanter iteravit, aut irritas declaravit Eccleſia Romana; Eccleſia Anglicana, quamdiu Catholica fuit; & Eccleſia Gallicana; nulla umquam reclamante Eccleſia, ſed uno reclamante Corayero. Atqui Eccleſia Romana, licet ab Ordinationibus iterandis abhorrens, &c.

202 Minorem de Eccleſia Romæ ſpectata qua tali, probant plures ex Bulla Julii III. ad Cardinalem Polum die 8. Martii 1554. tranſmiſſa, quam ſuas in partes trahit Burnetus, & poſt ipſum Diſſertator. Ibi mandat Pontifex ut idem Polus cum iis Epiſcopis & Archiepiſcopis, *qui Eccleſias Cathedrales & Metropolitanas de manu Laicorum, etiam ſchiſmaticorum, receperunt*, diſpenſet, *ut in Epiſcopos & Archiepiſcopos præeſſe, ipſaſque Eccleſias in ſpiritualibus & temporalibus regere & gubernare, ac munere conſecrationis hactenus eis impenſo uti; vel ſi illud eis nondum impenſum extiterit,* ab-

ab Epiſcopis vel Archiepiſcopis Catholicis per te, ait Julius, *nominandis ſuſcipere libere & licite poſſint*. Ibi Pontifex duo diſtinguit Epiſcoporum genera, quorum aliis impenſum fuerat validæ conſecrationis munus, aliis vero non, quibus tamen licitum erat ad Ordines a Catholicis Epiſcopis promoveri. Atqui, ajunt, poſteriores iſti, qui ſex vel ſeptem in Cranmeri Regiſtro inveniuntur, non alii eſſe poſſunt ab Epiſcopis ſub Eduardo ordinatis. Qui vero conſecrationem valide receperant, & tamen illicite, ii ipſi ſunt qui ſub Henrico VIII. ordinati fuerant; quique idcirco ad Ordinis ſui exercitium diſpenſatione indigebant. Ergo pro non ordinatis habebantur, qui juxta Eduardi ritum fuerant inſtituti. Hæc illi, quæ forte non ſunt admodum efficacia, 1. quia per Epiſcopos, quibus nondum impenſum erat conſecrationis munus, intelligi ii poſſunt, qui conſecrationem omnem eluſerant; 2. quia negat Harduinus, infra nu. 2... ullos inſtitutos fuiſſe Epiſcopos ſecundum Eduardi Rituale, tempore inter ejus approbationem, & factam ipſius ſub Maria condemnationem medio. Quibus poſitis Ridleyus & alii quidam Pſeudoantiſtites non ideo a ſolo Presbyteratu degradati eſſent, quia in Epiſcopos ſecundum Eduardi ritum inſtituti eſſent; ſed quia Ordinationem eluſiſſent. Et hæc, quæ inveſtigare nunc non licet, numero ſequenti, & alibi paſſim in animum revocanda erunt.

Idem pluribus exemplis confirmari poteſt: verum uni immorabor. 203
Cum N. Gordon, Glaſcovienſis in Scotia Epiſcopus, ejurato opera Ill. Boſſueti Proteſtantiſmo, ad Eccleſiæ ſinum reverſus, ſeſe Romam contuliſſet, Ordinationes Anglorum, e quibus pendent Scoticæ, accurato ſubjacuerunt examini de mandato Clementis XI. rebuſque, ut in ea Curia ſolet, mature diſcuſſis, judicatum eſt nullam fuiſſe Gordoni Ordinationem: unde & ei Tonſuram contulit Clemens XI. atque is ſub Abbatis Clementis nomine ſuperſtes erat, cum librum ſuum emiſit Diſſertator, quem & Epiſtola, non utique gratulatoria, confixit.

2. Eaſdem Ordinationes iteravit Eccleſia Anglicana, Maria regnante; nec certe motu proprio, ſed conſulto antea Rom. Pontifice iteravit. Porro iteratas eas fuiſſe, ſeu, quod idem eſt, Eduardi Ordinationes pro invalidis habitas fuiſſe, multiplici ratione demonſtratur; 1. quia ex Diſſertatoris ipſius confeſſo, qui morte damnati ſunt, ab iis ſolum degradati ſunt Ordinibus, quos juxta Rituale Romanum ſuſceperant. Sic Ridleyum a Presbyteratu ſolum, non autem ab Epiſcopatu degradavit Brovvn, quia, inquiebat, *te Ridley, pro Epiſcopo non habemus*. 2. Quia ut refert Heylinus ipſe, in primo quod habitum eſt ſub Maria Parlamento (cui initium fecit dies Octobris quinta an. 1531. finem vero dies ſexta Novembris) omnes quæ ſecundum Eduardi Rituale peractæ fuerant Ordinationes, nullæ & invalidæ declaratæ ſunt. Iſtud autem Parlamenti judicium nonniſi conſequenter ad Orthodoxorum Nationis Antiſtitum ſententiam latum eſſe, hinc maxime patet, quod totam Eccleſiæ Catholicæ praxim atque agendi rationem renovaret Maria. Non ſinunt autem Eccleſiæ Catholicæ mores, ut Laici de Ordinationum valore vel nullitate judicium ferant, niſi ex prævia Eccleſiaſtici Senatus definitione. 3. Quia articulus 15. Inſtructionum,

num, quas miſit Maria ad Epiſcopos, ut fidem & debitum ordinem ſuis in Diœceſibus reſtituerent, hæc habet : *Quantum ad eos ſpectat, qui hactenus ad illos Ordines juxta novum ordinandi ritum promoti fuerint; quandoquidem non erant* REVERA *ordinati, Epiſcopus cujuſque Diœceſis, ſi eos invenerit capaces, quod illis deerit, ſupplebit*. Hæc quidem verba : *non erant revera ordinati*, vertit Diſſertator, per to : *proprie non erant*, id eſt non erant ritu Romano ordinati. Sed 1. qui proprie non ordinatur, reipſa non ordinatur. 2. Vox Anglica : *in very deed*, non idem ſignificat quod *proprie*, ſed *in re ipſa*, *reapſe*, *revera*, ut fatentur Angli eruditi. Ergo ſtat pro vere ordinatis habitos non fuiſſe, qui juxta Eduardi Ordinale inaugurati fuerant.

205 Reponit Diſſertator peſſimam hanc exiſtimationem prodiiſſe ex inſcitia, ex principiorum defectu, & ex mala, quæ tunc inoleverat opinione, ſcilicet invalidas eſſe Ordinationes a ſchiſmaticis factas.

206 Verum inuſta hæc toti Anglorum Clero imperitiæ nota notam temeritatis Diſſertatori promeruit. 1. Enim non eo uſque Doctoribus eruditis vacua erat major Britannia, ut neſciret nemo ab annis circiter 400. exulare e Schola opinionem de invaliditate ordinationis hæreticos inter aut ſchiſmaticos peractæ. Advocaverat Maria peritiores Europę viros. Nihil moliebatur Cardinalis Polus inconſultis qui ſibi aderant Theologis, quorum duo, Petrus ſcilicet & Dom. Soto, Tridentinæ Synodo cum laude interfuerant: Alii vero, nimirum Barthol. Caranza, & Joannes de Villagaricas, plenam Canonici Juris & Theologicarum rerum notitiam ſibi comparaverant. 2. Si ordinationes a ſchiſmaticis factæ pro irritis habitæ fuiſſent, quicumque ſub Henrico VIII. vel Zuingliani, vel a Zuinglianis ordinati eſſent, immo & Canmerus ipſe, qui hæreſim aperte profeſſus erat, nec ab Epiſcopatu, immo ſæpius nec ab ipſo Presbyteratu degradati eſſent. Atqui tamen ab eo degradati ſunt, quia ſecundum Pontificale Romanum ordinati erant: iiſque tantum recuſata eſt Ordinis ſui degradatio, qui vel ſe ordinatos finxerant, vel ſecundum novos Eduardi ritus ordinati erant. *Vide P. le Quien, T. 1. Nullitatis, p. 139.*

207 Et vero Anglicanis ipſis, quidquid exterius ſimulent, ordinatio ſua dubia & anceps viſa eſt. Fama eſt ex viris omnimoda fide dignis Miniſtrum Stephens ad Græcum Philippopoleos, tum ad Catholicum Epiſcopum recurriſſe, ut ab iis ordinaretur; quod renuerunt, niſi antea errores ſuos ejuraret. Catholicum quæſivit quoque Anglus alter, Patri le Quien notus, ut ab eo ordinaretur; idque poſt diligens Ordinationis ſuæ examen. (*Ibid. Tom. 2. pag. 322.*) Idem jam ab initio Anglis objecit Andreas Eudemon, &c. Quæ porro Anglis ipſis dubia ſunt, cur certa nobis videantur?

208 3. Demum hanc iterandæ Anglicanorum Ordinationis praxim tam conſtanter admiſit Eccleſia Gallicana, ut in ea nemo ex Anglicanis umquam ſacras ad functiones admiſſus fuerit, niſi iterum ordinatus. Duo quidem in contrarium exempla fidenter, ut Angli ſolent, citare auſus eſt aliquis gentis illius Scriptor. Sed male : prior enim nomine Gouffe, qui Oratorii Congregationem ann. 1652. ingreſſus eſt, etſi Anglicano ritu Ordinatus, & Guillelmi Laud Archiepiſcopi Cantuarien-

rienſis Capellanus, omnes Pariſiis Ordines ad formam Romani Pontificalis recepit; idque approbante erudito P. Morin, qui ea de cauſſa Ordinationes Anglicanas mature expendit. Poſterior vero D. Maſſy, Oxonienſis Eccleſiæ Chriſti Decanus, Diaconus Anglicanus, omnes Ordines, ipſumque Diaconatum ſuſcepit, poſtquam, lite de Anglicanorum Ordinationibus coram doctiſſimo Harlæo diu ventilata, judicatum eſt ordines ab Anglis collatos nihil præter fucum & inanem fumum complecti. *Vide le Quien Tom. 2 Nullit. pag. 316. & ſequent.* ſed & vide Paſtorale documentum Antonii Cardin. Noallii adverſus Diſſertationem Corayeri, ubi eamdem praxim confirmat.

Eamdem theſim alio medio probat Doctiſs. Tournelyus pag. 28. in hunc modum. Illa Ordinatio tamquam nulla rejicienda eſt, quæ peccat in forma eſſentialiter requiſita. Atqui Anglicana ordinatio peccat, &c. 209

Minorem ut probet, ſupponit 1. uti certum quid, Ordinationis formam in oratione reponi, 2. ad valorem orationis hujus non requiri ut iiſdem plane verbis in Eccleſiis omnibus exprimatur; 3. requiri tamen ut eumdem ubique ſenſum habeat, *& quidem aptum & idoneum ad finem, ſeu effectum Sacramenti deſignandum*; ita ut *mutato* hoc *ſenſu nulla* ſit *& irrita Ordinatio*; 3. privatum Miniſtri errorem in oratione, ſeu forma alicujus Sacramenti uſurpanda, privatamque ejus circa materiam & formam opinionem, valori Sacramenti non obeſſe, modo eſſentialis formæ ſeu orationis ſenſus cum legitima materia retineatur; 4. cum Morino & ipſo Diſſertatore par. 1. p. 127. non poſse citra ridiculum credi, quod in collectione orationum, quarum nulla a Chriſto determinata eſt, hæc potius quam illa effectum Sacramenti operetur. Ex quo, ait Tournelyus, ſequitur, ad reprobandam velut invalidam Ordinationis formam, quæ in oratione reponitur, ſatis eſse ut in tota illa orationum ſerie aliqua ſit, quæ errorem contineat eſsentialiter contrarium formæ, fini & effectui Ordinationis. His poſitis, quæ pro ultima parte nonnihil habent difficultatis, ſic progreditur Doctor celeberrimus, & minorem ſuam probat.

Ea forma, ſeu oratio, eſsentialiter vitioſa eſt & invalida, cujus 210
ſenſus eſsentialiter contrarius eſt ſenſui quem Eccleſia intendit, & directe pugnat cum fine ſeu effectu Sacramenti Ordinationis. Atqui talis eſt ſenſus orationum, quæ in Eduardi Rituali ad Ordinationem præſcribuntur. Oratio enim, ſeu ſeries orationum, quæ errores manifeſte exprimunt, ſenſum habent eſsentialiter diverſum a ſenſu orationum Eccleſiæ. Atqui Eduardini Ritualis orationes errorem, nec certe unum, manifeſte exprimunt. Siquidem manifeſtus eſt error, profiteri quod Rex Angliæ ſit Eccleſiæ ſuæ caput, ac ſupremus controverſiarum fidei Judex; quod ita ſufficiat Scriptura, nihil ut opus ſit Traditione; quod Scripturam unuſquiſque ex proprio judicio, & abſque Conciliorum vel Eccleſiæ præſidio ſufficienter interpretari valeat; quod Roman. Pontifex, nedum tota in Eccleſia primatum gerat, immo tyrannus ſit, erroribuſque ac vitiis ſcateat; ac demum quod Ordinatio e Sacramentorum ſerie expungenda ſit. Atqui ſic ſe ha-

habent Ordinationes Anglicanæ, quod ut pateat de Epiſcopalibus, a queis ceteræ pendent, juvat earumdem ritus exponere.

211 Et quidem 1. Archiepiſcopus conſecrans, in locum Reſcripti Pontificii recitari jubet *Mandatum Regium de conſecratione Epiſcopi electi*.

212 2. Electus Epiſcopus iſtud de ſuprema Regis quantum ad omnia poteſtate juramentum præſtare jubetur: *Teſtor & ex conſcientia mea declaro, quod Majeſtas Regia unicus eſt ſupremus Gubernator hujus Regni in omnibus ſpiritualibus, ſive Eccleſiaſticis rebus aut cauſſis ... & proinde renuntio penitus & rejicio omnes extraneas juriſdictiones, poteſtates, ſuperioritates,* &c. ubi non modo Rom. Pontificis, ſed & Conciliorum, atque ipſius etiam Eccleſiæ auctoritas, tamquam Epiſcoporum conſecrationi, & ipſis etiam Eccleſiæ definitionibus extranea rejicitur.

213 3. Conſecrans Electum ſic interrogat: *An tibi perſuaſum habes te ad hanc adminiſtrationem vere vocatum eſſe juxta voluntatem D. N. J. C. & conſtitutionem hujus Regni*. Verum (ut omittam vanitatem perſuaſionis hujus, quam ſibi aſſerere, ne Chryſoſtomus quidem, Auguſtinus, aliique ejuſdem ſanctitatis innumeri auſi eſſent) quæ eſt Anglicani Regni *conſtitutio*, niſi ut excuſſa, quæ Rom. Pontifici ac Eccleſiæ toti debetur, obedientia, eas electus Epiſcopus hæreſes omnes teneat, quas nova Apoſtaticæ Anglorum Eccleſiæ Fidei profeſſio abunde complectitur?

214 4. Itidem a conſecrante interrogatur electus, *numquid perſuaſum habeat ſacras Scripturas ſufficienter continere omnem doctrinam, quæ neceſſario ad ſalutem requiritur; itemque ſtatuat per eaſdem S. Scripturas populum Fidei* ſuæ *commiſſum inſtruere, nihil præterea docendo vel aſtruendo tamquam ad ſalutem neceſſarium, quod per eaſdem credat confirmari vel demonſtrari non poſſe*. Ubi Traditionis neceſſitas hæretice rejicitur.

215 5. Pergit conſecrator, ſeu potius execrator: *Ergone in iiſdem Litteris ſtudioſe te ipſum exercebis, Deum invocando, ut aperiat tibi verum ac genuinum earum intellectum, quo poteris alios per eaſdem ſana doctrina erudire, atque exhortari, necnon convincere ac refellere veritati contradicentes?* Ubi non remittitur Electus ad Eccleſiæ interpretationem, ex qua obſcurum in pluribus Scripturæ ſenſum intelligat, ſed ad privatum ingenium, a quo genuinum Scripturæ intellectum ſic comparat, ut eadem in domo eumdem textum alius Zuingliano ac Presbyterano, alius Epiſcopali, alius Quaqueriano, alius alio ſenſu exponat.

216 6. Interrogatur deſignatus Antiſtes, *num paratus* ſit *fidelem ac diligentem operam impendere ad exterminandam & extirpandam quamcumque peregrinam, erroneam, veeboque divino contrariam doctrinam*, &c. Atqui dubio procul nulla jam eſt Angliæ doctrina peregrina magis & erronea, quam quæ ipſi olim ab Apoſtolo Anglorum Auguſtino tradita eſt, & hodieque in Eccleſia Romana, ſibi ſemper conſtante perſeverat, Unde Liber doctrinæ & politiæ Anglicanæ Londini excuſus an. 1617. præfixam habet Apologiam *pro ſua diſceſſione in utraque a graviſſimis Rom. Eccleſiæ corruptelis, tyrannide, idololatria, erroribus*, &c.

217 Hiſce interrogatis poſtquam ab electo Epiſcopo ſatisfactum eſt, Conſecrans Patrem cæleſtem orat, ut *qui hanc* electo *voluntatem conceſſit, concedat inſuper vires ac facultatem ad hæc efficaciter præſtanda, ut opus ſuum quod incæpit in ipſo, abſolvat*, &c. Atqui oratio hæc, quæ ad inter-

interrogata & reſponſa mox expreſſa, atque impietatis & erroris plena, certiſſime alludit, non poteſt valida & idonea cenſeri ad conciliandam novo Epiſcopo divinæ gratiæ opem. Ergo. Hæc vir doctus, quæ quoniam uberi & Aſiatico ſermone ſcripta ſunt, contrahenda eſſe exiſtimavi; ſic tamen ut iis, ſolidi nihil deperiret.

Verum, niſi fallor, probatio iſta hæc graviter nutat. Si enim Græ- 218
ci ab ordinando quopiam, ante impoſitas ei manus, exigant, ut confiteatur Spiritum S. a Patre ſolo procedere; Papam non eſſe viſibile Eccleſiæ caput; unam eſſe in Chriſto naturam, aut perſonas duas; & his præmiſſis ſuper eum fundant orationem, quæ per ſe, ac ſepoſitis iiſdem erroribus, formæ rationem obtineat; erit is dubio procul valide ordinatus. Atqui tamen non ea erit oratio conſecrantis quæ ſuper conſecrandum divinæ gratiæ opem allicere valeat. Immo nec alliciet, etſi quos uterque corde gerit errores, non profiteatur exterius. Ergo non ex profeſſis, aut corde retentis, Anglicanorum hæreſibus, repetenda eſt Ordinationis eorum invaliditas; ſed hinc quod eorum forma, (ſi quæ ſit forma, ubi deeſt Sacramentum) veri Sacerdotii ac Sacrificii ideam poſitive & notorie excludat. Hanc porro rationem haud ſatis tangit & expendit in hac ſua probatione Tournelyus.

Neque etiam cum eo conceſſerim, in collectione orationum quæ a 219
Chriſto determinatæ non ſunt, nullam eſſe quæ præ alia effectum Sacramenti operetur. In hac enim precum collectione una eſſe poteſt, quæ propius deſignando Sacramenti effectum, habeat ſe ut cauſſa efficiens, dum aliæ vel meræ erunt præparationes, vel effectus jam operati confirmatoriæ. Senſit id Anglia ipſa, cum Rituale factum ſub Eduardo, & confirmatum ſub Eliſabetha, paucis his ſub Carolo II. adauxit verbis, quæ intra parentheſim repono: *Accipe Spiritum S.* (*ad officium & opus Presbyterii in Eccleſia Dei, quod tibi committitur per impoſitionem manuum noſtrarum*) *quorum remittis peccata, remittuntur*, &c. Ubi voces, *ad officium & opus Presbyterii*, niſi ex notoria proferentis intentione in ſenſum Catholico ſenſui penitus adverſum torquerentur, meo quidem, licet non omnium judicio, gravis momenti forent. Sed quidquid de eis feratur judicii, conſtat eas nec effectum habuiſſe retroactivum, nec defectibus in priorum Anglorum Ordinatione commiſſis mederi potuiſſe.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. valent Ordinationes quas Sedes Romana ſollemniter approba- 220
vit. Atqui Ordinationes Anglicanas... Prob. min. ex Bulla Julii III. ad Cardinalem Polum die 8. Martii 1554. directa, ad reconciliandam Eccleſiæ Angliam, ubi poſtquam multa ſtatuit de ſingulis Regni ſtatibus, ſic demum proſequitur (apud Diſſertatorem pag. LII.) *Necnon de perſonis quorumcumque Epiſcoporum vel Archiepiſcoporum, qui Metropolitanam, aut alias Cathedrales Eccleſias de manu Laicorum, etiam ſchiſmaticorum, & præſertim qui de Henrici Regis, & Eduardi ejus nati receperunt, & earum regimini & adminiſtrationi ſe ingeſſerunt, & earum fructus, reditus & proven-*

tus, etiam longiſſimo tempore, tamquam veri Archiepiſcopi aut Epiſcopi temere & de facto uſurpando, etiamſi in hæreſim, ut præfertur, inciderint, ſeu antea hæretici fuerint, poſtquam per te unitati ſanctæ matris Eccleſiæ reſtituti extiterint, tuque eos REHABILITANDOS cenſueris; ſi tibi alias digni & idonei videbuntur, eiſdem Metropolitanis & aliis Cathedralibus Eccleſiis denuo ..... præficere valeas, &c. Et iterum: *Necnon cum quibuſvis per te, ut præmittitur, pro tempore abſolutis & rehabilitatis, ut .... in illis ..... licet minus rite ſuſceptis Ordinibus, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, necnon munus conſecrationis ſuſcipere, & illo uti libere & licite valeant, diſpenſare ... poſſis, plenam per præſentes concedimus facultatem*. Unde ſic: Eodem loquitur modo Pontifex de Epiſcopis ſub Henrico & ſub Eduardo conſecratis. Atqui non exigit ut conſecrentur de novo, ſed ſolum ut rehabilitentur. Ergo ratas habebat Ordinationes ſecundum Eduardi Ordinale peractas, ut & eas quæ ritu Romano ſub Henrico VIII. celebratæ erant.

221 R. 1. ſi Romana Sedes circa Ordinationes Anglicanas variaverit, ut Diſſertatori placet, non inde plurimum juvari cauſſam ejus. Quandoquidem ubi duo eadem de re occurrunt judicia, aliud latum rebus nondum eliquatis; latum aliud poſt diligens & longum examen, dubio procul adhærendum eſt poſteriori, præſertim quando Sacramenti graviſſimi ſecuritatem tuetur. Nihil autem eſt dubii, quin per duo ferme ſecula maturius expenſæ ſint Anglorum Ordinationes, quam ſub Julio III. expendi potuerint.

222 R. 2. prætermiſſa argumenti forma, quæ manifeſte vitioſa eſt, quia conſequentia de Ordinationibus ſecundum Eduardi Rituale peractis loquitur, præmiſſæ vero ſolum de conſecrationibus ſub Eduardo factis; quæ duo, ut ſtatim patebit, longe diſcrepant. R. inquam, neg. maj. quia falſo ſupponit Epiſcopos ſub Eduardo conſecratos, ſecundum Ordinale Eduardi conſecratos fuiſſe. Nimirum vero Eduardus, qui Henrico patri die Januarii 30. an. 1547. ſucceſſit, Ordinale ſuum nonniſi in Parlamento ann. 1552. promulgavit: ipſe vero an ſequenti die Julii 6. diem clauſit extremam: & ideo Rituale ejus, quod ſub Maria numquam viguit, viguit tantum per menſes ſeptemdecim: per illud autem temporis intervallum ne unus quidem ordinatus eſt Epiſcopus. Equidem qui ſchiſmati adhærebant, ut Cranmerus & alii, cum perſuaſum haberent Epiſcopale munus meram eſſe Regis commiſſionem, Eccleſias ſuas *de manu laicorum*, Eduardi ſcilicet, denuo receperunt, ut eas jam de manu Henrici receperant; at ii omnes juxta Pontificale Romanum conſecrati erant, vel conſecrati reputabantur. Unde nihil mirum ſi eos Julius ſolum rehabilitari præceperit, eo quia functiones ſuas non poſſent exercere, ut qui vel jam hæretici ante promotionem fuiſſent, vel poſt eam in hæreſim proruiſſent. Ita Harduinus in quæſtione juris cap. 5. pag. 195. & ſeq. Verum hæc multiplicis facti examen poſtularent. Suppoſito igitur, quod nonnulli Epiſcopi, poſtremis Eduardi temporibus, ſecundum hujus Principis Rituale inaugurati fuerint;

223 R. 3. neg. min. neque enim ab uſu Eccleſiaſtico alienum eſt, ut Sacramentum, etiam invalide vel dubie collatum, dicatur rehabilitari; prout

in

in Matrimonio patet. Ergo potuit Julius uti generali voce, quæ per accommodam diſtributionem intellecta, nunc ſolam Ordines illicite receptos exercendi facultatem largiretur, nunc pro ſubjecta materia veram novæ Ordinationis legem indiceret.

Hunc porro fuiſſe Julii ſenſum multa ſunt quæ demonſtrent. 1. enim ut diximus, duo ille ſecernit Epiſcoporum Anglicanas Sedes occupantium genera; quorum alii vere conſecrati fuerant; aliis *necdum impenſum* erat *Conſecrationis munus*. Atqui Epiſcopi illi, qui & Eccleſias occupabant, & tamen non fuerant conſecrati; vel ii ſunt qui poſterioribus Eduardi annis juxta novum Ordinale inſtituti erant; vel, (ſi nulli tunc ordinati fuerint, ut tradit Harduinus) qui Ordinationem, quam Zuingliano ſpiritu deteſtabantur, ſollicite effugerant; quique hoc etiam ſenſu rehabilitandi erant, quod violatis per hæreſim Ordinibus aliis, quos juxta Eccleſiæ Catholicæ ritum ſuſceperant, antea functionibus ſuis reſtituendi eſſent, quam Romano more ad Epiſcopatum denuo promoverentur.

2. Non ignoravit Julius III. Ordinale Eduardi in primo Mariæ Parlamento reſciſſum fuiſſe, & Ordinationes, quæcumque juxta ipſum peractæ erant, pro irritis habitas. Atqui tamen nihil umquam in hac Mariæ, ejuſque Parlamenti & Catholicorum agendi ratione redarguit ſummus ille Pontifex. 224

3. Nemo Julii mentem plenius aſſequi debuit, quam Maria & Julii legatus Cardinalis Polus. Atqui uterque Ordinationes juxta Eduardi ritum factas, etiam poſt receptum Julii Breve, pro invalidis habere perſeveravit. Dum enim Romæ Breve ſuum exſcribebat Julius, Maria inter varios inſtructionis articulos, quos ad Catholicos Antiſtites tranſmiſit, hunc numero decimum quintum repoſuerat: *Quantum ad eos ſpectat qui ad Ordines promoti ſunt juxta novum Rituale, cum illi vere ordinati non fuerint, Epiſcopus, ſi eos aliunde dignos judicaverit, ſupplere in eis poterit quod deeſt, & eos ad ſacrum miniſterium admittere*. Atqui poſt receptum, uno abhinc aut altero menſe, Pontificis diploma, nihil in illo articulo practice immutatum eſt. Ergo alio plane ſenſu Breve Julii intellexit Maria, quam intelligat Diſſertator. Sed & alio intellexit Card. Polus: Is quippe, cum Cantuarienſis Archipræſul inſtitutus eſſet, liberam die Januarii. 8. an. 1555. Capitulo ſuo facultatem dedit eos omnes e Clero redintegrandi qui ad unitatem Catholicam reverterentur, modo tamen debita forma ordinati eſſent: *Quodque*, inquit, *irregularitate & aliis præmiſſis non obſtantibus, in ſuis Ordinibus, etiam ab hæreticis & ſchiſmaticis Epiſcopis, etiam minus rite, dummodo in eorum collatione Eccleſiaſtica forma & intentio ſit ſervata, per eos ſuſceptis . . . etiam in Altaris miniſterio miniſtrare poſſint*, &c. Ergo erant tunc in Anglia Miniſtri, qui non erant ordinati ſecundum Eccleſiaſticam formam; quoſque ab Ordinum exercitio arceri volebat Julii III. Legatus. Atqui hi non alii eſſe poterant, quam qui ad Diaconatum aut Presbyteratum, juxta ſacrilegam Eduardi novitatem promoti fuerant. Ergo & hos pro nulliter ordinatis habebat Polus. Ergo cum ſuſpicari non liceat, eum, vel latum unguem, a Julii ſenſu deflexiſſe, neque etiam licitum eſt ſuſpicari Julium Ordinationes novo ritu factas pro validis habuiſſe. 225

226 Inſt. 1. cum Diſſertatore Tom. 2. p. 56. permittit ibid. Julius, ut ordinati ſub Eduardo, ex prævia Card. Poli diſpenſatione *in Ordinibus, licet minus rite ſuſceptis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare valeant.* Unde ſic: Eo loci agitur de Sacerdotibus ſecundum Ordinale Eduardi inſtitutis. Atqui hi dicuntur equidem *minus recte* ad Ordines promoti, non autem invalide. Ergo.

227 N. neg. maj. Hæc enim verba de iis intelligenda ſunt, qui in hæreſi & ſchiſmate, adeoque & illegitime ſacros ordines ſuſceperant; valide tamen, quia juxta veterem formam. Hi enim poſt ejuratam cum ſchiſmate hæreſim, erant quidem rehabilitandi, ſed nova non indigebant conſecratione: hunc porro eſſe Juliani Reſcripti ſenſum patet, tum ex iis quæ proxime dicta ſunt; tum ex perpetua, quæ ſub Mariæ Regno viguit, conſuetudine, eos qui ſub Henrico certe conſecrati eſſent non conſecrandi denuo; eos vero qui ſub Eduardo fuiſſent inſtituti, denuo ad Ordines eoſdem promovendi. Quis vero crediderit, & Rom. Pontificem de hiſce reordinationibus admonitum non fuiſſe; & eis, ſi ordinationes Eduardi validas judicaſſet, leniter fuiſſe conſenſurum? Adi le Quien Tom. 1. pag. 152.

228 Inſt. 2. Mens Julii non melius dignoſci poteſt, quam vel ex factis ſeu Mariæ ipſius, ſeu Bonneri Londinenſis Epiſcopi; vel ex mente Pauli IV. Romanæ poſt Julium III. * Cathedræ hæredis. Atqui hi tres ordinationem ex præſcripto Eduardi factam pro valida habuerunt.

229 Et quidem 1. Maria: hæc enim ſtatim ut regiam dignitatem aſſecuta eſt, mandavit ut Epiſcopi quam primum Diœceſes ſuas viſitarent, & in iis qui *ad Ordines, juxta novum ordinandi ritum, promoti fuerant, ſi eos invenirent capaces, quod illis deeſſet, ſupplerent.* Atqui ſi Maria hujuſmodi homines pro invalide ordinatis habuiſſet, non juſſiſſet tantum id ſuppleri quod deerat, ſed totum iterari.

230 2. Bonnerus, vir, ut norunt omnes, inſigniter Catholicus, hanc inter alias interrogationem, quæ eſt nu. 29 a Viſitatoribus fieri præcipit, *an aliquis ordinatus in ſchiſmate, aut ritu a ritu Eccleſiæ diverſo, aut illegitime poſt ſchiſma conjugatus, Miſſam .... celebraverit, antequam reconciliatus eſſet, vel ab Ordinario approbatus.* Sane qui ritu ab Eccleſiæ ritibus diverſo ordinati fuerant, ii ipſi ſunt qui ſecundum Ordinale Eduardi Ordines ſuſceperant. Atqui non requirit Bonnerus ut ii de novo ordinentur, ſed ſolum ut reconcilientur, ſicut & alii qui ſecundum veterem formam in ſchiſmate conſecrati fuerant. Ergo necdum tunc habebantur pro irritis Ordinationes ritu Eduardi celebratæ.

231 3. Paulus IV. aut certe Pius IV. teſte Cambdeno in Annalibus Eliſabeth, Part. 1. pag. 59. eidem Reginæ fidem dedit, ſe *ſententiam contra matris* ejus, Annæ Bolenæ *nuptias latam, tamquam injuſtam reſciſſurum, Liturgiam Anglicanam ſua auctoritate confirmaturum, & uſum Sacramenti ſub utraque ſpecie Anglis permiſſurum, dummodo illa Rom. Eccleſiæ ſe aggregaret, Romanæque Cathedræ primatum agnoſceret.* Atqui Rituale cujus approbationem ſpondet Rom. Pontifex, non cenſetur in Eccleſia Romana eſſentialiter vitioſum. Ergo.

R. ad

* Julio III. ſucceſſit an. 1555. Marcellus dierum 22. Pontifex, eidem eodem anno Paulus IV. huic an. 1560. Pius IV. quem excepit an. 1566. S. Pius V.

R. ad 1. neg. min. & dico nullam eſſe ex objectis auctoritatibus, 232
quæ validitatem novi Ordinalis etiam ſpecietenus adſtruat.

Neque enim 1. validitatem hanc probat qui objectus eſt Articulus XV. Mariæ; tum quia, ut pluries cum Vvitaſſio monuimus, non minus ſuppletur id quod eſſentiale eſt, quam quod accidentale; tum quia, ſi vocem *ſupplere* ſtrictius interpretari placet, multi erant in quibus totus Ordo non erat repetendus: iis enim qui juxta veterem Catholicæ Eccleſiæ formam Diaconatu inſigniti erant, Presbyteratu autem donati ſecundum Ordinale Eduardi, ſupplenda quidem erat Presbyteri Ordinatio, non autem quæ ab iis valide ſuſcepta erat Ordinatio Diaconi. Et vero qui reipſa & in veritate ordinati non erant, nova indigebant Ordinatione. Atqui juxta citatum Mariæ Articulum, qui Eduardi ritu ordinati erant, *in very deed*, ſeu *vere* & *realiter* ordinati non erant. Neque alio ſenſu vocem hanc interpretatus eſt Fox, qui eam primus retulit; licet hanc vitiligator Maſſonius per *plane & perfecte* reddiderit. *Vide Nullitatem denuo demonſtratam*, *Tom.* 2. *pag.* 48.

2. Neque eandem validitatem probat Articulus XXIX. Bonneri. 233
Sicut enim, teſte D. Bonaventura, *plus* aliquando dicunt Patres, *minus* volentes intelligi; ſic & aliquando minus dicunt, judicantes plus intellectum iri. Porro cum mitiori reconciliationis voce utebatur Bonnerus, merito ex circumſtantiis judicabat, ſe plene intellectum iri; cum & novæ Ordinationes a Parlamento nullius eſſe roboris declaratæ eſſent, & ex XV. Mariæ Articulo conſtaret, eos qui ſecundum Eduardi Ritum ordinati erant, reipſa non fuiſſe ordinatos.

Et vero nemini dubium eſſe poteſt, quin Matrimonia a Presbyte- 234
ris Apoſtatis contracta pro invalidis haberentur a Bonnero. Atqui tamen invaliditatem hanc mitiori *illegitimitatis* vocabulo exprimit. Ergo minus dicens plus vult intelligi. Adde quod qui ſub Henrico jam ſchiſmatico ordinati erant, ritu ab Eccleſiæ ritu diverſo ordinati eſſent, eo ſenſu quod impii Principis ſuprematum agnoſcere, inſuper vero Epiſcopi ſine prævio Rom. Pontificis diplomate inſtitui cogerentur. Et vero qui juxta Rituale Eduardi ordinati erant, non celebrabant Miſſam, quam ad minus tacite ejuraverant.

3. Nihilo amplius Diſſertatoris cauſſam juvat, quæ a Rom. Ponti- 235
fice oblata fuiſſe dicitur novi Ordinalis approbatio. 1. Quia etſi Eduardi Ordinale, poſt illam S. Pontificis approbationem valuiſſet, quia tunc a legitima prodiiſſet auctoritate; non tamen valuiſſent quæ ante juxta ipſum peracta erant; quia tunc temporis mera erat proles laicæ auctoritatis, quæ nihil poteſt in formas Sacramentorum, uti fatetur ipſe Diſſertator.

2. Quia falſum eſt oblatam ab ullo Rom. Pontificum fuiſſe Litur- 236
giæ Anglicanæ approbationem; 1. quia id non ut certum refert Cambden, ſed ut populari fama jactatum: *Fama*, inquit, *obtinet*, *Pontificem fidem dediſſe*, &c. ut ſupra. Hi porro rumores Rom. Pontificibus adverſi, qui ſæpius per Angliam vagantur, iis jam pridem ſolis fucum faciunt, qui decipere amant, vel decipi. 2. Quia qui Liturgiam Anglicanam approbaſſet Pontifex, approbaſſet Miſſæ & Sacrificii ſubverſionem, Sacramenta ad duo reducta, ceteraſque Anglicanæ gentis

impietates. Id autem credant & evulgent Proteſtantes: at vel retuliſſe erubeſcat Catholicus; 3. vel ipſi Proteſtantes fabulam hanc, quam tamen hiſtoriis ſuis ſagaciter inſeruerunt Heylin & Burnet, confutaverunt. *Hoc*, inquit, Joannes Durell, Anglicanus Presbyter, in vindiciis ſuis, pag. 99. *fabula mera eſt, ab illius temporis Puritanis conficta, ut Librum Communium Precum* (cui annexa ſunt Liturgia, & deinceps Ordinale Eduardi) *quaſi Papiſticum nimis, odioſum efficerent*. Idem tradit Fullerius, Lib. 9. Hiſt. Eccl. pag. 69. 4. Quia quis approbationem hanc obtulerit Pontifex non conſentiunt inter ſe rumoris hujus auctores; cum eum alii, ut Cokius, Pium V. alii Pium IV. alii Paulum IV. eſſe fabulentur. 5. Quia, ut ait Garneti Apologiſta adverſus Cokium, ſi Litteræ illæ Pii IV. vel alterius cujuslibet, veræ ſint, *cur numquam oſtenſæ? numquam prolatæ? nulla umquam earum mentio facta eſt in Adverſariorum noſtrorum Libris? Unde eæ tandem 4. & eo amplius annis, Eliſabetha ipſa mortua, extiterunt?* Mirum certe, ſi, cum a Pio V. excommunicata eſt Eliſabeth, litteras illas non protuliſſent Angli, ut eum prædeceſſori ſuo non conſentire demonſtrarent.

237 Et vero nullus erat Pontifex, qui neſciret Ordinationes juxta Ritum Eduardi factas, pro nullis habitas fuiſſe ſub Maria; idque ex prævio Cardinalis Poli, adeoque & Apoſtolicæ Sedis judicio. Atqui nemo facile credat Ordinationes ab uno Pontifice reprobatas, apud alium gratiam nanciſci potuiſſe. Sed nec facile ſibi quis perſuadebit, ſecundum Henrici VIII. Matrimonium, quod nonniſi ex conſilio ſapientiorum quorumque Orbis Catholici Theologorum irritaverat Clemens VII. approbandum fuiſſe a Papa, ob incertam, ne quid pejus loquar, Eliſabethæ converſionem.

138 Inſt. 3. cum Diſſertatore, Part. 2. pag. 48. præcipua probatio eorum qui Anglicanas Ordinationes ſub Maria pro irritis habitas fuiſſe cenſent, inde petitur quod qui ſecundum Ordinale Eduardi inſtituti erant, ab Ordinibus ſic ſuſceptis, antequam morte plecterentur, degradati non fuerint. Atqui probatio hæc nullius omnino eſt momenti. Si enim propter Ordinationis invaliditatem degradati non fuiſſent, qui juxta Formulam Eduardi ordinati erant, degradari debuiſſent qui ſub Henrici VIII. regno fuerant conſecrati: horum enim Ordinationes validas fuiſſe nemo eſt qui diffiteatur. Atqui nec ii tamen degradati ſunt. Non enim degradati ſunt Latymer, Epiſcopus Vigornienſis, Ridley, Epiſcopus Roſienſis, & Ferrarius, Epiſcopus Menevenſis; quorum tamen primus, ann. 1535. ſub Henrico VIII. ſecundus, ann. 1547. tertius, ann. 1549. ambo quidem ſub Eduardo, ſed ante inductam quamcumque in Ordinationis forma mutationem inaugurati fuerant. Ergo.

139 R. 1. hinc ad ſummum ſequi pro dubiis atque etiam invalidis habitas fuiſſe Ordinationes, quæ licet juxta veterem Ritum factæ eſſent, factæ erant ab hominibus, qui mente jam ad Zuinglianiſmum aperte converſa, præcipua formæ verba alio plane ſenſu palam & exterius intelligebant, quam intelligat Eccleſia. Horum autem Ordinatio ſi forte inanis judicata eſt, (bene an male, nihil ad nos in præſens,) quanto magis ceterorum inauguratio ſub Eduardo peracta, irrita judicari debuit?

Reſp. 2.

Reſp. 2. data, non omnino conceſſa majore; quia ſi probatio ex defe-ctu degradationis nutet, non ideo nutabunt ceteræ: R. inquam, ad 1. & 2. neg. min. tamquam de falſo ſupponente. Certo enim probari non poteſt, Latymerum, & alios duos, valide & juxta veterem Eccleſiæ formam conſecratos fuiſſe. Immo contrarium ex ipſo de quo nunc agimus facto, ſatis colligi videtur. Si enim degradatus eſt ab Epiſcopatu Cranmerus, quia ſub Henrico VIII. juxta Romanæ Eccleſiæ Ritum ordinatus fuerat; quidni, precor, Latymer & alii duo pariter degradati fuiſſent, ſi de ſuſcepto ab eis pari forma Epiſcopatu conſtitiſſet? Et vero hi tres a Presbyteratu, quia antiquitus recepto, degradati ſunt: quidni ergo & ab Epiſcopatu, ſi eum ſub legitima forma, & ex intentione generali id faciendi quod facit Eccleſia recepiſſent? 240

Et quidem 1. quod ad Latymerum ſpectat, duo apud Anglos certa ſunt, 1. Actum Conſecrationis ejus nullibi comparere; 2. eum, utpote in imis viſceribus Zuinglianum, opera Cranmeri, qui non ſecus ac ille Ordinationes Romanas execrabatur, potuiſse conſecrationem facili negotio devitare; interim vero dictitare ſe fuiſse ordinatum; idque eo verius, juxta mentem ſuam, quod ſolum Principis arbitrium conferendo Epiſcopatui ſatis eſſe arbitraretur. Unde nihil mirum quod honores & reditus iis ſolis qui conſecrati eſsent, impendi ſolitos obtinuerit. 241

2. Nec facile quis credat Ridleyum, cui & Ordinatio Romana, & prævia ad eam fides, blaſphema erant Diaboli figmenta, paſſum fuiſſe conſecrari antiquo ritu; poſito quod ceremoniam hanc effugere potuerit: Potuit autem ut & Latymer, immo facilius, cum eo tempore inſtitutus dicatur, quo ſub pupillari Eduardi ætate Aula tota totis pedibus in Zuinglianiſmum proruebat. 242

Teſtatur equidem Collierus, Tom. 2. Hiſt. Eccl. pag. 38. Ridleyum a Vvitto, Lincolnienſi Epiſcopo, e Judicibus ſuis uno, pro Epiſcopo rite conſecrato habitum fuiſse. Verum qua tandem auctoritate fretus id ſcripſit? Auctoritate nimirum Foxii, quem in triginta locis redarguit ipſe ut iniquum prorſus, ſuis in Judiciis violentum partis ſuæ ſtudio abreptum ultra veri & æqui limites. His Scriptoribus ſua ſit apud Anglicanos fides: at nulla ſolis erit apud Catholicos. 243

3. Ferrarius inſtitutus quidem eſt Meneven ſis Epiſcopus, ann. 1548. proinde Romano Ritu inſtitui debuerat. At ſcribit ib. p. *266.* Collierus, ceremoniam Ordinationis ejus (cujus Miniſtri fuere Cranmer, Holbeach & Ridleyus, tres ejuſdem furfuris viri) peractam non fuiſſe juxta veterem Ordinandi Formam. Unde, quod meo equidem judicio gravis eſt momenti, ſequitur Rituale Romanum, antequam ſuprema Eduardi auctoritate corrumperetur, a nova illa Pſeudoepiſcoporum factione corruptum fuiſſe. Id autem quis factum dubitet, in ea præſertim parte quæ Sacerdotium & Sacrificium ſpectat? Ergo nihil adeo mirum, ſi Latymer, ejuſque ſocii, nec pro certis Epiſcopis habiti fuerint, nec qua tales degradati. De his adi P. le Quien, Tomo 1. Nullitatis, p. 145. & ſeq. Sed & vide Nullitatem denuo demonſtratam, ubi vera occurrit effigies, tum Latymeri, quem laſcivum ſenem vocat Stapleton, tum Ferrarii, ab inſtituto Canonicorum 244

Re-

Regularium Apoſtatæ, qui ſub Eduardo ipſo in carcerem ob crimina ſua conjectus eſt, & ſub Maria extremo multatus ſupplicio; tum Ridleyi, qui Cranmerum e Lutherano Zuinglianum fecit, &c.

245 Inſt. 4. ex iteratis Anglorum aliquot Ordinationibus nihil colligi poteſt, contra Rituale Anglicanum, dummodo Romana Sedes, vel ex principiorum defectu, vel præ ſcrupulo, iterari quandoque velit Ordinationes certiſſime validas, & aliunde Ordinationum Anglicanarum iteratio non arguat invaliditatem Ordinalis Anglicani. Atqui 1. Rom. Sedes quandoque iterari vult Ordinationes certiſſime validas. Cum enim Ludovicus du Moulinet, Sagienſis Epiſcopus, per Presbyteros ſibi aſſiſtentes, non autem per ſe ipſum, annis 36. tangenda obtuliſſet Evangelicum volumen, calicem cum patena, panemque & vinum; exortis eo de caſu dubiis atque anxietatibus, res ad Clementem VIII. delata eſt, qui, non obſtante docti Sirmondi, tunc apud Romam degentis, conſilio, Ordinationes illas clanculum iterari præcepit, * uti ſolide probat le Quien, Tom. 2. Nullitatis, pag. 390. Atqui tamen Ordinationes illæ, non ex Sirmondi dumtaxat, ſed & ex eruditorum omnium judicio validæ erant. 2. Ordinationum Anglicanarum iteratio, ex alio, quam ex Ordinalis Anglicani defectu repeti poteſt, nempe ex dubia Parkerii conſecratione. Ergo.

246 Reſp. neg. min. pro utraque parte: pro prima quidem; quia etſi ſolam manus impoſitionem ad Ordinationis Sacerdotalis eſſentiam ſatis eſſe credunt eruditi complures, quia tamen id intra merę opinionis limites credunt, & abſolute fieri poteſt ut credendo aberrent: aliunde vero agitur de re graviſſimi momenti, *unde ſalus pendet Populorum atque ultima fata*; nemo eſt Deum vere timens, qui quam amplexa eſt Eccleſia Romana partem, lubens in praxi non amplectatur. Hanc vero ejus agendi rationem vel principiorum defectui, vel inani ſcrupulo tribuere, eorum dumtaxat eſſe poteſt, qui ex alto ſuperbiæ ſuæ ſolio omnia dimetientes, quidquid pro indubio habent, ab aliis uti tale habere volunt.

247 Quod ad ſecundam partem attinet, etſi iterari poſſunt Ordinationes Anglicanæ, ob legitimum de Parkerii Ordinationis validitate dubium; poſſunt etiam iterari ob Eduardinæ Formæ invaliditatem moraliter certam: nihil enim eſt dubii quin motiva plura ad aſtruendam Ordinationis, ut & Matrimonii nullitatem concurrere valeant, Porro Eduardi Formam dubiam eſſe & plus quam dubiam momenta noſtra invicte probant; iſtud præſertim quod a ſæculari poteſtate, juxta Zuinglianorum principia, dimanaverit.

248 Obj. 2. contra ultimam hujus reſponſionis partem. Vel rejiciuntur Anglicanæ Ordinationes quia harum forma prodierit ab Eccleſia particulari, cui nullum inerat jus Rituale novum ſubſtituendi antiquo Romano; vel quia novum iſtud Rituale fœtus ſit laicæ auctoritatis. Atqui neutra de cauſſa rejici poſſunt.

249 Non ob primam: Eo enim jure gaudebat ſub Eduardo VI. Eccleſia Anglicana, & etiamnum gaudet, quo quælibet Nationalis Eccleſia. Atqui Natio-

* Idem cum in Diœceſi Abellinenſi an: 1696. contigiſſet, quia Epiſcopus gravi chiragra laboraret; conſultus ea de re Card. Urſinus exinde Benedictus XIII. Ordinationes ſic factas ſub conditione renovari præcepit.

Nationalis quælibet Eccleſia jus habet mutandi Ritus ſuos, non ſolum circa cęremonias accidentales, ſed & circa Sacramentorum formas, quas Chriſtus non determinavit in ſpecie. Quod enim factum eſt, nedum reclamante, immo approbante, tacite ut minimum, univerſali Eccleſia, id legitimo jure factum cenſeri debet. Atqui Nationales Eccleſiæ, quin & aliquando particulares, Ritus ſuos prædicto modo ſæpius immutarunt. Minor, quæ ceteroqui ex diverſis variarum gentium Ritibus pleniſſime conſtat, efficaciter probatur ex palmari Ordinationum Anglic. adverſario. Sic enim Renaudotus ipſe in Diſſertatione de Siriaca Liturgia (Tom. 2. Liturg. Oriental. pag. 13. Præfat.) *Igitur ex Epiſcopali auctoritate*, inquit, *qua Orientales Antiſtites niſi ſunt in ordinandis Eccleſiaſticis officiis, ut Baptiſmi adminiſtrandi, Formulas, Ritualeſque Libros, cum adjunctis precibus coronationis ſeu benedictionis nuptialis, abſolutionis pœnitentium, & alia non pauca, ita quoque Liturgias ſcripſerunt. Vix ulla eſt Eccleſia, quæ ſuum Ritum non mutaverit, vel in totum, alio accepto, vel ſaltem ex parte. Id præſtitit Eccleſia Gallicana, Hiſpanica, & aliæ.* Ergo & Anglicana præſtare potuit.

Et vero, ſi quid obeſſe potuit, ne Ritus ſuos immutaret Anglicana Eccleſia, id ſane quod jam in ſchiſma & hæreſim prorumpens, innato ſibi jure privata eſſet. Atqui nec ſchiſma, nec hæreſis ſuum ipſi jus ademerunt. Non enim deterior per hæreſim facta eſt Eccleſiæ Anglicanæ conditio, quam Eccleſiæ Jacobiticæ, Neſtorianæ, aliarumque Sectarum, quæ Orientem totum infeſtant. Atqui eæ tamen proprios ſibi Ritus, proprias itidem formas ſibi etiam poſt hæreſim conſcripſerunt; uti iis verbis docet ibid. Renaudotus, pag. 18. *Jacobum Edeſſenum, & alios recentiores, ſuarum Liturgiarum auctores fuiſſe non eſt cur dubitemus. Jacobitæ quippe Eccleſiæ ea diſciplina fuit, ut Epiſcopi ſummam in ſacris officiis diſponendis, precibuſque ordinandis, haberent actoritatem, quæ etiam inter Syros major omnino, quam inter Ægyptios fuit.* 250

Neque, quod alterum eſt primi Syllogiſmi caput, minus falſum eſt, Ordinale Anglicanum laicæ auctoritatis prolem eſſe. Siquidem Rituale quod nonniſi ab Epiſcopis & Eccleſiaſticis hominibus compoſitum eſt, nonniſi Eccleſiæ poteſtati tribui debet. Atqui Ordinale Anglicanum nonniſi ab Epiſcopis ſex, totidemque Eccleſiaſticis hominibus compoſitum eſt. Ergo. 251

Quod autem reponunt Antianglicani, Epiſcopos illos nec auctoritate propria aut Eccleſiæ nomine, ſed ut meros Regiæ voluntatis executores in eo negotio egiſſe, putida eſt calumnia, prout in vindiciis reformationis ſcribit his verbis Burnetus: *Les Prelats qui ont dreſsè le Formulaire de nos Ordinations, l'ont fait en vertu de l'autoritè qu'ils avoient de J. C. comme Paſteurs de ſon Egliſe ... & ils devroient s'acquitter de ces devoirs, quand bien meme ils y trouveroient de l'oppoſition de la part des Puiſſances Civiles ... Mais s'il plait à Dieu d'inſpirer à ces Puiſſances de conſpirer à l'avancement d'une ſi bonne œuvre, ils doivent recevoir avec action de graces le concours de ces Puiſſances, pour pouvoir ajouter la force de la Loi à leur reformation*, &c. Ergo. 252

Reſp. 1. neg. maj. quantum ad primam partem, duplici de cauſſa, 253

1. quia

1. quia falſo ſupponitur, Ordinale Eduardi a Nationale Angliç Eccleſia prodiiſſe; cum e contra certo certius ſit illud a privato quorumdam Zuinglianorum cœtu, reclamantibus pro virili Catholicis Epiſcopis, qui numero & pondere multo potiores erant, conditum fuiſſe. 2. Quia disjunctivam omnino inadæquatam proponit. Quantacumque enim Nationali Eccleſiæ tribuatur auctoritas Liturgiam ſuam figendi & refigendi, nuſquam tamen eidem tribui poterit jus impium Sacramentalem formam eſſentialiter adulterandi. Id autem fecit Anglia; cum e Rituali Pontificio id omne recenſuit quod veri, tum Sacerdotii, tum & Sacrificii idæam ſubminiſtrare poſſet, Hac brevi & aperta reſponſione concutitur tota argumenti moles.

254 Reſp. 2. neg. min. & dico Rituale Eduardi rejiciendum eſſe, 1. quia vim ſuam totam habeat a ſæculare poteſtate; 2. quia licet eam ſupponeretur mutuari a poteſtate Eccleſiaſtica, non haberet tamen a poteſtate Eccleſiæ Nationalis; 3. quia etſi hanc a tota Angliæ Eccleſia haberet, ut habet ex quo extincti ſunt Catholici omnes Majoris-Britanniæ Epiſcopi, intrinſece & eſſentialiter vitioſum eſt.

255 Et quidem 1. Anglicanum Ordinale quidquid virium habet, id habet a ſæculari auctoritate: cum illud Parkerius & alii non alia quam Principis virtute & potentia condiderint; Principis, inquam, cui Epiſcopi ipſi eamdem in ſpiritualibus ac politicis juriſdictionem affingebant; qui Præſules nutu ſuo inſtituebat & deſtituebat; qui qua auctoritate negabat Rom. Pontificis in tota Eccleſia primatum, hunc ſibi primatum in Anglicanam Eccleſiam arrogabat; cujus ſucceſſores, & in femina, Eliſabeth, eo deveniebant, amentiæ dicam, an furoris, ut *ſuprema* ſua *auctoritate Regia, ex mero motu ac ſcientia* ſuis, id in Ordinatoribus Epiſcoporum ſupplerent, quod eis, non modo ſecundum *Statuta Regni* Anglicani, ſed & *ſecundum Leges Eccleſiaſticas* deeſſet, &c. de quibus repete quæ diximus num. 197.

256 Male igitur, & contra factorum evidentiam Burnetus, ut temerarios in Epiſcoporum jura Henrici VIII. & Eduardi VI. auſus emolliat atque extenuet, Epiſcopali potentiæ aſcribit reformationem, quam a Regia ſola auctoritate profectam eſſe conſtat. Et vero quid poterant in ſpiritalibus, qui nequidem, poſt mortem Henrici, Eccleſias ſibi dudum commiſſas, ſine novo ſucceſſoris ejus conſenſu regere audebant?

257 Ceterum non is eſt Burnetus ille, cui in hujuſmodi cauſſis multa Fides haberi debeat. Hunc pluribus in locis pro merito caſtigavit Boſſuetus in Hiſtoria Variationum. Unum ejus hic lapſum ſingularem, neque ab hac materia alienum referam. Scribit Burnetus in Hiſtoria Reformationis, pag. 276. Edit. Angl. Barlovvium nuſquam uxorem duxiſſe. Atqui nullum umquam vel gravius mendacium, vel fingi ſomnium potuit. Cum, ut advertit Warton, licet in Barlovvium indulgentior, nullum Clero Angliæ factum notius ſit, quam Matrimonium Barlovvii, ex quo filias quinque, totidem Epiſcoporum ſponſas habuit. Vide P. le Brun, Tom. 4. Explic. Miſſæ, pag. 89.

258 2. Etſi Ordinale Angl. Eccleſiaſticæ poteſtatis partus eſſe ſupponatur, haud tamen in totam Angliæ Nationalem Eccleſiam refundi poteſt. Cum, ut pluries dictum fuit, & ſup. num. 168. probatum, nec profecto a

ſa-

ſaniori, nec certe a majori Epiſcoporum parte exaratum fuerit, ſed a perditis quibuſdam hæreticis, contra quos vel ipſi in vinculis Catholic. Antiſtites toto niſu reclamarunt.

3. Demum dato, non utique conceſſo, quod Nationalis Eccleſia ſuam, cum etiam ab unitate ſe omnino præcidit, in ſpiritualibus juriſdictionem, ut antea, conſervet: dato rurſus quod Liturgiam ſuam nonnullis in punctis immutare valeat: dato tandem quod Anglicanum Ordinale unanimi gentis totius ſuffragio elaboratum ſit; non ideo tamen ſtaret idem Ordinale. Quia ſtare non poteſt opus eſſentialiter vitioſum: intus autem & ſubſtantialiter vitioſum eſt opus, quod & Sacrificii atque Sacerdotii notionem abigit, & debitam tum ab Ordinante, tum ab Ordinato intentionem aperte excludit. 259

Hinc Rituale Anglicanum a Jacobitarum, aliorumque ejuſdem generis Orientalium Ritualibus inſigniter diſcrepat. Hi enim Altaria non diruerunt, Sacerdotes noſtros, ſi forte ab iis in hæreſim trahantur, Sacerdotium ſuum ejurare non compellunt, &c. inſuper vero oblationem & Sacrificium conſtanter retinuere; quod niſi feciſſent, dubia vel nulla eſſet eorumdem Ordinatio, ſicut Anglorum. 260

Ceterum, etſi Græcorum Ordinationes approbavit Eccleſia Romana, ignotum mihi eſt an cujuſque Sectæ Ritualia expenderit & approbaverit. Et ad quid examen iſtud? niſi, quod utinam ſperare liceat, de ſancienda Eccleſiam Catholicam inter & univerſas Societates ab ea diviſas pace & unione agatur. Actum eſt quidem non raro de unione Communionis illius, quæ cum in Oriente dominetur, Græcam Eccleſiam conſtituit: at de Sectis illis, quas eadem Eccleſia Græca pro hæreticis habet, in ſpecie actum eſſe non credo. 261

Inſt. contra primam ſolutionem: Fieri non poteſt ut qui Ordinem a Chriſto inſtitutum eſſe credunt, Ordinis conferendi ritum a ſæculari poteſtate recipiant. Atqui credunt Angli, & ſub ipſa Eduardi tempora credebant Ordinem a Chriſto inſtitutum eſſe. Sic enim habet oratio, quam ipſi nos ſup. n. 142 citavimus: *Omnipotens Deus ... qui per Sanctum Spiritum tuum diverſos Miniſtrorum Ordines in Eccleſia tua conſtituiſti*, &c. Ergo. 262

Reſp. 1. noſtri non eſſe muneris, ut vel ea conciliemus, quæ apud Anglos male cohærent, vel facta manifeſta inficiemur. Atqui manifeſtum eſt ex ſupra dictis Anglicanum Ordinale vim ſuam totam mutuatum eſſe ab auctoritate Regia, idque intentum fuiſſe a Cranmero, cui unum id, fatente Heylino ſupra n. 171. in votis erat, ut veteres de Epiſcopatu tamquam divinitus inſtituto idæas ſubrueret. Ergo. 263

Reſp. 2. neg. maj. Potuerunt enim deliri homines opinari diverſos in Eccleſia Miniſtrorum Ordines conſtitutos fuiſſe, quemadmodum diverſi in ea ſunt politici ſtatus Ordines, & quidem a Deo conſtituti: *Non eſt enim poteſtas niſi a Deo*, ait Rom. 13. Apoſtolus. Ergo ſicut Regum, Ducum, &c. inſtitutio, licet a Deo ſit, practice tamen fit juxta ritus hominum arbitrio permiſſos: ſic & creditum eſt Miniſtrorum inſtitutionem per ritus mere humanos fieri poſſe. Quis porro mortalium in horumce rituum conſtitutione plus juris habere potuit, quam Anglicanus Papa, ſuprema tam in Eccleſiaſticis, quam in politicis auctoritate a ſe ipſo donatus? 264

Addi

265 Addi poſſit cum Illuſt. Boſſueto, Ordinem juxta Anglos, fuiſſe quidem a Deo, ſed ita res inſtituente ut exercitium penderet a Principe. Porro ſi Princeps exercitium largiri, ſuſpendere, ac pro nutu revocare omnino potuit; quidni & ritus immutare? Immo neceſſarii non erant exteriores ritus in ſyſtemate juxta quod Rex hominem in inſula ſolitarium, abſens abſentem ſolo nutu conſtituebat Epiſcopum.

266 Inſt. contra reſponſionem alteram: Conſtat variarum Eccleſiarum ritus a ſe invicem plurimum differre. Atqui diſcrimen illud hinc ſolum repeti poteſt, quod unaquæque Eccleſia, potiſſimum Nationalis, immo & particularis, certos quoſdam ritus ſibi præſcribere poſſit. Neque enim iidem ſunt Ritus Eccleſiæ antiquæ Lugdunenſis, qui Remenſis; & hujus etiam Ritus a Pariſienſibus diſcrepant. Quin & Ritus ſuos in ipſo Sacro habent Carthuſienſes, ſuos Carmelitæ, &c. Ergo.

267 Reſp. diſt. maj. conſtat variarum Eccleſiarum Ritus, alios ab aliis differre in punctis admodum accidentalibus, C. in eſſentialibus, qui ad Sacramentorum ſubſtantiam pertineant, vel ex uſu aut præcepto Eccleſiæ Romanæ ubique obſerventur, N.

268 Itaque, ut ſolide obſervat Tournelyus pag. 215. & ſeq. inter Ritus adminiſtrandi Sacramenta, alii ſunt eſſentiales, qui ad eorum ſubſtantiam pertinent, ut eorum materia & forma, (non ſolum certa, ſed & vere dubia.) Alii ſunt non eſſentialiter quidem, ſed ex uſu & præcepto neceſſarii, puta quod in azymo pane conſecrent Latini Sacerdotes: Alii liberi hoc ſenſu, quod nec eſſentiales ſint, nec rigoroſe imperati: & hi poſteriores, etſi immutari abſolute poſſunt, non tamen eadem omnes facilitate. Nec enim quia Epiſcopi ſinguli, dum novum Breviarium condunt, Pſalmos aliter dividere, alioſque ſingulis diebus affigere valent; ideo, contra communem Eccleſiæ ſuæ ritum ſancire poſſunt, ut vinum jam ab initio in calice reponatur, prout Dominicani faciunt; vel Miſſa Carthuſiano more inchoetur.

269 Hinc, ut advertit idem Theologus, pag. 75. expoſitione indiget id quod vulgo circumfertur, nec ſatis a pluribus intelligitur, videlicet Concilium Tridentinum, in Galliis quidem vim obtinere quantum ad Fidei dogmata, non vero quantum ad diſciplinam. Id enim & aliquo ſenſu verum eſt, & alio falſum. Namque vim equidem apud nos non habent certa quædam diſciplinæ particularis capita, quæ vel judiciorum formam, vel nonnulla ſeu Gallicanis libertatibus, ſeu Regiæ auctoritati adverſa reſpiciunt. * At vero diſciplina generalis, quæ non ſolum per Orbem, ſed & in Occidente toto recepta eſt; & apud nos viget, & vim habet ſtrictæ Legis. Neque Nationali etiam Eccleſiæ liceret, ritus, ceremonias, aut praxes ubique ex Canonum præſcripto obſervatas invertere; puta uſum Calicis plebi toti reſtituendo; Matrimonium permittendo majoribus Clericis; conſecrando in pane fermentato; per immerſionem ut primitus, baptizando.

270 His præmiſſis, duo certa ſunt, 1. non poſſe Eccleſiam Nationalem ritus certo vel dubie ſubſtantiales immutare: neque id vel ipſa Univerſalis Eccleſia poteſt; cum in iis quæ ad Sacramenta pertinent, nihil omni-

* Puncta hæc collegit Laurentius Bochel in opere cui titulus: *Decreta Eccleſiæ Gallicanæ*, Lib. 5. pag. 916. & ſeq.

omnino poſſit, niſi *ſalva illorum ſubſtantia*, ut docet Trident. ſeſs. 21. cap. 2. & ante Tridentinum ratio Fide innixa. 2. Nec etiam poſse Eccleſiam quamcumque Nationalem *receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſollemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos . . . in novos alios*, proprio motu convertere. Ita, non expreſse quidem, ſed juxta communem intellectum, docet eadem Sacra Synodus, ſeſs. 7. canon. 13.

Jam vero Angli ex ſolo hæreſis promovendæ ſtudio, non modo approbatos in Occidentali tota Eccleſia ritus accidentales, ſed & eos etiam, 271
qui ad minimum dubie ſubſtantiales erant, immutarunt; idque per auctoritatem mere laicam, & reclamante toto Catholicorum cœtu. Ergo & ſacrilege, & invalide prorſus idipſum moliti ſunt.

Obj. 3. Sacramenta, ex Decreto Eugenii IV. tribus perficiuntur, re- 272
bus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri cum intentione faciendi id quod facit Eccleſia. Atqui horum nihil deeſt Ordinationi, ſecundum Eduardi formam collatæ. Non materia: Hæc enim, ex eruditorum aſsenſu, conſiſtit in manuum impoſitione: Iſtam vero præcipit Rituale Eduardi, cujus Rubrica ſic habet: *Archiepiſcopus & Epiſcopi præſentes manus ſuas imponant ſuper caput Epiſcopi electi*, quod & quantum ad Diaconos & Presbyteros fieri jubetur. Non etiam forma; ſcilicet enim Ordinationis forma eſt oratio invocativa Spiritus Sancti ſuper Ordinandum, ut Deo gratias ei conferat, quibus Ordinis ſui munia pie adimpleat. Atqui non deſunt hujuſmodi orationes in ſacris quibuſque Anglorum Ordinationibus; ut ex iis conſtat quas ſupra retulimus, num. 145. & 157. Nec demum legitima deeſt intentio. Ubi enim exterior Ordinationis ritus ſerio & in debitis circumſtantiis peragitur, ibi & ſufficiens quæcumque intentio reperitur. Atqui ſacros ritus ſerio & ut par eſt exercet Anglicanus Epiſcopus. Ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. & dico Anglicanas Ordinationes ex parte ma- 273
teriæ dubias eſse, ex parte vero tam formæ, quam intentionis eſsentialiter vitioſas, proinde certo invalidas.

Quod ex parte materiæ dubiæ ſint, hinc liquet quod hodieque gra- 274
ves Theologi porrectionem inſtrumentorum, non ſecus ac impoſitionem manuum omnino neceſsariam credant; ſeu quia primitus inſtituta ſit; ſeu quia permiſerit Eccleſiæ ſuæ Deus, ut quoſdam ritus percipiendo, eoſdem faceret eſsentiales. Hinc iteratæ in Galliis primum, deinde in Italia, Ordinationes, in quibus omiſsa erat, non omnis, ſed immediata ab Epiſcopis inſtrumentorum porrectio. Hanc quidem iterationem contemptim carpit Diſsertator; & ex ea infert violata eſse Doctorum omnium principia. Verum humiles nos Eccleſiæ Rom. filii plus Matri credemus noſtræ, quam Filio adverſus ipſam rebelli. Vide quæ de Ordinis materia diximus, cap. IV.

Quod eædem Ordinationes ex parte formæ ſint omnino vitioſæ, cui- 275
vis tantiſper attendenti conſtare debet. Siquidem Ordinationis Anglicanæ forma, vel in his conſiſtit verbis quæ manuum impoſitioni conjuncta ſunt: *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. vel in orationibus quæ eam ſequuntur, vel in tota orationum collectione. Atqui 1. non conſiſtit, ſaltem

tem ex ſententia Diſſertatoris, in verbis illis: *Accipe Spiritum Sanctum*; tum quia, inquit, verba hæc Græcis omnino inaudita ſunt, & apud Latinos recentioris uſus, tantumque ab annis 400. adhibita, tum, & melius, quia hic recurrit probatio contra Orationes mox proponenda. 2. Itaque nec conſiſtit eadem forma, ſive in duplici oratione quæ manuum impoſitionem ſequitur, ſive in orationum collectione. Enim vero forma Ordinationis, Presbyteralis v.g. non conſiſtit in vaga qualicumque & indeterminata oratione, qua generatim ſuper Presbyterum invocetur Spiritus Sanctus, quo poſſet modo in Eccleſia Latina ſuper inferiorem Miniſtrum invocari; ſed in precibus quæ ſuper ordinandum alliciant gratiam vere ſacerdotalem, eam præſertim quæ ad offerendum pie Altaris Sacrificium neceſſaria eſt. Id enim important orationes quæcumque, ſeu a Latinis, ſeu a Græcis in Presbyterali Ordinatione uſurpantur. Atqui nihil hujuſmodi habent, aut habere poſſunt Ordinationes Anglorum, qui Sacerdotium hoc ſenſu ſumptum exhorrent atque deteſtantur.

276 Unde eædem Ordinationes ex parte intentionis prorſus ſunt invalidæ. Nimirum vero omnes mundi Eccleſiæ, etiam hæreticæ, præter Calvinianam, & quæ ab ea derivantur, dum Presbyteros inſtituunt, veri Sacrificii Miniſtros inſtituere intendunt. Atqui Anglicana Synagoga adeo id non intendit, ut Sacrificatores hujuſmodi Presbyteros, non Chriſti, ſed Antichriſti Miniſtros eſſe, nec ad alium quam Apoſtaticæ Romanæ Eccleſiæ Clerum pertinere, palam & totis faucibus profiteatur. Ergo etiamſi Anglicanæ Ordinationes nec a laica prodiiſſent auctoritate, nec a minori, eaque hæretica Epiſcoporum parte, indubie pro nullis & irritis habendæ forent.

277 Inſt. ut valeant Anglorum Ordinationes ex parte formæ, ſufficiunt tria hæc, 1. ut Chriſtus reliquerit Eccleſiæ facultatem determinandi eas Sacramentorum formas, quas ipſe non determinavit: & id particulares Eccleſiæ efficere valeant, non ſecus ac Romana; 2. ut vel vaga non ſit Anglicanæ Ordinationis forma, prout contendimus; vel citra nullitatis periculum vaga & indeterminata eſſe poſſit; 3. ut validitati ejus non officiat publicus gentis Anglicanę error. Atqui tria hæc conſtant.

278 1. Enim fatentur graviores quique ex noſtris Theologi, formas Sacramentorum, quas non inſtituit Chriſtus ipſe, liberæ, non modo Eccleſiæ univerſalis, ſed & particularium Eccleſiarum determinationi ab eodem Chriſto permiſsas eſſe; cum eo ſuo jure uſi ſint Jacobitæ & alii, prout jam ſupra diximus.

279 2. Nec vaga eſt, ut placet nobis, Anglicani ritus forma: cum aliud Diaconi, Presbyteri aliud, aliud demum Epiſcopi munus indicet. Neque ſi eadem forma ſenſu noſtro vaga ſit, ideo periclitabitur: quia ex vulgari Theologorum ſententia, neceſse non eſt ad Sacramenti valorem, ut in ipſius forma exprimatur finis ſeu effectus Sacramenti, prout fatetur Tournelyus, pag. 216. & ex eo probat, quod verba, *ego te baptizo*, ſolam Miniſtri actionem exprimunt, non finem & effectum Baptiſmi. Quapropter neceſſe non eſt ut Anglicanæ Ordinationis forma diſtincte Ordinis finem exprimat; ſed ſatis eſt ut generatim invocet gratiam, ad rite obeundas Miniſterii functiones neceſsariam.

3. Nec

3. Nec valori ejuſdem formæ obeſt publicus Nationis Anglicæ error. Non enim is plus formæ eorum validitati nocere poteſt, quam publicus Pelagianorum error obfuerit valori Baptiſmatis per eos collati. Atqui non obfuit: Cum eorum Baptiſma nuſquam iteraverint Catholici. 280

R. ad 1. 1. neg. maj. Etſi enim vera eſſe ſupponatur tria quæ proponit objectio, non ideo tamen inconcuſſæ ſtabunt Anglorum Ordinationes; 1. quia id ſemper radicitus habebunt vitioſi, quod a ſæculari potentia robur primævum mutuatæ ſint; nec Eccleſiæ Anglicanæ, quæ maximam partem tunc erat Catholica, tribui valeant; 2. quia opinio, licet vera, quamdiu mera eſt opinio, proinde quid dubium, non ſufficit ad inducendam indubiam Sacramenti certitudinem. Porro quod Chriſtus determinationem quarumdam formarum Eccleſiæ arbitrio permiſerit, mera eſt Scholæ opinio, eaque, juxta plures, quos Tom. 7. cap. 4. num. 43. alias cap. 2. pag. 266. ſecuti ſumus, falſiſſima. Quod item neceſſe non ſit, ut forma ulla finem & effectum Sacramenti exprimat, res eſt incerta admodum; cum id quidem admittant alii cum Vivantio, Pariſienſis Studii Cancellario, num. 60. Operis jam citati; alii aliud ſentiant cum Gab. Muſſon hic pag. 270. Demum quod ſchiſmatica Secta eamdem ac Catholica Eccleſia juriſdictionem, adeoque & plenam ritus ſuos immutandi facultatem conſervet, quæſtio eſt, quam leniores quique Theologi ut minimum in utramque partem agitari poſſe non diffitebuntur. Ergo quocumque ſe convertat vir pacis æque ac veri amans, nihil in Anglicanis Ordinationibus deprehendet, unde eas pro indubiis habere teneatur; ac nativo quodam mentis impetu exclamabit: *Quid mali, ſi ſaltem conditionate iterentur. Quid non periculi, ſi admittantur ut omnino certæ.* 281

R. 2. neg. min. pro triplici ejus parte 1. enim Sacramentorum formas, licet non quantum ad verba; in ſpecie tamen determinavit Chriſtus, uti dictum eſt Tom. 7. loco mox citato. Idque ſi certo verum non eſt, ad minus dubium videri debet; quod in præſens ſufficit. Deinde licet ſupponatur Chriſtum ſacramentales formas in genere ſolummodo determinaſſe; non ideo ſupponi poteſt cuilibet Eccleſiæ particulari, etiam ſchiſmaticæ, permiſiſſe ut eaſdem determinaret. 282

2. Vaga eſt & ſupra modum vaga Ordinalis Anglicani forma; cum fuſæ in Ordinationibus Presbyteri & Epiſcopi orationes ſolam initiandis precentur gratiam verbi divini rite prædicandi, & regendæ plebis; quaſi nempe Presbyteratus & Epiſcopatus mera ſint & exterior ad hujuſmodi functiones deputatio: quæ uti nunc datur, ſic & poſtea revocari poſſit; & quidem ad Regis nutum, prout ſentiebat, tum Eduardus ipſe, tum & primi ſacrilegæ Reformationis auctores. 283

3. Eſto neceſſe non ſit ut forma effectum & finem Sacramenti exprimat, (quod de Baptiſmo verum eſſe poteſt, non autem de Ordine) at ſaltem neceſſum eſt ut finem hunc non excludat. Atqui Ordinis finem & effectum excludit Anglicana forma; cum Sacerdotium verum, verumque Sacrificium omnino excludat. Negavit id equidem Diſſertator, & ut verum Anglis ſacrificium tribueret, ſuum eripuit Catholicis. Verum ea de cauſſa ubique inſigniter vapulavit, & vapulare meruit, prout fuſe in Tract. de Miſſæ ſacrificio demonſtravimus. 284

285 4. Non equidem formæ valori nocet error publicus, quamdiu forma hæc plane & integre ſervatur, aut ejuſdem verba ad ſenſum plane diverſum non detorquentur. Unde valuit Pelagianorum Baptiſma, qui nihil umquam in forma immutarunt; nec pauca ejus verba alieno ſenſu interpretati fuere. At nocet error, quando & a forma reſecat quædam ubique tali ſenſu intellecta; & quæ retinet, ſenſu plane oppoſito interpretatur. Id autem ab Anglis factitatum invicte probavimus; vel pro nobis Angli ipſi probavere. Hinc licet unam Tournelyi probationem ſupra improbaverim, lubens tamen id admitto quod adducit ipſe pag. 71. ex Nat. Alexandro Lib. 2. Theolog. dogmat. & Moralis, cap. 3. Reg. 6. *Additio verborum, quæ debitum formæ ſacramentalis ſenſum corrumpunt, tollit veritatem Sacramenti.... Si vero hujuſmodi additio fiat, quæ non auferat debitum ſenſum, non tollitur Sacramenti veritas, Quamvis porro aliquid addatur contra fidei veritatem,* SI TAMEN FORMAM NON AFFICIAT, NEC IN EAM REFUNDATUR, AUT EJUS SENSUM VARIET, *non tollit veritatem Sacramenti... Quod autem preces hæreſim continentes non reddant irritum Sacramentum, cum formæ ſacramentali adjunguntur, nec eam tamen afficiunt & corrumpunt, docet S. Auguſtinus Lib. 6. de Bapt. cap. 25.* unde ſic: Mutatio quæ formam afficit, & ſenſum ejus variat, tollit veritatem Sacramenti. Atqui mutatio ab Anglis invecta formam afficit; cum eo ſolum fine invecta fuerit, ut genuina Sacerdotii & Sacrificii idea ab Ordinibus excluderetur; ut Rex ſolo nutu Epiſcopos ac Miniſtros creare intelligeretur, ut Eccleſiaſtici miniſterii functiones ex una ſæcularium potentia exerceri crederentur. Ergo.

COMPENDIUM EJUSDEM DISSERTATIONIS.

Etſi quæ hactenus dicta ſunt, brevem dumtaxat Voluminum octodecim ſummulam exhibent; quia tamen vereri eſt, ne Candidatis, multiplici ſtudio gravatis, nimio hæc prolixiora videantur, placuit quæ fuſiori ſermone tractata ſunt, paucioribus verbis complecti. Quoniam vero moris eſt, ut qui brevis eſſe vult, obſcurus fiat, id ut vitem incommodi, plerumque ad ipſam Diſſertationem remittam, ubi quæ in compendio ſolum indicari poſſunt, fuſius expoſita reperientur. Jam, ſuppoſita ſtatus quæſtionis notitia, qualem ab initio exhibui, ſit

CONCLUSIO I. Ordinatio Parkerii dubia eſt & incerta: Unde cum Parkerius ſolus, Deo ſic providente, tota ſit Epiſcopatus Anglicani origo, Anglicanæ Ordinationes neceſſario ſunt iterandæ.

286 Prob. 1. Illius Ordinatio vere dubia eſt, qui probabiliter credi po-
ſupra teſt ritu admodum profano in hoſpitio ordinatus fuiſſe. Atqui Parke-
n. 3. rius.... Prob. min. Credi poteſt, & quidem probabiliter, id quod
* Ibid. *narraverunt Catholici integerrimæ fidei, qui rei hujus teſtes erant oculati* *;
n. 42. quod Anglicani ipſi crediderunt; quod ſibi frequenter objectum a Catholicis rejicere auſi non ſunt; quod denique cum perſonarum ac temporum circumſtantiis optime convenit. Atqui talis eſt hiſtoria Parkerianæ in hoſpitio conſecrationis.

287 1. Eam narraverunt Catholici, & quidem fidei integerrimæ, quorum alii teſtes fuerant oculati, ut Thomas Neal, Bonneri, Londinenſis

Epi-

Epiſcopi Capellanus, vir ab ipſis Anglicanis egregie laudatus; alii hanc a teſtibus de viſu audierant, ut D. Conſtable, vir, teſte Champnejo, *acris ingenii, & qui levibus conjecturis non movebatur*; Doctor Derbishire, &c. Vide nu. 42. 43. 44.

2. Eam credidere Anglicani ipſi; cum eam pluries filio ſuo, deinceps Jeſuitæ narraverit Faircloth, qui in platea Cheapſide mercaturam agebat *, & Puritani in *Demonſtratione diſciplinæ*, quam an. 1585. Parlamento obtulerunt, palam inclament, *profanum hodie in Anglia Epiſcoporum Ordinem in angulo initium.... habuiſſe*. Quod, uſurpato etiam Hoſpitii nomine in Aula Parium, an. 1640. conſeſſus eſt Doctor Morton, Dunelmienſis Epiſcopus, præſente Ill. Audleyo. Vide n. 48. 288

* Ibid. n. 45. & 46.

3. Contra factum illud, a Thoma Neal & aliis ſat vulgatum numquam reclamaverunt Angli hujus temporis. Eorum nemo ſparſum rumorem, qui, juxta adverſarios, Londini totius teſtimonio ſubverti poterat, compeſcere tentavit. Ne unus quidem Puritanos *profana in angulo* Epiſcopatus Anglicani initia evulgantes confutavit. Ergo. Vide n. 47. & 49. 289

4. Miſera hæc Ordinatio pene ſola cum perſonarum temporumque circumſtantiis quadrat. Nimirum primarii illi Epiſcopatus novi inſtitutores, ſacrilegi erant Apoſtatæ, homines ſine pietate & moribus, ad intimas uſque medullas Zuingliani, Ordinis & Ordinationis adeo inimici, ut eorum quidam vel ab Epiſcopali veſtitu abhorrerent. Quid ergo mirum, ſi id genus homines tenebras & angulum inquiſierint, non ut vere ordinarentur, ſed ut jactare poſſent in vulgus ſe fuiſſe ordinatos. Quid non e contra mirum, ſi uxorii Apoſtatæ ſollemni ac publico ritu in Eccleſia Lambethenſi, aut alia quacumque ordinati eſſent, quo tempore Londinenſes incolæ maximam partem erant Catholici, & ut novæ ſectæ infenſiſſimi, ejus duces, ſi non lapidibus, ſannis certe & opprobriis impetere parati. 290

Prob. 2. Ideo Anglicani Parkerium ordinatum fuiſſe contendunt, quia hodieque extat Actum conſecrationis ejus prout in Eccleſia Palatii Lambethenſis celebratæ. Atqui Actum illud tot habet ſuppoſitionis caracteres, ut indubiam fidem parere non poſſit. Actum enim quod numquam productum eſt quo tempore produci debuerat; contra quod, ſtatim ut prodiit, reclamaverunt Catholici omnes; quod demum varia complectitur ſpurii partus argumenta; graves utique nec paucos ſuppoſitionis caracteres præfert. Atqui Actum, ut vocant Lambethenſe. 291

1. Numquam productum eſt quo tempore Hardingus, Stapleton, aliique Catholici Doctores Anglis Epiſcopis veræ Ordinationis defectum objiciebant una cum Puritanis. Primus illud circa ann. 1603. defunctis jam univerſis teſtibus coævis, in lucem emiſit Georgius Abbot, Archiepiſcopus Cantuarienſis, opera Maſſoni, ejuſdem Abbot Capellani. Qua porro ratione tam ſeduſo ſupreſſum eſt Actum, quod compeſcendis Catholicorum, Puritanorumque clamoribus adeo idoneum videbatur? 292

2. Contra Actum illud, mox ut ſolem vidit, reclamaverunt Catholici. Reclamavit P. Faircloth, negans ſe Acto huic fidem habere poſſe; eo quia pater ſuus, qui mercatorem agebat in platea Cheapſide, & Proteſtans erat, rem ipſi alio modo narraviſſet: Reclamaverunt Kelliſſon & Fits-Herbertus; eo majori jure, quod cum Jeſuita Faircloth, & 293

Catholicus alter, a Cantuarienſi Abbot licentiam poſtulaſſent Actum illud plenius examinandi, repulſam ambo paſſi ſunt. *Qualia* porro, ajebat Champnejus, *ſunt illa acta, quæ adeo lucem abhorrent, & diſtrictiorem examinationem reformidant?* Vide num. 54. 55. & 56.

294 Et certe merito reclamatum eſt contra Actum publicæ notorietati contrarium. Tale porro eſt Actum Lambethenſe. Siquidem Actum in quo Parkerii ſociorumque ipſius conſecratio publice & ſollemniter facta eſſe ſupponitur eo tempore, quo qui Londini vel in Anglia vixerunt viri pietate & ſcientia graves conſecrationem hanc, nec factam eſſe, nec factam probari poſſe, palam & conſtanter affirmabant, merito dicitur publicæ notorietati contrarium. Atqui Regiſtrum Lambethenſe conſecrationem Parkerii & ſociorum ejus, puta Jevvel, Hornii, &c. eo tempore peractam eſſe declarat, quo qui vixerunt viri omnimode graves eam tali ac publico ritu factam eſſe pernegabant. Sic 1. eam alta voce negabat Bonnerus Londinenſis, qui oblatum ſibi ab Hornio regii Supremarus juramentum ea de cauſſa recuſavit, quod juramentum illud nonniſi ab Epiſcopo alteri Epiſcopo præſtandum offerri poſſet. Sic 2. & eam negabat Stapleton, vir, judice ipſomet Bramhall, Papiſtarum ſenſatiſſimus; qui Parkerium, Hornium, &c. *larvatos Epiſcopos* deprehenſos eſſe, quin ne ipſius quidem Parlamenti, nedum Eccleſiæ Epiſcopos eſſe prædicabat. 3. negabat Ricardus Briſtovv, qui an. 1567. ſcribebat, Parkerium, Grindall, Hornium & alios Epiſcopos creatos eſſe, *vel ſolis litteris Regiis, vel ridicula quadam conſecratione eorum, qui nullam niſi a Regina* Elizabeth *conſecrandi poteſtatem acceperunt*. Vide a num. 60. ad 66.

295 3. Regiſtrum Lambethenſe non paucos falſi caracteres habet. Siquidem juxta regiſtrum illud Parkerius die 17. Decembris an. 1559. conſecratus eſt; poſt eum vero & ab ipſo conſecrati dicuntur die 21. ejuſdem menſis Edmundus Grindall Londinenſis, & Ricardus Cox Elyenſis Epiſcopi. Atqui valide probatur eos omnes ante iſtud tempus pro Epiſcopis habitos fuiſſe; ſeu ea feciſſe, quæ nonniſi ab Epiſcopis conſecratis in Anglia fieri tunc temporis conſueverant. 1. enim ii omnes temporali Eccleſiarum ſuarum reditu fruebantur; quod ſolis ordinatis Antiſtitibus concedi ſolet; 2. Supremarus jusjurandum Epiſcopis conſecratis offerebant; 3. vocabantur Epiſcopi ſimpliciter in Actis Regiis; cum nondum conſecrati vocentur Epiſcopi; 4. jam a die 28. Novembris de Parkerio dicebat Gilbertus de Tich, Armorum Rex, quod *diu in virtute claruit, & veri & Chriſtiani Præſulis officio functus eſt, & in dies fungitur*. Atqui nec fungitur, nec fungi poteſt veri Præſulis officio, qui nequidem confirmatus eſt, nedum ſit conſecratus. Ergo vel Parkerius ante diem in Acto Lambethano aſſignatam conſecratus erat; vel, ut ei, ejuſque ſociis toties exprobrarunt Stapleton, Bonnerus, & alii Chriſti Confeſſores, furis inſtar gregem invaſerat abſque conſecratione ulla, quam reapſe inutilem prorſus ac mere ſuperſtitioſam judicabat. Vide a n. 67. ad 71.

296 Confirm. ſi conſecratio Lambethana in falſi ſuſpicionem venire non poſſit, vel quia deprompta eſt e Regiſtro publico; vel quia deprompta eſt e Regiſtro, quod corrumpi non potuit; vel demum quia deſumpta

eſt

eſt e Regiſtro, quod invicte probatur adulteratum non fuiſſe. Atqui nullum ex his certo affirmari poteſt. Non primum; cum fateatur Corayerus non ſtatim verum eſſe quidquid publicis e Regiſtris eruitur; & conſtet in celebrioribus Archiviis ſpuria multa cum genuinis multis includi. Non ſecundum; tum quia, ex eodem Scriptore, Anglicana Regiſtra perſæpe conſtat ex foliis volantibus, quæ poſt Epiſcopi mortem in unum volumen compinguntur: nihil autem ſit facilius, quam folium volans vel interponere ubi non erat, vel alii ſubſtituere; tum quia tot fuerant ſub Elizabethæ regno falſarii, ut iis generalem veniam indulgere coactus ſit Jacobus I. Mirum autem ſi a tot falſariis nemo in gratiam Religionis ſuæ, adeoque Anglicani Epiſcopatus induſtriam ſuam exercere cogitaverit. Tum quia non eſt certior Parkeriani Regiſtri fides, quam Cranmeriani; quod tamen ex ipſomet Diſſertatore Acta falſa continet. Non tertium, 1. enim unde probavit Corayerus Regiſtrum illud intactum remanſiſſe. 2. Si vere ab initio Parkeriani Archiepiſcopatus inſerta fuerit eidem Regiſtro conſecratio tum Parkerii, tum & eorum qui ab ipſo ordinati perhibentur; qui illud conſuluere Scriptores, ſecum invicem conſentire debent. Atqui tamen ii nec inter ſe, nec cum Regiſtro, quale nunc exhibetur, conſentiunt. Cum alii alios Parkerii conſecratores aſſignent; alii aliam diem, menſem alium, alium quandoque annum conſecrationi Grindall, Hornii, Barkei, &c. Ergo. Repete a num. 72. ad 83.

Obj. 1. ut indubia ſit Parkerii Ordinatio, ſatis eſt ut indubia ſit veritas Acti Ordinationem hanc teſtificantis. Atqui hæc prorſus indubia eſt; cum eam aſſeruerint perſonæ publicæ, ut videris n. 100. & Actum illud congruat indubiis ejuſdem ævi monumentis, potiſſimum vero *Antiquitatibus Eccleſiæ Britannicæ*, ubi in vita Parkerii ſic habetur: *Anno Domini* 1559. Matth. Parker... 17. *die Decembris*, *adhibitis quatuor Epiſcopis VVillielmo* Barloo *Ciceſtrienſi*, &c. *conſecratus eſt*, ut ſupra n. 102. Hoc autem *Antiquitatum* Opus, cum an. 1572. tribus proinde annis ante Parkerii mortem prodierit, fidem indubiam meretur. 297

R. ad 1. neg. min. Ad 2. diſt. ant. pro prima parte: perſonæ publicæ Acti hujus veritatem aſſeruerunt, id eſt actum illud exiſtere declaraverunt, C. id eſt aſſeruerunt res ſe habuiſſe prout eo in Inſtrumento continentur, N. Quemadmodum igitur nemo dubitat quin plura & antiqua exiſtant monumenta, quæ tamen ſerio diſcuſſa, uti apocrypha rejiciuntur; ſic & falſum cenſeri poteſt id quod in Regiſtro Lambethenſi enuntiatur, ſi graves id cauſſæ requirant. Atqui graves ſunt cauſſæ, quæ relationem hanc mendaciter fabricatam eſſe indicent; & ideo nonniſi fidelibus amicis concreditam, donec opportuno tempore in gratiam Epiſcopatus Anglicani prodire poſſet. Sunt autem eæ cauſſæ quod actum illud numquam productum fuerit, quo tempore produci debebat, ſed tantum 50. poſt annis, &c. Vide n. 52. & ſeq. 298

Immo legaliſatio quæ nobis objicitur, falſa eſt. 1. quia auctores ejus imprudenter aſſerunt Actum illud eſſe proceſſum verbalem Conſecrationis Parkerii: cum tamen nec formam, nec ſpeciem habeat proceſſus verbalis, ſed Relationis meræ & quidem in omnibus affectatæ; 2. quia nullo ſeu conſecratorum, ſeu teſtium chyrographo munitum eſt. V. nu. 80. & 104. 299

300 Ad 2. partem. 1. Nego quod Relatio Lamberthana congruat cum Libro antiquitatum Eccleſiæ Britannicæ; ſiquidem 1. juxta Relationem, *nonnulli* ſolum, id eſt pauci, cæremoniæ interfuerunt; contra vero ſecundum Antiquitatis *frequens* aderat *graviſſimorum hominum cœtus*. 2. Juxta relationem concio a Scoreo habita præceſſit cæremoniam conſecrationis: at ſecundum Antiquitates concio ſubſecuta eſt conſecrationem. Vide num. 106.

301 2. Diſt. ant. Actum ſeu Regiſtrum congruit cum Libro Antiquitatum, qui in præſenti negotio nullius eſt auctoritatis, C. ſecus, N. Siquidem Liber vel ab ipſo Parkerio, vel ſub oculis ejus a Joſcelino ipſius Capellano compoſitus, non aliam habet quam Parkerii ipſius auctoritatem. Porro quæ in propria cauſſa eſſe poteſt auctoritas Parkerii, qui in eodem de Antiquitatibus Libro ſanctos Eccleſiæ Anglicanæ Fundatores ſacrilege calumniatur; totque commiſit menda, ut eum centies redarguat Warthon in *Anglia ſacra*.

302 Quod additur Librum hunc an. 1572. in lucem prodiiſſe, impendio falſum eſt. Non enim dici poteſt publicam in lucem prodiiſſe opus tenebrarum, cujus pauca quæ extiterunt exemplaria nec Catholicis ullis cognita ſunt, nec ipſis Proteſtantibus, ut Wittakero, Bullero & ſimilibus, qui numquam inde contra Catholicos argumentati fuere. Vide n. 108.

303 Inſt. brevior Parkerii vita conſecrationem ejus diſerte refert his verbis: *ad ultimum* petierunt omnes, *ut manus illi impoſita maxime cedat ad gloriam Dei*. Atqui vita hæc ſub ipſum Parkerii tempus publicam in lucem emiſſa eſt a Puritano quodam cum notis Parkerio admodum injurioſis.

304 R 1. neg. maj. objecta enim verba non e breviori vita, quam cum notis dedit Puritanis, deſumpta ſunt, ſed ex prolixiori Latina, quæ ut dictum eſt, tamdiu in tenebris ſepelienda erat, donec mortuis omnibus qui reclamare poſſent, juris fieret publici.

305 R. 2. vitam a Puritano editam cum notis, ſive ab auctore ex metu Elizabeth. ſive aliis de cauſſis ſuppreſſa ſit, eouſque raram fuiſſe, ut a nemine, Catholico, vel hæretico tunc temporis citata fuerit. Atque hinc unum dumtaxat ejus exemplar in tota Gallia detegere potuit P. le Quien. Vide num. 111. & 112.

306 Obj. 2. rejici non poteſt Lambethana ordinatio, quin admittatur Cauponaria. Atqui hæc inanem fabulam plene redolet. Supponit enim 1. Thomam Neal admiſſum fuiſſe in teſtem Ordinationis, quam utpote ridiculam, Catholicis abſcondere debebat Parkerius & ipſius ſocii; 2. Parkerium contempſiſſe leges Elizabethæ, quibus præceptum erat ut novi Epiſcopi ſecundum Eduardi ritum ordinarentur: Neque enim Landavenſis Epiſcopus, utpote Catholicus, alio quam Catholico ritu Parkerium conſecraſſet; id eſt ritu, quem juxta nos execrabatur Parkerius. 3. Bonnerum eo uſque delirum fuiſſe ut crederet Landavenſem Epiſcopum, qui Suprematum juraverat, intentatæ ſibi excommunicationis metu abſtenturum a Parkerii conſecratione: Vide numer. 13. 14. & 15.

307 R. 1. neg. maj. fieri enim poteſt ut Cauponaria Conſecratio ex levioribus conjecturis credita ſit, & Lambethenſis fabricata ad propulſan-

ſandos in poſterum, ſeu Anglicanorum ſcrupulos, ſeu Catholicorum inſultus. Vide num. 76. & 114.

R. 2. neg. min. non enim adeo fabuloſum eſſe poteſt, quod & a graviſſimis teſtibus aſſertum eſt, & a graviſſimis viris creditum. Nec invicte urgent, quæ contra objiciuntur. 308

Non primum; qui enim ſapientiam ſapientium perdit Deus, plerumque facit, ut qui tenebras quærunt, in tenebris deprehendantur, v. nu. 117. 309

Non 2. quia credere potuit Parkerius futurum ut Landavenſis Epiſcopus, qui jam ex metu Suprematum juraverat, ex eodem, aut humano quopiam motivo, id omne faceret, quod ab eo fieri peroptarent novi Pſeudoantiſtites. 310

Non tertium 1. quia poteſt Epiſcopus cenſuram comminari, non quia ab ipſa multum ſperet, ſed ut nihil eorum quæ officii ſui ſunt negligat. 2. Quia qui ad primum & ſecundum Galli cantum non reſipiſcit, quandoque reſipiſcit ad tertium. Vide num. 119. 311

Conclusio II. dubia quoque & incerta eſt Barlovvi Ordinatio. 312

Prob. 1. tum quia nullibi reperitur Actum Conſecrationis ejus, licet ubique duobus a ſæculis quæſitum; quod ſane mirum eſt; vide n. 84. tum quia ſi conſecratus ſit, utique die 23. Aprilis 1536. prout tandem mutata opinione credidit Diſſertator. Atqui tunc temporis conſecratus non eſt in Epiſcopum Menevenſem; 1. quia in Acto Henrici VIII. dato die 26. ejuſdem menſis, vocatur ſolum Epiſcopus electus & confirmatus, non autem conſecratus; 2. quia per idem Actum traditur ei facultas temporalem Eccleſiæ ſuæ reditum percipiendi, idque *de certis cauſſis* Regem *ſpecialiter moventibus*, & de *gratia ſpeciali*. Porro non indiget tantis cauſſis & gratia adeo ſpeciali Epiſcopus conſecratus, ut Eccleſiæ ſuæ bono perfruatur; 3. quia ann. 1536. & ſequentibus, Menevenſis Eccleſia habebat Epiſcopum nomine Thomam, uti ex duplici Parlamenti convocatione liquet. Barlovvius porro Willelmus, non autem Thomas vocabatur; 4. quia extat mandatum Elizabeth an. 1559. quo præcipitur ut Barlovvius in Epiſcopum Ciceſtrienſis Eccleſiæ conſecretur. Ergo conſecratus non fuerat an. 1536. in Epiſcopum Menevenſem: neque enim denuo conſecratur, qui ad aliam Sedem transfertur; 5. demum, quia ſi Barlovvius an. 1536. conſecratus eſt, debuit conſecrari ſecundum Pontificale Romanum, ſub Henrico VIII. conſtanter obſervatum. Atqui dici id non poteſt; cum ex Hardingo & Guillelmo Fulke, viro inter Proteſtantes non ignobili, quotquot ſecundum Rom. Pontificale conſecrati fuerant, Catholici eſſent, quando Elizabeth coronam aſſecuta eſt. Porro non erat Barlovvius ex Catholicorum grege. Ergo. Vide a n. 86. ad 94. 313

Obj. 1. Barlovvius, teſte doctiſ. Warthon, electus eſt & confirmatus an. 1536. Atqui eo ipſo debuit intra dies 20. conſecrari, vi Regiæ legis *præmunire*, de qua ſupra num. 18. 314

R. neg. min. 1. quia Henricus VIII. cui neceſſaria erant Barlovvii officia, tam potuit ipſum a lege illa diſpenſare, quam potuerit permittere *ex ſpeciali gratia*, ut ante tempus per Regni leges præſcriptum *temporali* Eccleſiæ ſuæ frueretur; 2. quia non præcipiebat lex *præmunire* ut Epiſcopus intra viginti dies ordinaretur, ſed ne is qui ad eum 315

conſecrandum nominatus erat, ſi conſecrare rogaretur, conſecrationem differre auderet ultra 20. dies, ne ſcilicet interim ad Apoſtolicam Sedem recurretur. Porro non is erat Barlovvius, qui Romano, quem deteſtabatur, ritu conſecrari ambiret; 3. quia conniventibus Cranmero, & Cronvello, generali Regni Vicario, facile perſuadere potuit Barlovvius ſe conſecratum eſſe, licet non eſſet conſecratus. Quemadmodum olim Chriſtiani quidam perſuadebant ſe idolis ſacrificaſſe, licet iis non ſacrificaſſent. Vide n. 126. & 127.

316 Obj. 2. Barlovvius Barlovvii Epiſcopi pronepos, vir ſumme Catholicus, neque in patruum ſuum indulgentior, teſtatur eumdem fuiſſe conſecratum. Ergo. Vide poſt nu. 22.

317 R. diſt. teſtatur ex relatione ipſius Pſeudoepiſcopi Barlovvi, C. teſtatur ut teſtis idoneus, N. Pene centenarius erat nepos ille, cum hæc ſcripſit, vixque annos natus decem, cum inauguratus fuiſſe dicitur Barlovvius. An vero ea ætate dijudicare potuit, an in prætenſa illa patrui ſui Ordinatione omnia ſecundum regulas peracta ſint. Immo an præſens erat? Vide nu. 128.

318 Obj. 3. vere conſecratus fuit, qui omnia Epiſcoporum propria exercuit. Atqui Barlovvius... Qui enim inter Regni Pares ſubſcripſit in Parlamento; qui ante Epiſcopos certe conſecratos ſubſcripſit; qui alios Epiſcopos, puta Arthurium Bulkelei conſecravit; is certe Epiſcopalia exercuit. Atqui Barlovvius, &c. Vide n. 19. 20. & 21.

319 R. neg. maj. ut enim omnia hæc præſtiterit Barlovvius, neceſſe non fuit ut reipſa conſecratus eſſet, ſed ut haberetur pro conſecrato. Id autem fingere facillime potuit opera Cranmeri & Cronvelli, prout modo dictum eſt. Et vero eadem fecit Latymer, cujus tamen conſecratio admodum incerta eſt. Vide num. 129.

320 Obj. 4. ſi Barlovvius non fuiſſet conſecratus, id ei dubio procul objeciſſent Catholici, ut & Parkerio, Hornio & aliis toties objecerunt. Atqui tamen nuſquam id ei objectum fuit.

321 R. 1. potuiſſe Catholicos, ut & alios, per aliquod tempus, ex jactitata Barlovvii Ordinatione credere eum reipſa ordinatum fuiſſe, donec rebus, cum licuit, maturius expenſis, ſparſum de ipſius Ordinatione rumorem falſum eſſe compererint.

322 R. 2. neg. min. ſiquidem Hardingus & alii Catholici palam conteſtati ſunt, novos Anglicæ Sectæ Epiſcopos, *ex proprio ipſorum confeſſo*, a nullo qui recta linea ab Apoſtolis deſcenderet ordinatos fuiſſe. Porro, ſi ut adverſario placet, Barlovvius ſub Henrico VIII. proinde juxta Pontificale Romanum fuiſſet ordinatus, non ſecus ac alii Catholici Præſules recta linea deſcendiſſet ab Apoſtolis per validam conſecrationem. Vide n. 131: ſed & 132.

323 Obj. 5. is vere ordinatus fuit, cujus Sedes per liberam reſignationem vacare dicta eſt ſub Maria. Atqui Sedes Menevenſis declarata eſt vacare *per liberam & ſpontaneam reſignationem D. VVillielmi Barlovv. ultimi Epiſcopi & Paſtoris ejuſdem*; eo nempe quia Matrimonium contraxiſſet Barlovvius, ut fert Regiſtrum Cantuarienſe.

324 R. neg. maj. quia, ut Barlovvius Beneficium ſuum reſignaret, ſeu, (quod notandum) dimitteret, ſatis erat, hinc quidem ut haberetur pro Epi-

Epiſcopo; inde vero ut Maria contra Barlovvium & Epiſcopos, qui
adverſus ipſam non conſpiraverant, *ſummarie* tantum, prohinc ſine
accurato rerum examine procedi voluerit. Atqui res ſic ſe habuerunt,
teſte Colliero, Tom. 2. p. *363*. Ergo. Vide n. 135. & 136.

Conclusio III. Ordinationes Anglorum ex parte formæ, non
tantum dubiæ ſunt, ſed & certo invalidæ.

Prob. 1. ea forma certo invalida eſt, quæ non prodiit ab auctorita- 325
te legitima, ſeu Eccleſiaſtica, ſed a civili. In rebus enim Eccleſiaſti-
cis, iis præſertim quæ ad Sacramenta ſpectant, nulla alia eſt præter
Eccleſiaſticam legitima auctoritas, ut cum ceteris fatetur Diſſertator.
Atqui Eduardi forma a ſola civili auctoritate prodiit 1. Quia Cran-
merus & Barlovvius qui impium novæ formæ conſilium dederunt,
prout medullitus Zuingliani, perſuaſum habebant, quod *omnimoda au-
ctoritas, tam Eccleſiaſtica, quam ſæcularis a Regia poteſtate, velut a ſupre-
mo Capite... emanavit.* Ita refert & approbat Auctor Hiſtoriæ Refor-
mationis Anglicanæ. Ergo & perſuaſum habebant, Epiſcopos nihil
poſse niſi dependenter a Rege. 2. Quia eadem auctoritate condita
eſt Ordinationis forma, qua reformatus eſt, in pejus ſcilicet, Liber
communium Precum. Atqui iſte tum Regis, tum & Parlamenti au-
ctoritate reformatus eſt; eique conjuncta Ordinationum forma. *Le
Roi, de l' autoritè du Parlement a fait revoir ... ledit Livre; & de la meme
autoritè y a joint la* nouvelle *forme & maniere de faire & conſacrer les Eve-
ques, Pretres & Diacres*: verba ſunt Curiæ Londinenſis an. 1552. (Vi-
de n. *169*.) 3. Si nova forma Eccleſiaſticæ auctoritati tribueretur, ideo
maxime, quia ut contendit Diſſertator, ſex Epiſcopi, totidemque Ec-
cleſiaſtici homines Eduardi Rituale adornarunt. Atqui hæc ratio non
ſufficit; tum quia iidem ut meri Regiæ voluntatis executores rem per-
fecere; cum tunc temporis Rex Eccleſiaſticam auctoritatem adeo uſur-
paret, ut Epiſcopos vel inſtitueret, vel deſtitueret pro nutu, iiſdem
interdiceret prædicatione, ac ipſa ordinatione, quin & *fidei articulos ap-
probaret*, ut ait Stapleton; tum quia ut Cranmerus, Goodrich, & alii
Ordinalis Reformatores, Eccleſiæ Anglicanæ nomine egiſſent, neceſſum
fuiſset ut ſaniorem ac majorem ipſius partem impiæ ſuæ Reformatio-
nis approbatricem habuiſſent: non habuerunt porro, cum tunc Epi-
ſcopi plerique Catholici forent; & ſacrilegæ novitati obſiſterent pro
viribus. Ergo Eduardi Ordinale primitus & radicaliter peccat.

Prob. 2. forma eſſentialiter & intrinſece vitioſa validos Miniſtros 326
efficere non poteſt. Atqui forma per Ordinale Eduardi præſcripta...
Forma enim, in qua non exprimitur id quod primario exprimunt om-
nes mundi Eccleſiæ, eſt eſsentialiter vitioſa. Atqui per Eduardi for-
mam non exprimitur... Siquidem Ordinationis forma in omnibus Mun-
di Eccleſiis, non Catholicis tantum, ſed & ſchiſmaticis, exprimit
verum Sacerdotium, veram proinde ſacrificandi poteſtatem. Unde
ubique gentium in ſacris ritibus uſurpantur Altaris, Oblationis, &
Hoſtiæ vocabula. Atqui nihil tale habet forma Anglicana. Poſtulat
quidem a Deo Antiſtes ut Ordinandis conferat gratias, quibus iidem
miniſterii ſui functiones rite obeant. Verum eæ functiones in eo conſtituun-
tur, ut initiandi plebem ſibi committendam regant & verbo paſcant. Nulla
ibi

ibi vox quæ veri Sacerdotii aut ſacrificii ideam ſuppeditet. Immo nec vox ulla talis in Anglicano ſyſtemate admitti poſſet. Per Presbyterum, ajebat Hornius, dignus indigni Cranmeri aſſecla, non intelligitur homo qui ſacrificium offerat: *Presbyteri* enim *Ordo hoc ſenſu ſumptus ſolum ad Clerum apoſtaticum Romanum pertinet*. Witaker vero: *Sacerdotes nec eſſe, nec haberi volumus. Nulli ſunt Sacerdotes qui ſacrificium divina virtute faciant*. Vide a n. 184. ad 188.

327 Et vero, ſi ut Diſſertatori videtur, Eduardi forma veros Sacerdotes efficiat, neceſſum eſt ut in Cœna ab Anglicanis confecta corpus Chriſti reipſa præſens agnoſcatur, ideoque & adoretur. Atqui Catholicorum nemo hactenus Chriſtum uti præſentem in Anglicana Cęna adoravit; neque id a Corayero Angliam jam pridem incolente factum opinor. Ergo.

328 Cofirmatur: Ea forma eſſentialiter vitioſa eſt, quæ excludit intentionem etiam externam faciendi id quod facit Eccleſia. Atqui forma Eduardi excludit... Siquidem ex Tridentino ſeſſ. 22. can. 2. & ſeſſ. 23. can. 1. Eccleſia dum Sacerdotes facit, intendit facere Miniſtros, qui vere ac proprie offerant, & ſacrificent corpus Chriſti. Atqui intentionem hanc ne exterius quidem habent Angli, ſed diſertim excludunt. Illi enim ne exterius quidem intentionem habent conſtituendi Miniſtros qui offerant atque conſecrent corpus Chriſti, qui quotidianam incruenti ſacrificii oblationem, velut impoſturam & blaſphemiam, in ipſa quam emittunt fidei profeſſione, execrantur; qui Sacerdotii ideæ, per quam ubique locorum intelligebatur poteſtas ad ſacrificium relativa, aliam ſubſtituunt ideam, vi cujus ſola exprimitur functio Prædicantium, Seniorum, &c. qui denique Sacerdotes noſtros, cum apoſtatant, non ante recipiunt, quam Sacerdotium ſuum ejuraverint. Atqui hæc omnia de Anglis novæ formæ fabricatoribus certiſſime conſtant. 1. Enim in articulo 39. Confeſſionis Anglicanæ, ſacrificium Miſſæ vocatur *blaſphemum figmentum & pernicioſa impoſtura*. 2. Juxta Maſſonium *poteſtas offerendi ſacrificium, quam* admittunt Papiſtæ, *revera Miniſtros Antichriſti facit*. 3. Si quidam e Sacerdotibus noſtris ad Anglicanam Synagogam tranſmigret, his eum verbis affatur Pſeudominiſter: *Vide nullum Sacerdotem in Eccleſia Anglicana admitti poſſe, niſi primariam Sacerdotii veſtri functionem ejuraverit, quæ in Miſſatione & Sacrificatione conſiſtit*. Nemo certe id largiri intendit, quod acceptum ejurare compellit. Vide a n. 174. & 181.

329 Prob. 3. invalidæ cenſeri debent Ordinationes, quas poſt maturum examen conſtanter rejecit Eccleſia Romana, Anglicana, quamdiu fuit Catholica, & Gallicana, nulla in contrarium reclamante Eccleſia. Atqui Ordinationes Anglicanas conſtanter rejecit Eccleſia, 1. Romana, præſertim vero in cauſſa N. Gordon, Glaſcovienſis Epiſcopi, cui ad unitatem Catholicam reverſo Tonſuram contulit Clemens XI. 2. Eccleſia Anglicana, quæ an. 1551. regnante Maria declaravit Ordinationes omnes ſecundum Eduardi Ordinale peractas nullius omnino momenti eſſe; adeoque denuo ordinandos eſſe, qui juxta hunc ritum inſtituti erant, utpote qui non eſſent *in very deed*, ſeu reipſa & vere ordinati. 3. Eccleſia Gallicana, quæ novos Ordines tum N. Gouffe,

Ora-

Oratorii Congregationem ingreſſo dedit, approbante Morino; tum & D. Maſſy, Oxonienſis Eccleſiæ Decano, poſtquam quæſtio de Anglicanis Ordinationibus diu coram Doctiſſimo Harlæo ventilata eſt. Vide n. 201. & ſeq. ad n. 208.

Obj. 1. contra tertiam hanc probationem. Valent Ordinationes, 330
quas Roma approbavit. Atqui... Prob. min. Eas ordinationes approbavit Roma, quas Julius III. ſolum rehabilitari jubet, non vero iterari. Atqui Julius III. in ſua ad Card. Polum Bulla ſolum rehabilitari jubet Ordinationes Epiſcoporum ſub Eduardo factas, ut & eas quæ ſub Henrico VIII. peractæ erant. Vide n. 220.

R. 1. ſi variavit Roma, ſtandum eſſe poſteriori ipſius judicio, tum 331
ut tutiori, tum ut quæſtione maturius expenſa lato.

R. 2. ad 1. neg. min. Ad 2. 1. neg. maj. eo enim in loco agit Ju- 332
lius de Epiſcopis: nulli porro erant in Anglia Epiſcopi ſecundum novum Ordinale inſtituti, prout falſo ſupponit objectio. Unde qui tunc Epiſcopi nuncupabantur, vel eluſerant conſecrationem, vel antiquo ritu ordinati fuerant. Ita ferme Harduinus. Vide n. 222.

R. 3. neg. min. nec enim alienum eſt ab Eccleſiæ uſu, ut Sacra- 333
mentum, etiam invalide vel dubie collatum, dicatur rehabilitari, prout in Matrimonio patet. Ergo potuit Julius uti generali voce, quæ per accommodam diſtributionem intellecta, nunc ſolam Ordines illicite receptos exercendi facultatem largiretur, nunc, pro ſubjecta materia, verum novæ Ordinationis præceptum injungeret. Porro hanc fuiſſe Julii mentem inde liquet, quod Maria & Card. Polus, quibus certe notior fuit Julii intentio, quam Diſsertatori, poſt receptum Julii Diploma Ordinationes juxta Eduardi ritum factas ſemper pro invalidis habere perrexerint. Unde idem Cardinalis cum ad Sedem Cantuarienſem evectus eſſet, voluit ut diſpenſaretur cum iis qui ab hæreticis Epiſcopis ordinati eſsent, *dummodo in eorum Collatione Eccleſiaſtica forma & intentio ſit ſervata*. Ergo erant tunc in Anglia Miniſtri, quorum Ordinatio ex parte formæ & intentionis vitioſa erat. Hi porro non alii eſse poterant, quam qui ad Diaconatum aut Presbyteratum, ſecundum Eduardi Rituale promoti fuerant. Ergo hos pro nulliter ordinatis habebat Polus; qui certe a Julii ſenſu ne uno quidem paſsu recedebat. Vide n. 224. & 225.

Inſt. 1. qui ſolum *minus recte* ordinati ſunt, non ſunt invalide or- 334
dinati. Atqui ex Julio III. qui juxta Rituale Eduardi ordinati erant, id ſolum habebant vitii quod *minus recte* ordinati eſsent. V. n. 226.

R. neg. min. hæc enim Julii verba de iis tantum intelligi debent, 335
qui vel hæretici, vel ſaltem ab hæreticis Ordines receperant, ſive ſub Henrico VIII. ſive ſub Eduardo, ſed ante novi Ordinalis inſtitutionem. Atque hinc eſt quod qui ſecundum novum hoc Ordinale initiati ſunt, ſemper ſub Maria denuo fuerunt ordinati. Vide n. 227.

Inſt. 2. dubia Julii mens non melius dignoſci poteſt, quam ex fa- 336
ctis ſeu Mariæ ipſius, ſeu Bonneri Londinenſis Epiſcopi. Atqui Maria & Bonnerus Ordinationes ex ritu Eduardi factas pro validis habuerunt. Maria quidem, cum ſolum præceperit, ut in iis qui ſic ordinati erant, ea *quæ deeſſent*, *ſupplerentur*. Bonnerus vero, cum id

etiam

etiam unum exegerit, ut qui *ritu a ritu Eccleſiæ diverſo*, id eſt ritu Eduardi, ordinati erant, *reconciliarentur*. Ergo. Vide num. 229. & 230.

337 R. ad 1. neg. min. 1. de Maria, hæc enim velle potuit & debuit, ut iis qui ſecundum Pontificale Romanum ordinati erant Diaconi, Presbyteri vero ſecundum Ordinale Eduardi, ſupplerentur quæ deeſſent; nec tamen Eduardi Ordinationes approbare, immo potius rejicere. 2. De Bonnero; Is enim per Ordinationes ritu ab Eccleſiæ ritu diverſo factas, eas intelligit quæ ſub ipſo etiam Henrico factæ erant. In his enim gravis præcedebat ritus a ritu Eccleſiæ longe diverſus, nempe juramentum de regio Supremate. Quod autem is ſit Bonneri ſenſus patet, quia loquitur ille de Presbyteris Miſſam celebrantibus: porro qui juxta Eduardi Rituale ordinati erant, non celebrabant Miſſam, quam ad minus tacite ejuraverant.

338 His adde 1. quod aliud ſit interrogare, an quis Miſſam celebraverit, antequam Eccleſiæ reconciliatus eſſet: aliud declarare quod ei ſufficiat ſimplex quæcumque reconciliatio. 2. Quod mitiori reconciliationis nomine uti potuerit Bonnerus; quia, cum ex prævio Catholicorum Epiſcoporum judicio, Eduardi Ordinationes a Parlamento nuper irritatæ eſſent, merito judicabat ſe plene intellectum iri. Vide num. 232. & 233.

339 Inſt. 3. ſi Julius III. Anglicanam Liturgiam, & cum ipſa Eduardi Ordinale reprobaſſet, nuſquam promiſiſſet Paulus IV. ſe Liturgiam hanc approbaturum eſſe, *dummodo* Elizabeth *Romanæ Eccleſiæ ſe aggregaret*. Atqui id tamen promiſit Paulus, teſte Cambden, ſupra n. 130.

340 R. neg. min. 1. quia id non refert Cambden ut certum quid, ſed ut fama populari jactatum, *Fama obtinet*, inquit, *Pontificem fidem dediſſe*; 2. quia Joannes Durell, Anglicanus Presbyter, ait rumorem hunc *fabulam meram eſſe a Puritanis confictam, ut Librum communium precum, quaſi Papiſticum nimis, odioſum efficerent;* quod & tradit Fullerus; 3. quia non conſentiunt inter ſe Angli quis ille fuerit Pontifex; cum alii eum fuiſse velint Paulum IV. alii Pium IV. aut V. 4. quia Liturgiam Anglicanam approbando, approbaſſet Papa Miſſæ & Altarium ſubverſionem, Sacramenta ad duo redacta; &c. Crediderint id Heylin & Burnetus: ſed quis, niſi in inferis, præter ipſos. Vide n. 236.

341 Obj. 2. vel rejiciuntur Ordinationes Anglicanæ, quia harum forma prodierit ab Eccleſia nationali & hæretica; vel quia prodierit a poteſtate ſeculari. Atqui neutra de cauſſa rejici poſſunt. Non ob primam: cum Eccleſia Anglicana id potuerit, quod potuerunt ſchiſmaticæ Orientalium Eccleſiæ: iſtæ vero liturgias ſuas in iis etiam, quæ ſpectant formas Sacramentorum a Chriſto minime determinatas, immutaverint; ut ipſe fatetur Renaudotus. Non ob ſecundam: cum Eduardi Rituale a viris duodecim Eccleſiaſticis per inditam ipſis a Chriſto auctoritatem compoſitum ſit, ut ſcribit Burnetus. Vide num. 248. & ſeq. ad num. 252.

342 R. 1. neg. maj. ut quæ falſo ſupponat Eduardi Ordinale, a Nationali Angliæ Eccleſia prodiiſſe; cum e contra nonniſi a quibuſdam Zuinglianis, reclamantibus Catholicis, exaratum ſit. Vide n. 253.

R. 2.

R. 2. neg. min. Namque 1. etſi potuerunt ſchiſmaticæ Eccleſiæ ritus ſuos in quibuſdam accidentalibus immutare (quod nunc penitius indagare non vacat) numquam tamen eſſentialia eorum capita mutare & invertere poterunt; unde eorum formæ cum noſtris penes eſſentialia omnino concordant; vel ſi forte non concordent, malæ ſunt. Atqui Anglicani ritus ſuos in eſſentialibus inverterunt. Qui enim veros Sacerdotes nec faciunt, nec facere intendunt; qui Altari ad ſacrificandum deſtinato menſam ad manducandum duntaxat deſtinatam ſubſtituerunt; qui oblationem & Sacrificium reale, tamquam ſatanæ adinventionem tulerunt e medio; ſi ſane eſſentiales ritus ſubverterunt. Atqui Anglicani, &c. 343

2. Equidem ab Epiſcopis ſex ac totidem Theologis compoſitum eſt Eduardi Rituale; ſed non alia quam Principis auctoritate; Principis, inquam, cui iidem illi Epiſcopi ſupremam in ſpiritualibus, ut & in politicis auctoritatem attribuebant; eamque talem ut Papiſſa Elizabeth, id de *ſuprema* ſua *auctoritate Regia* in Epiſcopis Ordines conferentibus ſuppleret, quod eis *ſecundum* ipſas *Eccleſiaſticas leges* deerat. Quod inauditum facinus, nedum Papa, immo nec Eccleſia tota cogitare auſit. Vide n. 255. 344

Inſt. fieri non poteſt, ut qui Ordinem a Chriſto inſtitutum eſse credunt, Ordinis conferendi ritum a ſæcularibus dependere credant. Atqui Angli ipſo Eduardi tempore credebant... Sic enim habet oratio, quam inter ordinandum adhibent: *Omnipotens Deus... qui per Spiritum S. tuum diverſos Miniſtrorum Ordines in Eccleſia tua conſtituiſti*, &c. 345

R. 1. hinc ſequi Anglos peſſime ratiocinari. Id porro quid ad nos: ipſi viderint. 346

R. 2. neg. maj. quemadmodum enim indubie credunt Angli diverſos politici ſtatus Ordines eſse a Deo, a quo eſt poteſtas omnis, Rom. 13. & tamen merito credunt neminem in his ſtatibus conſtitui, niſi ſecundum ritus humano arbitrio permiſsos; ſic & credidere diverſos eſse in Eccleſia Miniſtrorum Ordines, qui ſecundum ſupremam Regis voluntatem & certis perſonis committi, & tali ritu inſtitui, & pro ejus arbitrio deſtitui poſsent. Idque eo fuit Anglis facilius, quod cum Ordinem ex Sacramentorum albo expungant, nihil in eo admittant vere divini. Vide n. 264. & 265. 347

Obj. 3. ad validam Sacramenti collationem ſufficiunt materia, & forma cum legitima intentione Miniſtri. Atqui nihil horum deeſt Ordinationibus Anglicanis. Non materia; cum habeant manuum impoſitionem. Non forma: cum preces fundant cæleſtis gratiæ ſuper Ordinandum invocativas. Non intentio: quia hæc occurrit, quoties exterior Ordinationis ritus ſerio & in debitis circumſtantiis peragitur. Ergo. 348

R. ad 1. neg. min. & dico Anglicanas Ordinationes ex parte materiæ dubias eſse; quia certo definiri non poteſt an ſola ſufficiat manuum impoſitio (vide n. 274.) Invalidas vero prorſus, tum ex parte formæ, tum & ex parte intentionis. Ex parte quidem formæ, quia hæc non conſiſtit in vagis precibus, ſed in oratione gratiam Sacerdotalem, adeoque ad verum Sacrificium relativam advocante: Ex parte autem intentionis, quia nedum gratiam hanc advocare 349

inten-

intendant Anglicani, immo invocationem ejus nonniſi a ſolis Antichriſti Miniſtris, & ab apoſtatico Eccleſiæ Rom. Clero fieri poſſe blaſphemant. Vide num. 275. & 276.

CAPUT SEPTIMUM.

De ſubjecto Ordinationis.

1 DUo nobis in præſens expendenda veniunt, 1. quis Ordines valide; 2. quis & eoſdem licite recipere poſſit. Pars prior neceſſarium Ordinationis ſubjectum. Pars poſterior neceſſarias in ſubjecto diſpoſitiones explanabit. De iſta capite ſequenti dicemus: de illa nunc dicendum. Quod ut plene fiat, ſequemur methodum Hallerii Lib. de ſacris elect. part. 2. ſect. 3. cap. 2. & ſeq. & cum ipſo expendemus, 1. an ſolus homo viator ſit capax Ordinationis; 2. an ſolus homo baptizatus; 3. an eidem recipiendæ idonei ſint infantes, amentes, aliique rationis uſu deſtituti; 4. an idem ſentiendum ſit de plene invitis; 5. an & idem de muliebri ſexu. 6. demum quid de hæreticis improbis atque etiam imperitis ſtatuendum ſit. Quæ quia ut plurimum vix quidquam difficultatis habent, leviori calamo perſtringemus. Sit itaque

2 CONCLUSIO I. Solus homo viator capax eſt Ordinationis.

3 Prob. Ordinatio nonniſi ab hominibus ſecundum certos ritus vel a Chriſto, vel ab Eccleſia inſtitutos conferri poteſt. Atqui nec homo in hominem extra viam conſtitutum agere poteſt, nec exteriores ritus circa eum exercere, puta ei vel imponendo manus, vel inſtrumenta porrigendo, vel præcipiendo ut ſacris operetur, &c. Ergo. Hinc Chriſtus Ordinationum arbiter, earum formam & exemplum indicans, ſolis hominibus in via poſitis dixit Jo. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, & Matth. ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c.

4 Confirm. ex his Apoſtoli verbis Hebr. 5. v. 1. & ſeq. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis: qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant; quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Atqui hinc theſis noſtra & aſſeritur & probatur. Aſſeritur quidem, quia qui *ex hominibus* aſſumitur, ſolus eſſe poteſt mortalis homo. Probatur vero, quia ſolus viator, ut pro populi, ſic etiam pro peccatis propriis dona & ſacrificia offerre valet. Ergo.

5 Hinc cum eodem Doctore inferes 1. Angelos Ordinationis incapaces eſſe: quod & docet Apoſtolus Hebr. 2. v. 16. ubi ſic: *Nuſquam enim* Chriſtus *Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Utique, ſi neceſſum fuit Chriſtum fieri hominem, & fratrum infirmitatibus circumdari, ut iis condolendo repropitiaret delicta populi, neceſsum eſt ut homines ſoli, cæterorum mortalium ſimiles, proinde non Angeli, ab humanis miſeriis immu-

immunes, Pontificatum exerceant. *Si enim*, ait S. Chryſoſt. Hom. in SS. Petrum & Eliam, *Anglus eſſet Sacerdos, & quempiam fornicatum deprehenderet, cum ipſe huic morbo addictus non eſſet, ſtatim illum interficeret. Quamobrem ſi Angelus poteſtatem Sacerdotalem accepiſſet, non docuiſſet, ſed occidiſſet, ira commotus, quia ipſe non hujuſmodi eſſet*, &c. Quæ tamen neſcio an admodum ſolida ſint; cum Angeli cuſtodes nec eorum qui curæ ſuæ commiſſi ſunt, delicta ignorent; nec eos tamen repentina ira commoti ſtatim mactent; ſed plerumque ſervent a morte, ut debitam pœnitentiæ viam ingrediantur.

Inferes 2. animas a corpore ſeparatas, nec Ordinum capaces eſſe, 6
ut quæ pars hominis ſint, non autem homo, nec Ordinum munia exequi poſſe; quia caracter in ſacra Ordinatione ſuſceptus, etſi ſemper manet, non tamen ſufficit ad ſacras functiones, quæ viſibile miniſterium poſtulant. Unus eſt Chriſtus, qui ſemper penes animam & corpus vivens, eſt Sacerdos in æternum. Unde Apoſtolus Hebr. 7. 23. *Alii quidem*, inquit, *plures facti ſunt Sacerdotes*, ſeu ſibi invicem ſucceſſerunt, ut Aaroni Eleazarus, &c. *idcirco quod morte probiberentur permanere: hic autem*, Chriſtus, *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Quemadmodum tamen virtutem ſuam Sacramentis non alligavit Deus; 7
ſic nec eam ita certis Miniſtris addixit, ut de via extraordinaria non poſſit id per Anglos efficere, quod per homines conſuevit; unde, ſi fides ſit Nicephoro Lib. 11. Hiſt. c. 20. Amphilochii in Iconienſem Epiſcopum conſecratio ab Anglis per myſticam & arcanam benedictionem facta, ab Epiſcopis qui eum ordinaturi acceſserunt, ſic ratihabita eſt, ut aliam ſuperinducere auſi non fuerint. Ita poſt S. Th. 3. p. 4. 64. art. 7. Hallerius in citato pluries Opere de ſacris electionibus, p. 492.

Inferes 3. eum qui a morte ad vitam mortalem revocaretur, poſſe 8
vel ſuſceptos ante primam mortem Ordines exequi, vel ad Ordines nondum receptos promoveri. Ratio eſt quia in priori caſu viſibilis miniſterii capax foret, tum ratione corporis, tum & ratione caracteris in anima impreſſi, ibidemque perpetuo ſubſiſtentis: In poſteriori vero eidem caracteri per manus impoſitionem recipiendo idoneus eſset, utpote vere mortalis homo, & capax tam pro ſuis, quam pro alienis delictis ſacrificia offerendi. Hinc conſtans apud Provinciales traditio, Lazarum, quem ſuſcitavit Jeſus, primum Maſſilienſis Oppidi Epiſcopum fuiſse. De hoc Lazari & ſororum ejus in Provinciam appulſu conſuli poteſt Nat. Alexander Tom. 1. Hiſt. Eccleſ. Diſsert. 17.

Major eſt, ſed & ſimul jejuna difficultas, an quis ad vitam immortalem ſuſcitatus a mortuis, vel Ordinibus initiari poſset, vel iis uti 9
quos ante mortem ſuſcepiſset. Negantem partem uti probabilem magis amplectitur Tournelyus p. 169. 1. Quia ſicut Sacramenta pro ſolis viatoribus inſtituta ſunt, ſic & ea ſolis a viatoribus adminiſtrari convenit; 2. quia ex dictis, is eſse debet Pontifex, qui ſuas perſentiens infirmitates condolere poſſit alienis. Atqui nulli ſubjaceret infirmitati, qui glorioſam, Cœlitum more, vitam ageret in terris. 3. Quia ſi miniſterium ſacrum exercere poſſint Beati a morte redivivi, nihil veræ cauſsæ eſt

cur

cur id non poſſint pari in caſu damnati, qui uti Tomo VII. diximus, Ordinis & Baptiſmi caracterem ſervant ad ignominiam, ſicut ad gloriam & ornatum ſervant Beati. Atqui tamen communis eſt Theologorum opinio, damnatos non poſse, etiam poſt reſumpta corpora, Sacerdotale munus exercere. Hæc ille, quæ quia meris poſſibilitatibus inhærent, fuſius non proſequor. Quidquid ergo ſit de extraordinaria Dei potentia, certum eſt, nullum umquam, ſive e Beatis, ſive e reprobis, Sacerdotalia exercuiſse. Unde ſi quandoque Angeli aſſumpto corpore Euchariſtiam miniſtraverint, ut ferunt hiſtoriæ veteres, dicendum eos non conſecraſse Euchariſtiam, ſed conſecratam adhibuiſse.

10 Conclusio II. ad validam Ordinum ſuſceptionem prærequiritur Baptiſma in re perceptum.

11 Prob. 1. quia cum de valore Ordinationis abſque prævio Baptiſmo receptæ diu utrinque diſputatum eſſet tempore Innocentii III. * conſultus ea de re ſummus ille & eruditus Pontifex, libratis utriuſque partis rationibus, ſic modeſte reſpondit Ferrarienſi Epiſcopo: *Quia vero in Concilio apud Compendium legitur conſtitutum, quod ſi quis in Presbyterum ordinatus, deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur & iterum ordinetur: nos circa latorem præſentium in hoc dubitabili caſu quod tutius eſt ſequentes, Mandamus, quatenus ipſum per ſingulos Ordines uſque ad Sacerdotium promovere procures, & permittas eum in Sacerdotio miniſtrare, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum; nec male de Sacramento ſentitur, cum illud non Religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit*: ſic ille cap. *Veniens 3. de Presbytero non baptizato*. Ubi duplex occurrit auctoritas, Synodi Compendienſis alia, alia Romani Pontificis.

12 Prob. 2. ex Can. 19. Concilii Nicœni 1. (Tom. 2. Labb. p. 43. E.) ubi hæc legere eſt: *De Paulianiſtis ** ad Eccleſiam Catholicam confugientibus definitio prolata eſt ut baptizentur omnimodis*, id eſt rebaptizentur, prout habet verſio Iſidori Mercatoris ibid. p. 50. quia nempe debitam Baptiſmi formam non uſurpabant. *Si qui autem de his præterito tempore fuerint in Clero, ſiquidem immaculati & irreprehenſibiles apparuerint, rebaptizati ordinentur ab Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ*. Atqui ſi valeret Ordinatio hominis vel nullatenus, vel invalide baptizati, neceſſum non fuiſſet ut denuo ordinarentur, qui apud Paulianiſtas ordinati fuerant. Neque enim hi alio, quam recepto ubique ritu Ordines contuliſſe leguntur.

13 Prob. 3. quia, ut ſolide diſſerit S. Th. q. 35. Supplem. art. 3. Baptiſmus, non in voto ſolum, ſed reipſa ſuſceptus, fundamentum eſt & janua Sacramentorum: quod & docent Innocentius III. cit. cap. *Veniens*, & Eugenius IV. in Decreto Unionis. Atqui nec intratur ubi deeſt janua, nec ſuperædificari poteſt ubi deficit fundamentum.

14 Prob. 4. quia non poteſt quis generare, niſi natus ſit, nec Eccleſiæ publicus Miniſter cenſeri, niſi ſit ejus membrum. Atqui per Baptiſmum naſci-

* Innocentius III. die Januarii 8. an. 1198. ætatis ſuæ 370. Pontifex electus, obiit die 16. aut 17. an. 1216. non an. 1221. ut ſcribit, qui mendis chronologicis ſcatet, Burius.

** Paulianiſtæ, ſectatores ſcilicet Paulj Samoſateni, qui ad Antiochenam ſedem an. circiter 262. erectus eſt.

naſcimur in Eccleſia, & ipſius membra conſtituimur; per Ordinem vero ſpirituales eidem Eccleſiæ filios generamus, & publicum in ipſa Miniſterium exequimur. Ergo prius nos naſci neceſſe eſt, & Eccleſiæ membra fieri, quam Ordines ſuſcipere.

Objic. 1. ſi ad Ordines certo prærequiratur Baptiſmus, Ordines non baptizato collati indubie iterandi erunt. Atqui falſum conſequens. Prob. min. In dubio pars tutior eſt tenenda, ut ſupra docebat Innocentius III. Atqui ex eodem Innocentio iteratio Ordinationis non baptizato collatę eſt ſolum caſus dubitabilis. Aliunde vero pars tutior in caſu quoad Ordines dubitabili non eſt ut iidem Ordines repetantur; ſed ut qui eos dubie recepit, ab iiſdem ſit omnino ſuſpenſus. Sic enim incommodo cuicumque occurritur. Nihil quippe eſt admodum mali, ſi quis ab Ordinis ſui uſu abſtineat; eſt autem mali plurimum, ſi valide ordinatus, ut in caſu dubitabili eſſe poteſt, denuo ordinetur. Ergo. 15

Reſp. ad 1. neg. min. Ad 2. reſpondent aliqui caſum dubitabilem, ſeu dubium de quo loquitur Innocentius III. non cadere in neceſſitatem iterandæ Ordinationis eorum qui baptizati non fuerint; cum eos denuo ordinari debere probet Pontifex ex Synodo Compendienſi; ſed in Baptiſmum illius Presbyteri, qui cum de *Chriſtianis parentibus natus* eſſet, *& inter Chriſtianos fideliter converſatus*, non ſine fundamento baptizatus pręſumi poterat. Unde negant minorem pro prima parte. 16

Verum ſolutio hæc, quam admittit Leodienſis quidam Theologus in Tract. de Baptiſmo pag. 525. vel ipſo textus inſpectu disjicitur. Sane vero ne dubii quidem umbra eſt in his Innocentii verbis: *Veniens ad Apoſtolicam Sedem lator præſentium nobis expoſuit, quod cum ad gradum Sacerdotii aſcendiſſet, comperit tandem quod non fuerit ſecundum formam Evangelii baptizatus: unde Nos eum rite fecimus baptizari*. Nec nocent, ſed potius adverſarium jugulant, hæc verba quæ finem imponunt capiti: *Et certe de illo qui natus eſt de Chriſtianis parentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur quod fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probaretur*. Hæc enim non ad ſuperiorem memorati Presbyteri caſum referuntur, ſed indicant tantum quid judicii ferri debeat, cum emergit quæſtio an hic vel ille baptizatus fuerit: tunc enim, ſiquidem e Chriſtianis parentibus natus ſit, & inter fideles converſatus, non dubitanter, ſed certe judicari debet fuiſſe baptizatus, niſi forte evidentiſſimis argumentis contrarium probetur. Itaque 17

Reſp. neg. min. pro ſecunda parte. Neque enim pars ea vere & omnibus inſpectis tutior dici poteſt, quæ ita Sacramento conſulit, ut Eccleſiæ utilitati peſſime conſulat. Atqui ſuſpenſio hominis cujus dubia eſt Ordinatio, equidem Sacramento conſulit, at Eccleſiæ utilitati male providet: quia fieri poteſt ut qui ab Ordinum uſu ſuſpenſus nihil Eccleſiæ proderit, denuo vel abſolute, vel conditionate ordinatus de ea bene & optime mereatur. Sane ſi longam & pudendam confeſſionem fecerit quis apud Joannem dubie vel invalide ordinatum, longe facilius ad eum, poſtquam certo fuerit ordinatus, recurret, quam ad alienum. Ergo pars, quam velut tutiorem proponit Leodienſis Theologus, eſt quidem durior & crudelior, ſed neque pie tutior eſt, nec omnibus 18

perpenſis vere tuta. Ecquis in caſu Matrimonii dubii, ſecluſo etiam prolis periculo, matrimonium illud iterare recuſaverit? Interim jam ubique conſtat Ordinationem hominis minime baptizati eſſe repetendam. Neque circa punctum iſtud Innocentii III. tempore diſputatum eſt, niſi quia ignotus erat Canon Nicœni Concilii, quem ſupra retulimus.

19 Objic. 2. quiſquis Eccleſiæ membrum eſt, capax eſt Ordinationis. Atqui Cathecumenus per fidem vivam membrum eſt Eccleſiæ. Eſt enim Eccleſiæ membrum, qui Chriſti Eccleſiæ Capitis membrum eſt. Atqui, &c.

20 Reſp. ad 1. maj. diſt. quiſquis membrum eſt Eccleſiæ complete & per adhæſionem tam exteriorem quam interiorem, capax eſt Ordinationis, C. quiſquis Eccleſiæ membrum eſt inchoate dumtaxat, & per unionem cum ipſa mere internam, N. Equidem Fidelis ante Baptiſmum ad Eccleſiam inchoate pertinet, eique interno nexu unitur: ſed cum necdum regeneratus ſit, & a propoſito Catholicæ Religionis amplectendę deturbari queat, prout multis contigit, merito conſtituit Chriſtus, ut cujuſque Sacramenti incapax foret. Et vero cum Chriſtus eo fine inſtituerit Sacramenta, ut per ea Eccleſiam ipſiuſque membra in unum viſibile corpus colligaret, uti docet Auguſtinus Lib. 19 contra Fauſtum cap. 11. fieri non poteſt ut ad viſibile illud corpus plene & complete pertineat, qui primum ejus Sacramentum vel recipere noluit, vel necdum recipiendi capax judicatus eſt.

21 Ad 2. diſt. ut ſtatim: qui Chriſti membrum eſt tam exterius, quam interius, C. qui Chriſti membrum eſt interius dumtaxat, N.

22 Objic. 3. qui capax eſt Euchariſtiæ & Matrimonii, quæ dubio procul Sacramenta ſunt, capax eſt etiam Ordinationis. Atqui homo non baptizatus capax eſt, &c.

23 Reſp. quantum ad Euchariſtiam diſt. non baptizatus eſt capax Euchariſtiæ materialiter recipiendæ, C. recipiendæ formaliter, prout nempe eſt alimentum ſpiritualiter animam nutriens ex opere operato, N. Unde ſi quis bona fide, falſo tamen credat ſe baptizatum, nihil ei proderit Euchariſtia niſi ex opere operantis.

24 Quod ſpectat ad Matrimonium, ejus quidem capax eſt ipſe etiam infidelis, ſed prout eſt humanus atque civilis contractus in officium naturæ; non prout eſt legis novæ Sacramentum. De his vide Tractatum ſequentem.

25 Objic. 4. ex Socrate Lib. 5. Hiſt. cap. 22. Lectores in Eccleſia Alexandrina ex Cathecumenis æquè ac fidelibus baptizatis aſſumebantur. Atqui Lectores verum Ordinem ſuſcipiebant.

26 Reſp. diſt. min. Lectores Eccleſiaſtici verum Ordinem recipiebant. C. Lectores quicumque, N. Lectoratus de quo verba facit Socrates, non erat Ordo, ſed officium; legendi ſcilicet & pſallendi, quod ut hodie, ſic & tunc ipſis etiam laicis committi poterat: & utinam ſolis ſemper piis ac bonis committeretur.

De ceteris quibuſdam objectionibus vide quæ diximus in Tract. de Baptiſmo cap. 8. num. 68. & ſeq.

27 Quæres an etiam Confirmatio ad Ordinationis ſuſceptionem neceſſaria ſit.

Reſp.

Reſp. Confirmationem prærequiri, ut ipſa etiam Tonſura licite recipiatur, non autem ut vel ipſum Sacerdotium recipiatur valide. 28

Pars prima liquet ex Tridentino Seſſ. 23. cap. 4. de reformat. ubi 29
hæc : *Prima Tonſura non initientur*, *qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*.

Secunda pars conſtat, 1. ex unanimi Doctorum conſenſu ; 2. quia 30
Apoſtoli prius in ultima Cœna conſtituti ſunt Sacerdotes, quam confirmati fuerint ; quod ſolum ſacro Pentecoſtes die iiſdem contigit, ut docent Cyprianus Epiſt. 12. ad Jubaianum, Ambroſius Lib. 3. de Sacramentis, cap. 2. Hieronymus Dialog. adverſus Luciferianos.

Fatendum nihilominus Confirmationem a primis Eccleſiæ tempori- 31
bus habitam fuiſſe ut præviam ad Ordines diſpoſitionem. Unde Cornelius Papa inter alia reprehenſionis capita illud etiam Novatiano exprobrat, quod necdum recepta Confirmatione ad Ordines fuiſſet promotus. Quode adi Euſebium Lib. 4. Hiſtor. cap. 43.

Duo hic moventur dubia : 1. an letaliter peccet, qui ante Con- 32
firmationem recipit Ordines ; 2. an ſic recipiendo irregularitatem incurrat.

Circa primum ſcinduntur Theologi. Cenſent alii nullum hic occur- 33
rere grave peccatum ſecluſo contemptu : ita Navarrus, Suarez, Valentia, & alii plures, quos in citatum Tridentini locum refert Barboſa. Alii pauciores letalem hic culpam admittunt cum Toleto, Lib. 1. Inſtr. cap. 71. Hallerio pag. 524. Bonacina diſp. 8. de Sacramentis, q. unic. Punct. 1. num. 10. Idem tenet Collator Andegavenſis ubi de Ordine pag. mihi 239. tum quia gravis hic occurrit materia, & generalis Concilii præceptum, quod pro levi haberi non debeat ; tum quia non modica res eſt, ſi quis a generali Eccleſiæ conſuetudine recedat ; tum denique quia in loco ſupra citato interrogat Cornelius R. Pontifex, *quonam modo* Novatianus *ſignaculo minime percepto Spiritum Sanctum* in Ordinatione ſua *potuit accipere*. Fatendum tamen cum eodem Theologo, peccatum hoc propter plures circumſtantias intra venialis lineam contineri ; Quin, & meo judicio, identidem fieri poteſt, ut omnino nullum ſit. Unde non redarguero ſi bonæ ſpei adoleſcens, ad Beneficium ſibi tam ad ſtudia, quam ad titulum Clericalem omnino neceſſarium ſtatim promovendus, ante Tonſura donetur, quam Confirmatione, quæ hic & nunc ab Epiſcopo Chriſmate deſtituto conferri non poteſt.

Quod ad ſecundum dubium ſpectat, certum eſt nullam in Gallia in- 34
curri irregularitatem ab iis qui omiſſa Confirmatione Tonſuram recipiunt : Quia pœna hæc nullo generali Jure inducta eſt : ita contra Toletum & paucos alios ſentiunt Navarrus, Henriquez, Suarez, Hallerius ibid. pag. 525. & ipſo teſte *alii paſſim*. An idem de Italia dicendum ſit, eruditis Italiæ Magiſtris dijudicandum relinquimus.

Conclusio III. vix certo definiri poteſt ab intrinſeco, an valeat 35
Ordinatio infantibus, & aliis ratione hactenus deſtitutis collata.

Dixi, *ab intrinſeco*, quia opinio validitatem hanc adſtruens, con- 35
trariam longe ſuperat Doctorum numero & auctoritate : cum pro ea pugnent S. Thomas Suppl. quæſt. 39. art. 2. Doctor Seraphicus in 4.

 diſt. 25.

diſt. 25. art. 2. q. 2. Subtilis ibid. q. 2. n. 3. quibus conſonant alii plerique, ut Paludanus, Sylveſter, Hallerius, Ethica amoris Lib. 7. cap. 16. n. 19. Vvitaſſius par. 1. q. 7. art. 1. pag. 403. &c. Ex adverſo autem pugnent longe pauciores, puta Durandus in 4. diſt. 25. q. 2. n. 8. Petrus Soto, Lud. Habertus Tract. de Sacram. in genere cap. 17. qu. 4. pag. mihi 129. Tournelyus p. 174. &c. Jam Concluſio

37 Prob. In re, quæ a ſola Chriſti voluntate pendet, non definitur certo id quod neque ex verbo Dei ſcripto, aut conſtanter & unanimiter tradito, neque ex rationibus graviter ſolidis definitur. Atqui num valeat vel irrita ſit Ordinatio pueris, aut perpetuo amentibus collata, res eſt quæ a ſola Chriſti Legislatoris voluntate pendet. Aliunde vero quæ fuerit circa negotium præſens Chriſti voluntas, certo definiri nequit, ſeu ex Scriptura, quæ otioſas id genus quæſtiones non attigit; ſeu ex conſtanti & moraliter unanimi Traditione; cum vix ullum controverſiæ hujus extet in tota retro antiquitate veſtigium; ſeu demum ex rationibus Theologicis quæ animum potenter in alteram partem inclinent.

38 Qui enim Ordinationes prædictas valere credunt, pugnant 1. ex cap. unico *De Clerico per ſaltum promoto*, (Lib. 5. Extra. tit. 29.) ubi Innocentius III. eum qui ſuſceptis ante diſcretionis annos minoribus Ordinibus, ad Presbyteratum omiſſo Diaconatu promotus fuerat, *in Diaconum ordinari* mandat, nec tamen mandat eidem denuo Minores Ordines conferri, quos proinde licet in infantia receptos pro validis habet. Porro, ait Hallerius pag. 525. *nulla eſt ratio cur minores Ordines cum Subdiaconatu infanti conferri poſſint, reliqui vero, ne dempto quidem Epiſcopali, non poſſint.*

39 2. Idem nonnullis adſtruunt Hiſtoriis. Scribit enim Cyrillus Scythopolitanus in vita Euthymii Abbatis, hunc triennem fuiſſe baptizatum, tonſum, & Lectorem ordinatum. Eugenium quoque I. qui an. 652. Pontifex creatus fuit, ab incunabulis Clericum fuiſſe tradit Pontificale Romanum.

40 3. Inquiunt, ſuffragatur ratio: ſiquidem Sacramenta quæ caracterem imprimunt, non requirunt conſenſum ex parte ſuſcipientis; ut patet tum in Baptiſmo & Confirmatione; tum & quia ea dumtaxat Sacramenta conſenſum ſuſcipientis poſtulant, quæ dant actum, non vero quæ dant poteſtatem ad actum. Ordinatio autem non dat actum, ſed poteſtatem ad actum. Ergo conſenſus ſubjecti non eſt neceſſaria ad Ordinationem conditio: unde cum is alias neque ut materia, neque ut forma requiratur, neceſſum eſt ut ſine ipſo ſtare poſſit Ordinatio.

41 An autem id de Epiſcopali etiam conſecratione intelligi debeat, diſputant hujus opinionis auctores. Negant SS. Thomas & Bonaventura, eo quod Epiſcopus ſpirituale cum Eccleſia Matrimonium contrahit: infantes autem Matrimonii cujuſcumque incapaces ſunt. Verum ratio hæc paucis probatur; tum quia, ut ait Fraſſen pag. 714. conſecrari poteſt Epiſcopus, qui particularem Eccleſiam, ſeu ſponſam non habeat: tum quia in Epiſcopatu duo diſtinguenda ſunt, nimirum caracter, aut caracteris extenſio, ſeu poteſtas; & animarum cura Paſtoralis, quæ juriſdictionem & ſpirituale cum tali Eccleſia Matrimonium importat.

Hæc

Hæc quidem ſubjecti conſenſum requirit, non autem caracter. Sic illi, qui hoc ſenſu D. Thomam interpretantur.

Contra vero qui hujuſmodi Ordinationes habent pro irritis, arguunt 42
1. quia, ut bene Durandus, ad ſuſceptionem cujuslibet Sacramenti requiritur intentio, vel propria ſuſcipientis, ſi adultus eſt, vel aliena & interpretativa, Eccleſiæ nimirum, ſi parvulus ſit vel amens. Atqui in parvulo, ſi ordinetur, nec eſſe poteſt voluntas propria Ordinem ſuſcipiendi, cum rationis uſum non habeat; nec aliena, ſeu parentum, ſeu Eccleſiæ, 1. quia non vult Eccleſia id quod nonniſi ſacrilege & irrationabiliter velle poſſit: porro parvuli aut amentis Ordinationem velle ſacrilegium fuerit. 2. Quia licet interpretativa parentum voluntas quoad infantes ſufficiat in iis quæ vel ad ſalutem neceſſaria ſunt, ut Baptiſmus, vel aliquando ſub grave præceptum cadent, ut Confirmatio, non tamen ſufficit, aut ſaltem nulla ſolida ratione probatur in iis ſufficere, quæ ad ſtatum immobilem ſpectant, quæque nedum cadant ſub præceptum generale, immo pluribus, Deo ad alia vocante, prohibita ſunt. Ergo nulla in præſenti caſu occurrit voluntas, vi cujus infans valide ordinatus cenſeri poſſit.

2. Si ne ipſa quidem Tonſura ab infantibus recipi valide poteſt, a 43
fortiori nec Presbyteratus. Atqui ne ipſa quidem Tonſura ab infantibus valide recipi poteſt. Siquidem ritus mutuam Deum inter & homines conventionem ſupponens, eamque gravem, nec ad ſalutem neceſſariam, a parvulo, cujuſcumque conventionis incapaci, recipi non poteſt. Atqui Tonſura mutuam Deum inter & homines conventionem importat, vi cujus homo Dominum intus amplectitur ut partem hereditatis ſuæ, & Deus in id auxilium ſuum benigne ſpondet. Aliunde vero conventio hæc ſpecialis, & prout Clericorum propria, non eſt neceſſaria ad ſalutem.

Et vero vel infans Tonſura aut ſaltem Sacerdotio donatus, ad nihil 44
amplius teneretur, quam laici; vel ad ſanctiorem vitam teneretur. Prius dici non poteſt; cum ubi creſcunt dona, rationes etiam creſcant donorum. Ergo dicendum poſterius. Atqui de lege communi fieri non poteſt ut quis ſine proprio ſuo conſenſu plus debeat quam ceteri fideles.

Addit Tournely pag. 88. neminem invitum ad continentiam adigi 45
poſſe; ut patet ex Can. 10. Synodi Ancyranæ (Tom. 1. Concil. p. 1459.) quæ a continentia diſpenſavit Diaconos nonnullos, eo quia proteſtarentur in Ordinatione, eam a ſe non poſſe ſervari. Porro, inquit, infans Subdiaconatu donatus ad continentiam teneretur; cum & ea ſacris Ordinibus annexa ſit; & ingens futura eſſet diſciplinæ Eccleſiaſticæ perturbatio, ſi ordinati infantes cœlibem vitam agere recuſarent.

Jam vero ex his utriuſque partis rationibus nulla eſt vere cogens, 46
nulla quæ conſenſum efficaciter eliciat, nulla quæ meræ probabilitatis limites exſuperet; ſed omnes veriſimiliter ſolvi poſſunt. Unde

Ad primum num. 38. Reſp. 1. mirum videri poſſe quod objectionem 47
ex Innocentio III. petitam adeo confidenter proponat Leodienſis Theologus: cum ipſe, ut objectionem e diſpenſatione Caſimiro, Cluniacenſi Monacho a Benedicto IX. conceſſa petitam reſolvat, poſt Sotum aſſeveret, *Pontificum ſententias, & eorum geſta non eſſe habenda tamquam*

Canonicas leges: ſubdatque *ſummos Pontifices*, inculpato errore *ſecutos fuiſſe ſententiam*, *quæ apud Canoniſtas reputatur probabilior*. Id enim ſi de Benedicto IX. qui ſanctæ Eccleſiæ Cardinales circa ſollemnis voti a Caſimiro emiſſi relaxationem conſuluerat, dici poteſt; a fortiori dicetur de Innocentio III. qui Cardinales ſuos conſuluiſſe non legitur.

48 Reſp. 2. ex textu cujus lectio incerta eſt, certi nihil depromi poſſe. Porro e tribus quas conſului Decretalium editionibus nulla cum aliis convenit. Legit Gloſſa: *Eo quod tempore*, *quo Ordines inferiores ſuſceperat*, *infra annos diſcretionis fuerat conſtitutus*. Communis editio pag. 681. habet: *Inter annos diſcretionis*: accuratiſſima quæ Pithœorum eſt, habet: *intra annos*, &c. neque ex iiſce lectionibus ulla eſt, quæ nitidum cum antecedentibus ſenſum efficiat. Utique potuit ille Sacerdos per ſaltum ordinatus declarare ſe admodum juvenem, non tamen omnino diſcretionis expertem, Minoribus inſignitum fuiſſe. Sed & potuit Pontifex ratam habere Ordinationem juniori quidem, ſed nihilominus jam intra diſcretionis annos conſtituto impenſam.

49 Reſp. 3. non equidem præcipere Innocentium III. ut is de quo agitur, Minores recipiat, ſed nec id prohibere: unde id forſitan reliquit libero Epiſcopi conſulentis arbitrio, ne rem obſcuram definire videretur. Quamquam potuit Innocentius Minorum ritus, utpote humanæ inſtitutionis, in parvulo approbare, nec tamen, quidquid opinetur Hallerius, ratihabere Sacerdotium infanti collatum. Certe impendio gravior eſt Sacerdotis obligatio, quam Minoriſtæ. Nemo autem, uti jam diximus, ſine proprio nutu ad graviora teneri debet, quam ceteri fideles.

50 Ad 2. n. 39. Reſp. 1. aliud eſſe quod quis a puero Clericus vel Lector ordinetur; aliud quod inſtituatur Sacerdos vel Epiſcopus. Multa ſane & graviſſima exigit Sacerdotalis character, eique annexa gratia, quæ non exigit Lectoratus. 2. A facto unius aut alterius Epiſcopi non deduci poſſe quid tota de jure ſentiat Eccleſia. 3. Non omnis Tonſura ritus erat Eccleſiaſticus, ſicut nec Lectoratus omnis; unde, ut ſupra dictum eſt, aliquando e Cathecumenis fiebant Lectores. Ceterum vix ſcio quæ Leodienſi Scriptori in his fides haberi poſſit. Nam & ad Morinum male remittit *, & Eugenii I. Pontificatum an. 652. adſcribit, cum is nonniſi an. 655. vel 656. exeunte in Romanum Epiſcopum inſtitutus fuerit.

51 Ad 3. ſupra n. 40. Reſp. diſt. Sacramenta quæ characterem imprimunt, nec grave ac ſpeciale onus imponunt, non indigent conſenſu ſuſcipientis, C. Sacramenta quæ onus grave, ceteris fidelibus non commune, ac ſpecialem Dei vocationem exigens imponunt, N. Itaque Sacramenta quę vel onus imponunt ad ſalutem omnino neceſſarium, ut Baptiſmus, vel omnibus ſummopere & ſemper utilia ſunt, ut Confirmatio, non indigent ſuſcipientis conſenſu; quia ſic a Deo conſtitutum eſt, uti centies declaravit Eccleſia. Verum aliud eſt & eſſe debet de Sacramentis, quæ, ut

* Hæc demum in Morino reperi Exercit. 15. p. mihi 204. „ Cyrillus in vita S. Euthymii ſcribit Otreium, Melitenſem Epiſcopum, qui regnante Theodoſio Seniore vivebat, Euthymium baptizatum totondiſſe, & in numerum Lectorum cooptaſſe „. Ubi nihil de ætate qua Baptiſmum recepit Euthymius.

ut Sacerdotium, grave vitæ multo ſanctioris onus imponunt; onus, inquam, vel Angelicis humeris formidandum.

Hinc falſum eſt, Sacramenta quæ ſolam dant poteſtatem ad actum, non indigere conſenſu ſuſcipientis: hoc enim indigent maxime, ſtatim ut poteſtatem dando, perfectius vitæ inſtitutum neceſſario poſtulant. Neque enim, ſi forte numquam celebravit S. Hieronymus, ut ſcribunt plures, etſi minus accurate, ideo a vita pie ſacerdotali fuit immunis. 52

Quod ſpectat ad controverſiam de valore vel nullitate Epiſcopatus parvulo collati, hæc penitius expenſa ſecundæ opinioni favet. Ideo enim negant Doctores Angelicus & Seraphicus infantem Epiſcopatu valide donari, quia per Ordinem iſtum ſpirituale quoddam cum Eccleſia Matrimonium contrahitur, quod utique ſine proprio conſenſu contrahi non poteſt. Atqui hæc ratio perinde probat ceteros Ordines infantibus conferri non poſſe. Cum, ut animadvertit ipſe Fraſſen Tr. 3. diſp. 2. art. & q. 3. *per alios etiam Ordines, fiat quædam* ſpecialis, & ad ſpecialia obligans, *conjunctio ordinati cum Chriſto, ac etiam cum Eccleſia, ad cujus miniſterium & famulatum Ordinatus deputatur*. Porro non eo abſurdæ ſunt ſolutiones iſtæ, nullius ut omnino ponderis æſtimandæ ſint. 53

Quod ſpectat ad ſecundæ partis momenta, hæc nullo dilui negotio arbitrantur primæ opinionis defenſores. Unde reſpondent

Ad 1. ſupra n. 42. requiri equidem in adulto Sacramenti recipiendi voluntatem, ſed non in infante. In eo enim, inquiunt, neque propria, neque interpretativa voluntas requiritur, ſed ſufficit quod Miniſter eidem formam & materiam applicet cum debita intentione; unde ſicut renitentibus parentibus valide baptizaretur infans, ſic & iiſdem invitis valide ordinaretur; cum hoc tamen diſcrimine, quod ſic baptizatus Evangelicam Legem ſervare teneretur, quia hæc ad ſalutem neceſſaria ſit: ſic autem Ordinatus, Clericorum legibus non teneretur, ſi vellet abſtinere ab Ordinum ſuorum exercitio, quia eæ non ſunt ad ſalutem neceſſariæ. 54

Mihi hæc ſolutio duplici ex capite anceps videtur & incerta. 1. Quia numquam probabitur ex Scriptura & Traditione voluiſſe Deum ut infans vere ordinaretur, ſicut ex utroque eo fonte conſtat, eumdem voluiſse ut infans cum debitis materia & forma valide baptizaretur. Certe ubi deeſt parentum voluntas quantum ad infantis baptiſma, ibi ſuppetit interpretativa Eccleſiæ totius voluntas: Idem de Ordinatione probetur, & ſtatim conticeſcam. 2. Quia etſi facile capio, infantem, qui neſcius Ordinationem recepit, a certis Clericorum legibus, continentiæ potiſſimum, immunem eſse; vix ac ne vix quidem capio, qua ratione liber eſse poſſit a jugi ſtudio perfectionis Sacerdotum propriæ; nec plus exigat Deus ab eo quem vere Sacerdotem fecit, quam a ſæculari. Utique ſi graviora eſsent hominis Confirmati, quam baptizati officia, plus deberet qui infans Confirmatus fuiſset, quam qui ſimpliciter eſset baptizatus. Neque enim vel otioſus eſt Sacramentorum caracter, vel inanis quæ cum eo infunditur gratia ſacerdotalis. Hinc non video quid ſolidi ad ſecundam, quæ mea eſt, probationem reponi poſſit. Verum quæ non video, facile videbunt alii perſpicaciores. 55

Ceterum fateor modici ponderis eſse objectionem, quam a conti- 56

nentiæ vinculo repetit Tournelyus, ſupra n.45. Fatentur enim plerique Theologi contra S. Antoninum, part. 3. tit. 1. c. 8. Concl. 2. infantem a teneris unguibus ordinatum, ad eam minime obligatum iri; & ideo nuptias valide contracturum: de quibus, quaſi ſæpe contingant, fuſe diſputat Hallerius ubi ſupra, p. 528.

57 En utriuſque partis momenta. Non diffitebor me in ſecundam, quæ negans eſt, multo plus propendere; nec ideam infantis Epiſcopi, quæ ridiculo quodam Religionem aſpergit, pati poſſe. Interim pauci erunt, niſi fallor, qui Ordinationem hanc, ſi quæcumquam talis ab homine ſano fiat, conditionate ſaltem repetendam inficientur.

58 Quod de parvulis, idem ſtatuendum de perpetuo amentibus. An autem qui adulti deſipiunt ad tempus, valide ordinari poſſint, ut & dormientes, ambigitur. Affirmant plures de iis qui ante amentiam & ſomnum recipiendæ Ordinationis intentionem habuerint. Mihi quoque deciſio hæc incerta videtur, quia ut jam dixi Tom. 4. pag. nunc 173. alias 170. qui Ordinibus initiari voluit, non voluit extra tempus, ac ſine ullo pietatis ac rationis ſenſu ordinari.

59 Conclusio IV. Invalida eſt prorſus Ordinatio quæ confertur omnino invitis.

60 Prob. Quia eadem eſt, immo fortior ratio Ordinis, quæ Baptiſmi. Atqui non valet Baptiſmus ab homine prorſus invito receptus. Unde hanc Auctoris Gloſſæ in cap. *Majores 3. De Baptiſmo* propoſitionem reprobavit, & expungi juſſit Gregorius XIII. *Valet Baptiſmi Sacramentum ab eo ſuſceptum, qui corde diſſentit, modo dicat ore ſe conſentire.*

61 Confirm. Quia citato mox cap. *Majores* docet Innocentius III. de Baptiſmo loquens, *quod ille qui numquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec caracterem ſuſcipit Sacramenti.* Atqui hinc a fortiori colligitur, eum qui ordinatur invitus, reapſe non ordinari. Ideo enim nemo invitus valide baptizatur, quia baptizato incumbit vitæ Chriſtianæ jugum, quod nemini invito Chriſtus imponi voluit, etſi ad ſalutem neceſſarium ſit. Atqui gravia etiam Ordinationi incumbunt onera, eaque ad ſalutem minime neceſſaria; Ergo. Sed de his vide To. 4. cap. 5. pag. *169.* alias cap. 2. pag. *166.*

62 Objic. 1. Valuerunt Ordinationes Pauliniani, Fratris S. Hieronymi, Baſſiani Evazorum Antiſtitis, Macedonii Eremitæ, ut Auguſtini, Paulini, aliorumque plurium exempla prætermittam. Atqui eæ Ordinationes omnino involuntariæ fuerunt.

63 Prima quidem; ſic enim eam refert S. Epiphanius in Epiſt. ad Joannem Jeroſolymitanum, inter Hieronymianas 110. alias 60. (Tom. 4. par. 2. pag. 823.) *Cum celebraretur Collecta in Eccleſia Villæ quæ eſt juxta Monaſterium noſtrum, ignorantem eum, & nullam penitus habentem ſuſpicionem, per multos Diaconos apprehendi juſſimus, & teneri os ejus, ne forte liberari ſe cupiens, adjuraret nos per Nomen Chriſti: & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut miniſtraret. Valde quippe obnitebatur, indignum ſe eſſe conteſtans: vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus teſtimoniis Scripturarum, & propoſitione mandatorum Dei. Et cum miniſtraret in ſanctis Sacrificiis, rurſus cum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iiſdem verbis, quibus ante ſuaſeramus,* impu-

impulimus ut ſederet in ordine Presbyterii. Porro non conſentit animo, qui reclamaret, niſi os ſibi teneretur.

Nec minus coacta fuit Ordinatio Baſſiani. Sic enim loquitur ille, 64
Act. XI. Concilii Calchedonenſis (Tom. 4. Concil. pag. 688. C. D.) *Memnon, qui fuit Epiſcopus Epheſi .... immiſit manus ſuas ut me ordinaret Epiſcopum Evazorum, & hoc fecit. Ego autem non acquieſcebam, ſed ab hora tertia uſque ad ſextam coram Altari me plagis afflixit: & Sanctum Evangelium & Altare ſanguine eſt impletum*. Quæ porro vis major, quam quæ per plagas & ſanguinem homini non acquieſcenti infertur; idque malo Epiſcopi ordinantis animo: neque enim alio fine Baſſianum conſecravit Memnon, quam ut eum ab Epheſo ad Evazos abigeret. Qua etiam de cauſſa Honoratus, Salonitanæ Eccleſiæ Archidiaconus ab Epiſcopo ſuo, cujus avaritiæ vel prodigalitati non indulgebat, in Presbyterum ordinatus eſt, uti ex Epiſtola 14. S. Gregorii Magni. Lib. 1. (Tom. 3. pag. 503.) refert Hallerius pag. 197.

Quod ad Eremitæ Macedonii ordinationem ſpectat, habet hæc univerſos ſummæ coactionis caracteres. Rem narrat Theodoretus in Philotheo, ſeu Religioſa Hiſtoria, cap. 13. (Tom. 3. p. 835. D.) his verbis: 65
Cum Flavianus, Antiochenus Præſul de eximia Macedonii pietate multa audiiſſet, eum e vertice montis, ubi ſedem fixerat, ſub objectæ accuſationis prætextu evocavit, *& ſub myſticum Sacrificium Altari admovit, cooptavitque in numerum Sacerdotum. Cumque peracta Liturgia hoc illi quidam indicaſſet (ignorabat enim prorſus quid egiſſent) primum quidem conviciis verbiſque aſperis proſcidit univerſos: deinde arrepto baculo, quo innixus propter ſenium incedebat, Pontificem ipſum & alios qui aderant, inſecutus eſt, Ordinationem hanc ratus montis verticem ſibi optatamque habitationem erepturam. Sed tum quidem ſic indignantem ægre tandem amici quidam ſedaverunt. Expleto autem hebdomadæ circulo, cum rediiſſet dies Dominicus, iterum evocat illum magnus Flavianus, rogatque ut celebritati cum ipſis interſit. Tum ille ad eos qui venerant: An vobis, ait, non ſufficiunt quæ jam acta ſunt, ſed iterum me Presbyterum creare vultis? Et reſpondentibus illis fieri non poſſe, ut bis eadem fiat manuum impoſitio, non acquievit*. Ubi Macedonii Ordinatio & valida judicatur, & coacta fuiſſe negari non poteſt. Quæ enim major vis, quam quæ homini rei totius inſcio, & nec actu, nec interpretative conſentienti per fraudem infertur? Sane adeo frequentia erant prioribus Eccleſiæ ſæculis, potiſſimum autem quarto, hujus violentiæ exempla, ut Pinianus Hipponem adire non auderet, niſi fide ab Auguſtino accepta, ſe per vim minime ordinatum iri. Adi ibid. Hallerium, ubi præclara & multa refert eorum exempla, qui ex reverentia ordinari renuerunt.

Reſp. ad 1. neg. min. pro prima & ſecunda parte. Licet enim Pauliniani 66
& Baſſiani Ordinationes fuerint ſecundum quid involuntariæ, non tamen abſolute coactæ fuerunt. Quia uterque, quamvis non ſine intimo doloris ſenſu, id demum intus voluit quod volebant Superiores. De Pauliniano res conſtat vel ex ipſo Epiphanio ſic ibidem ſcribente: *Valde quippe obnitebatur, indignum ſe eſſe conteſtans. Vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus teſtimoniis Scripturarum*, &c. Porro qui *vix* perſuaſus eſt, aliquando tandem perſuaſus eſt. Nec obſtat, quod os ei teneretur: id enim factum

eſt,

eſt, *ne forte liberari ſe cupiens*, ordinatorem *adjuraret per nomen Chriſti*, ne ſibi manus imponeret, & fors compelleretur Epiphanius idem dicere quod in alio caſu junior Tobias, cap. 9. v. 5. *Vides quomodo adjuravit me, cujus adjuramentum ſpernere non poſſum.*

67 Idem de Baſſiano dicendum. Is enim licet ab initio non acquieverit Ordinationi ſuæ, ſed per tres circiter horas ad ſanguinem uſque reſtiterit, ceſſit tamen victus plagis; nec minus conſenſit, quam qui vel naufragii timore ſuas in mare projicit, vel mortis metu idolis thus adolet. Atqui hi licet ſecundum quid inviti, vere tamen & animo conſentiunt; unde & in poſteriori caſu peccant letaliter; uti fuſe docuimus in Tract. de Actibus humanis.

68 Et vero qui Siſebuti * tempore Baptiſmum ſuſceperunt Judæi, eundem *vi vel neceſſitate ſuſceperunt*, ut fatentur Concilii Toletani IV. cap. 57. (Tom. 5. Concil. pag. 1719.) Atqui tamen valide ſuſceperunt, quia licet *non abſolute* vellent, voluerunt *conditionaliter*, ut loquitur Innocentius III. cit. cap. *Majores*; id eſt præ infligendis ſibi pœnis elegerunt. Unde & ad Religionis obſervantiam compulſi fuere; quod & quantum ad Saxones ex metu etiam tinctos decrevit Nicolaus I. Epiſt. 8. Ergo ipſi etiam Ordines, quamvis ex metu recepti, mente tamen e nolente in volentem converſa, valide recipi potuerunt. Quod ſi animo conſtanter renitente ſuſcepti eſſent, tunc omnino deberent pro irritis haberi. Unde

69 Dicendum Macedonii Ordinationem vel nullam eſſe, vel admodum dubiam; tum quia neſciret quid erga ſe ageretur; tum quia nec actualem, nec interpretativam Ordinationis ſuæ intentionem habuit, immo expreſſim contrariam. Atque id ſubindicat Theodoretus his, quæ Hiſtoriam ejus claudunt, verbis: *Scimus haud laudandam multis viſum iri narrationem hanc*. Verum jam nimio deſiere tempora, quibus vis Ordinandis inferenda ſit: venere, quibus, ſi liceat, vim Ordinantibus inferant Candidati.

70 Inſt. Qui abſens & neſciens ordinari poteſt, ordinari poteſt abſque ullo voluntatis ſuæ conſenſu. Atqui poteſt homo .... Prob. min. quia de facto Gregorius Thaumaturgus & Daniel Stylites, Ordinibus, licet minime præſentes, initiati fuere.

71 Reſp. Data maj. quæ nullum in præſenti negotio ſenſum præfert, neg. min. & dico Gregorium & Danielem electos quidem fuiſſe abſentes, & ſacro Miniſterio deſtinatos; non autem vere initiatos ſacris, niſi cœleſti operatione ordinati dicantur, ut ab Angelis ordinatum fuiſſe Amphilochium commemorant. Sed de his jam ſupra.

72 Objic. 2. Tam poteſt quis in neceſſitatis caſu ad ordines promoveri invitus, quam ad Conſulatum in pari caſu. Atqui, &c.

73 Reſp. neg. maj. 1. Quia ex communi gentium ſenſu Reſpublica ſat in ſubditos ſuos auctoritatis habet, ut iis etiam renitentibus hoc vel illud officium politicum imponat. At vero Chriſtus, cujus imperium ſuave eſt, quique ſuis plenam merendi occaſionem præbere voluit, neminem vel ad ipſum Baptiſma, licet ad ſalutem neceſſarium, invitum trahi permiſit, uti

* Siſebutus, pietate, clementia, animi fortitudine, Religionis, & Litterarum ſtudio celeber, Viſigotorum Rex electus an. 612, in Hiſpaniis ad annum uſque 620. vel 621. regnavit.

uti citato ſupra capitulo declararunt Toletani Patres. Unde poteſt quidem is quem omnes Epiſcopatu dignum judicant, miniſterio huic etiam reluctans deſtinari, & niſi jugo ſe ſubjiciat, peccare: at invitus ordinari nequit, ſicut nec invitus baptizari. 2. Quia promotio ad Conſulatum mera eſt denominatio externa, quæ cum in anima nihil pariat, tantumque efficiat ut homo majoribus curis ſubjaceat, a membris membro cuipiam indici poteſt. At Ordinatio in animam agit, eidemque cum caractere ſpiritalem potentiam, & graviſſima relative ad ſalutem proximi onera imponit; quæ nemo niſi volens & conſentiens, Chriſto ſic inſtituente, ſuſcipit. Adde quod tamdiu quiſquam vere & interius Conſul non ſit, quamdiu munus iſtud vere & interius non acceptat.

Quod ad mulierum conſecrationem ſpectat, certum eſt eaſdem non 74
ubique gentium a ſacris excluſas fuiſſe. Nimirum credidere Gentiles, Deis feminis feminas Sacerdotes eligi debere. Cereri Eleuſinæ apud Græcos, & Bonæ deæ apud Romanos mulieres ſacrificaſſe, Lippis & tonſoribus notum eſt, ait Hallerius, pag. 496.

Non debuerat is error hæreticos, qui deas nullas habent, invade- 75
re: invaſit tamen. 1. Enim ſcribit Irenæus, Lib. 1. adverſ. hæreſ. Marcum, qui ex impuro Gnoſticorum grege erat, feminis poteſtatem feciſſe Euchariſtiam conſecrandi.

2. Eumdem errorem Cataphrygibus tribuit Ambroſiaſter in cap. 3. 76
Epiſt. 1. ad Timoth. Auguſtinus Pepuzianis, quos mulieres, non Diaconiſſas tantum, ſed Presbyteras atque etiam Epiſcopiſſas creaſſe teſtatur, Lib. de hæreſib. cap. 27. Epiphanius vero hæreſ. 49. Quintilianis, Priſcillianis, Artotyritis. Quamquam nomina hæc unam, juxta nonnullos, conflent Sectam Montaniſtarum, qui a Montano Montaniſtæ; ab ejuſdem pſeudopropetiſſis Priſcilla & Quintilla, Priſcilliani & Quintilliani; a loco unde prodierant magiſtri eorum, Pepuziani; a Phrygia, ubi errores ſuos potiſſimum diſſeminaverunt, Cataphryges, ſeu Cataphrygæ; demum ab infando, quod in caſeo & pane celebrabant, Sacrificio, Artotyritæ dicti fuerint. Ut ut eſt, neque enim hæc difficultate carent, ut ibidem indicat Hallerius, conſtat feminas plus apud veteres hæreticos juris habuiſſe, quam debuerant. Unde Tertullianus, Lib. de Præſcript. cap. 41. *Ipſæ*, inquit, *mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere*. Quia tamen eo loci dubitat Tertullianus an hæreticæ mulieres baptizare auſint; dubitari etiam poteſt an a ſuis perfecto Sacerdotio donarentur. Ulterius tamen, temporum lapſu, progreſſi ſunt iidem Novatores, quandoquidem teſte Epiphanio hæreſ. 49. num. 2. (Tom. 1. pag. 438.) *apud illos mulieres*, non tantum in Diaconiſſas ordinabantur, *ſed Epiſcopi erant & Presbyteri, ita ut nullum ſexus diſcrimen ſervarent*.

3. Collyridiani apud eumdem Epiphanium hær. 79. per mulieres B. 77
Virgini tamquam Deæ Collyrides ſeu placentas offerebant. Sectam hanc circa an. 395. in Arabia emerſiſſe ſcribit Prateolus, alii ante natam opinantur.

4. Si-

78 4. Sigebertus ad an. 515. & Marianus Scotus in Chronico Acephalos, Eutychianorum propaginem, incuſant, quod Diaconatus Ordinem & officium quibuſdam mulierculis concederent.

79 5. Eumdem errorem Novatoribus ſæculi XVI. adſcribunt plures e noſtris, eo quod nullum illi admittant quam laudis & orationis ſacrificium, quod ab omnibus poteſt & debet offerri. Verum ratio hæc non urget: Habent enim Calviniſtæ Baptiſmi & ſanctæ Cœnæ Sacramenta: hæc autem adeo non ſinunt ab omnibus adminiſtrari, ut eorum plures Baptiſma ne ipſo quidem neceſſitatis caſu a laicis valide conferri credant, ut dixi Tom. 4. cap. 5. de Bapt. Sit jam

80 CONCLUSIO V. Mulieres ſacræ Ordinationis, immo & cujuslibet, ipſiuſque etiam Tonſuræ prorſus incapaces ſunt. Pars prima eſt de Fide. Secunda quatenus a Subdiaconatu, Minoribus, & Tonſura feminas excludit, eſt contra Paludanum in 4. diſt. 25. quæſt. 3. art. 1. pag. 498. cujus opinionem, quamvis falſam, temerariam & in Fide periculoſam aſſerit Hallerius, non audet tamen hæreſeos nota palam & evidenter aſpergere.

81 Prob. 1. Ex Scriptura: I. Corinth. 14. v. 34. *Mulieres in Eccleſiis taceant: non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & Lex dicit* Geneſ. 3. 16. *Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent: turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* Sed quibus ne quidem permiſſum eſt in Eccleſia loqui, multo minus licet ſacra Officia ſollemni ritu celebrare: & quæ domi ſolum interrogare poſſunt, dubio procul in Templis multitudinem docere prohibentur.

82 Idem I. ad Timoth. 2. v. 11. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione, Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva,* &c. Unde ſic: Qui alios docet, certum & grave in eos dominii genus exercet: unde hortatur ut pater, redarguit ut paſtor, comminatur ut judex. Atqui dominium illud feminis omnino interdicitur ab Apoſtolo: iiſque ſolum præcipitur ſilentium & ſubjectio; & quidem ſi in privatis domibus, quanto magis in Eccleſia?

83 Denique Epheſ. 5. v. 22. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Atqui in hypotheſi feminæ Sacerdotium vel Epiſcopatum gerentis, jam non mulieres viris, ſed mulieribus viri, ut capiti gregis, & ipſi Chriſto ſubditi eſſe deberent. Quæ quantum omnes Apoſtoli ideas ſubvertant, nemo eſt qui non intelligat.

84 Prob. 2. Unanimis & conſtans cujuſcumque veræ Religionis uſus, in ipſum Deum veri cultus auctorem merito refunditur. Atqui is conſtans fuit & unanimis uſus apud univerſos veræ Religionis cultores, ut ſemper a ſacris excluderentur feminæ; adeo ut nec Eva, nec ulla ex ejuſdem filiabus, ſed viri ſoli ad id muneris ſemper aſſumpti fuerint. Sic in Lege Naturæ Abel, Enoch, Noe, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Jacob; in Lege Scripta ſolus Aaron, ejuſque filii, & alii ex Levitico ſemine maſculi prodeuntes; in Lege Evangelica Apoſtoli duodecim, Diaconi ſeptem, alii deinceps, ſeu

Epiſcopi, ſeu quocumque in gradu Miniſtri, ex ſexu virili, nuſquam ex femineo electi fuere.

Et vero, ut ſolide S. Epiphanius cit. hær. 79. n. 3. (Tom. 1. p. 1058.) *Si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam in Eccleſia præſtare liceret, nulli potius quam Mariæ, committi ſacerdotis officium debuiſset, cui tantus honos eſt habitus, ut gremio ſinuque ſuo Regem omnium, ac cœleſtem Deum, Deique Filium exciperet. Verum Deo longe aliter viſum eſt; ac ne baptizandi quidem poteſtas illi facta; cum alioqui tingi ab illa Chriſtus potius, quam a Joanne potuiſset.* Ergo jure ac merito creditur, res ſic a Deo fuiſſe inſtitutas, ut mulieres a ſacris in perpetuum abigerentur. 85

Prob. 3. Ex Patribus. Auctor Conſtit. Apoſtol. Lib. 3. cap. 9. (Tom. 1. Concil. p. 312.) *Periculoſa res eſt, immo vero illicita & impia*, quod mulieres baptizent, ex officio ſcilicet ..... *Nam deabus feminis Sacerdotiſsas creare, gentilis impietatis erratum eſt, non autem Chriſti inſtitutum. Quod ſi oportuiſset a mulieribus Baptiſmum adminiſtrari, profecto Deus a Matre ſua fuiſset baptizatus, & non a Joanne, aut quando nos ad baptizandum miſit, una quoque miſiſset & mulieres ad idem miniſterium. Jam vero nihil tale uſquam injunxit, neque ſcripto tradidit, quippe qui & naturæ ordinem & rei decentiam probe noſset, ut & naturæ conditor & conſtitutionis Legislator.* 86

Tertullianus, Lib. de velandis virginib. cap. 9. (pag. 178. *A*) *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum ſacerdotalis officii ſortem ſibi vindicare. Quæramus an aliquid horum Virgini liceat* ..... Sed *unde illi hoc licebit, quod omni feminę non licet? Quid prærogativæ meretur adverſus conditionem ſuam.* 87

Ambroſiaſter in I. Timoth. 3. v. 11. hæc habet: *Cataphrygę erroris occaſionem captantes, propter quod poſt Diaconos mulieres alloquitur* S. Paulus, *etiam ipſas Diaconas ordinari debere vana pręſumptione defendunt, cum ſciant Apoſtolos ſeptem Diaconos elegiſse. Numquid nulla mulier tunc idonea inventa eſt, cum inter undecim Apoſtolos ſanctas mulieres fuiſse legamus? Sed ut Hæretici animum ſuum verbis, non ſenſu Legis adſtruere videantur, Apoſtoli verbis contra ſenſum innituntur Apoſtoli, ut cum ille mulierem in Eccleſia in ſilentio eſse debere præcipiat, illi econtra etiam auctoritatem in Eccleſia vindicent Miniſterii.* 88

Mitto Epiphanium, qui eumdem errorem in Cataphrygibus & Collyridianis deridet, Auguſtinum, qui Lib. de Hæreſib. cap. 27. femineas Ordinationes, uti quid apud Catholicos inſolens, & contra regulas tentatum inſectatur: ceteros demum omnes qui eodem ſenſu locuti ſunt. Interim vero ſic paucis argumentor: In re ſummi momenti id unum fieri poteſt, quod utcumque ſaltem permittit Scriptura, quod nec Chriſtus, nec Apoſtoli factis ſuis reprobaverunt; quod non rejecit ſana antiquitas ut illicitum, impium, decentiæ adverſum, &c. Atqui nullibi femineas Ordinationes permiſit, ſed potius ubique excluſit Scriptura; eaſdem Chriſtus & Apoſtoli factis ſuis reprobaverunt; Chriſtus quidem, cum Matrem ſuam Apoſtolis omnibus longe 89

ſan-

ſanctiorem; Apoſtoli, cum mulieres ſummæ & probatæ virtutis, a Miniſterio excluſerunt; antiqui Patres, cum harumce Ordinationem velut impiam, & decentiæ, quin & ipſis naturæ regulis quadantenus adverſam ſugillavere. Ergo.

90 Objic. 1. ſi mulieres a ſacris abigi debent, vel jure naturali, vel jure divino. Atqui neutrum dici poteſt. Non primum. Neque enim mulieres ex naturali ſexus conditione magis arcentur a jure ſacrificandi, quam a jure ducendi exercitus, regendi populos, iiſdem divina oracula propalandi. Atqui tria hæc, Deo ipſo volente, peregerunt mulieres. Præfuit exercitibus Judaicis Debbora, cum nova bella elegit Dominus; eadem populum fortiter & ſancte rexit, Judic. 4. Prophetiæ dono enituerunt in veteri Teſtamento Maria ſoror Moyſis, eadem de qua mox Debbora, Holda, uxor Sellum, ab ipſis Sacerdotibus conſulta IV. Reg. 22. 14. & ſeq. In nova autem Lege Anna, quæ Chriſti adventum nuntiavit in Templo, Luc. 2. & Philippi Diaconi filiæ quatuor virgines, Act. 21. His accedit quod in Ruſſia & Anglia viris imperent mulieres hereditario jure, & felicius aliquando dominentur, quam viri. Non ſecundum. Tum quia non magis ſubjectio mulieribus imperata 1. Corinth. 4. vetat ne feminæ ad Sacerdotium, ſaltem in neceſſitatis caſu aſſumantur, quam vetet ne exercitibus aut regnis præſint; tum quia ex Apoſtolo Galat. 3. v. 27. *Quicumque baptizati eſtis in Chriſto, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus; non eſt ſervus, neque liber; non eſt maſculus; neque femina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.* Porro qui citra ſexus diſtinctionem omnes unum ſunt, ad eadem munia eligi valent; licet ex quadam decentia feminas rarius aſſumi conveniat, prout rarius ad exercituum ac populi ſancti regimen a Deo electæ fuerunt.

91 Reſp. ad 1. neg. min. & dico 1. Sacerdotium mulieribus interdictum eſſe jure naturali, non ita forſitan ſtricte ſumpto, ut Deus aliter agere non potuerit niſi primora naturæ principia ſubvertendo: ſed ita ut admodum deceret res ab eo conſtitui prout de facto conſtitutæ ſunt. Quamquam attento Eccleſiæ ut a Chriſto inſtituta eſt, ſtatu, puta neceſſitate audiendi confeſſiones, longis ac periculoſis ſtudiis incumbendi, Sacramenta diu noctuque deferendi, vitia & in his etiam impuritatem e ſuggeſto impetendi, barbaris & infidelibus ubique terrarum evangelizandi, &c. vix, ac forte ne vix quidem fieri poſſit, ut munia hæc, ſaltem omnia, cum muliebri verecundia & pudore cohæreant.

Hallerius p. 499.

92 Dico 2. Sacerdotium, omneſque ad ipſum gradus, jure divino feminis interdictos eſſe. Namque 1. ut ſolide Hallerius ib. quo pacto B. Virginem ab ordinibus arcere potuiſſet Eccleſia, cum de ejus, utpote in Dei matrem electæ, ſanctitate, prudentia, dignitate dubitari non poſset? *Quis aut verbum Dei annuntiare dignius poterat, quam quæ illud prius conceperat corde, quam corpore? Quis myſteria fidei explicare clarius, quam cui Spiritus Sanctus obumbraverat, & virtus Altiſſimi ſupervenerat? Quis dignius ſacrificare poterat, quam quæ gratia plena fuerat Angelo nuntiante revelata. Obſtabat igitur divina inſtitutio, quominus ea etiam Sacerdotio fungi poſſet, quæ Sacerdotii dignitatem, matris dignitate vel æquabat,*

bat, *vel ſuperabat. Ceteras omitto ſanctitatis probatæ feminas, & prudentiæ inſignis, quas Eccleſia vix ſine injuria a Sacerdotio potuiſſet repellere. Immo qua, quæſo, auctoritate totum femineum ſexum, quem Chriſtus non ineptum Sacerdotio judicaſſet, Eccleſia ſua lege inhabilem effeciſſet?*

Nec nocent duo quæ objiciuntur. Non 1. neque enim Apoſtolus fe- 93
minas omnino tacere juſſit: unde nihil vetat quin abſolute exercitibus præſit, aut jura dicant populis, vel divina oracula, Deo revelante, pandant; at eas in Eccleſia tacere voluit, ita ut ne ibi quidem, ſed domi ſolum, interrogare auſint. Porro quibus indicitur ſilentium in Eccleſia, his a fortiori Sacerdotalia prohibentur. Non 2. etſi enim omnes in Chriſto Jeſu unum ſunt in iis quæ pertinent ad fidem & ſalutem, non tamen unum ſunt omnes quantum ad Eccleſiæ miniſteria: alioqui non ſolum ordinari poſſent omnes, ſed & ordinari deberent, quod ne ipſe quidem Cataphrix admiſerit. Porro Apoſtolum de ſola penes fidem unitate loqui, patet ex ejus verbis ibid. v. 26. *Omnes enim Filii Dei eſtis per Fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. Ergo.

Confirm. Si mulieres non divino, ſed Eccleſiaſtico ſolum jure arce- 94
rentur a ſacris, earum ordinatio, illicita quidem foret, ſed tamen valida, qualis eſt bigamorum. Atqui communi fidelium ſenſui repugnat ſubreptitiam aut apertam mulieris ordinationem valere.

Adde quod Sacerdos ſit ſponſus ſaltem miniſterialis Eccleſiæ ſibi 95
commiſſæ, quatenus gerit vices Chriſti, qui glorioſam ſibi ſponſam ſanguine ſuo acquiſivit, Act. 22. & Epheſ. 5. Porro ſponſi perſona & ratio non decet mulieres: Ita Lud. Habert. pag. 78.

Inſt. non minus feminæ jure divino capaces ſunt Ordinis, quam 96
doni Prophetici; immo magis quantum ad aliquid; cum major ſit prophetiæ dignitas, quam minorum Ordinum. Atqui ex dictis liquet feminas non ita raro Prophetides fuiſſe.

Reſpond. 1. ex eo argumento tantum ſequi, quod Deus femi- 97
nam ſacris initiare poſſit, ut & plures dono Prophetiæ, & in his unam divinæ maternitatis titulo decoravit: Non vero ſequi quod id poſſint homines, non ſuffragante, immo potius renitente Scriptura.

Reſp. 2. neg. maj. præterquam enim in iis quæ a Dei voluntate pen- 98
dent, una rerum norma eſt ipſius voluntas, conſtat Ordines multo plura exigere, quam exigat donum Prophetiæ. Iſtud enim utpote gratia gratis data paſſive recipitur in ſubjecto, nec præſtantiorem in Eccleſia locum tribuit: unde impii ipſi prophetarunt aliquando. Contra autem Sacerdotium & homines conſtituit aliorum capita, quod feminis non competit; & ſcientiæ multum multumque animi & conſtantiæ requirit: quæ vix in mulieribus ad leviora natis deprehenduntur. Et vero ſi feminæ pleræque in uno domus ſuæ regimine adeo deſudant, qua ratione Parochiam totam vel Diœceſim regerent? Hinc enim proprius requiritur labor, neque Eccleſiam per ſubſtitutos regi patitur Deus, ut Regna per Miniſtros. Sane, ait D. Bernardus, *Qui per Vicarium ſervit, per Vicarium remunerabitur*.

Objic. 2. poteſt id etiamnum fieri, quod purioribus ſæculis fecit 99
Eccle-

Eccleſia. Atqui conſtituit olim Eccleſia Diaconiſſas, Presbyteras, Epiſcopas. Immo habuit Romana Sedes Pontificem feminam, ſub cognomento Joannæ Papiſſæ.

100 Reſp. veteres Diaconiſſas, & una Papiſſæ Joannæ Hiſtoriam a nobis infra propriis in Diſſertationibus expendenda eſſe. Interim ſi quę mulier ſexum mentita impoſitionem manus recepit, nihil profecto quam novum reprobationis caracterem recepit.

101 Objic. 3. ſexus juriſdictionis Eccleſiaſticæ capax, capax eſt & Ordinationis. Atqui muliebris ſexus... Prob. min. quia Abbatiſſæ Moniales ſuas in ſpiritualibus dirigunt. Quin & earum nonnullæ, non in Moniales ſolum, ſed & in Clericos, graviores quaſcumque cenſuras decernunt, ut patet ex cap. 12. *De Majorit. & obedientia* (Lib. 1. Tit. 33.) ubi ſic loquitur Innocentius III. ad Abbatem S. Michaelis: *Dilecta filia in Chriſto Abbatiſſa de Bubrigen tranſmiſſa nobis petitione monſtravit, quod cum ipſa plerumque Canonicas ſuas, & Clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos propter inobedientias & culpas eorum officio beneficioque ſuſpendat, iidem confiſi ex eo quod eadem Abbatiſſa excommunicare non poteſt, ſuſpenſionem hujuſmodi non obſervant ..... Quocirca mandamus quatenus dictas Canonicas & Clericos, ut Abbatiſſæ præfatæ obedientiam & reverentiam debitam impendentes, ejus ſalubria monita & mandata obſervent, Eccleſiaſtica cenſura compellas*. Ubi femina & mandata dat, quibus ipſi etiam Clerici obtemperare tenentur, & eos non ſecus ac Canonicas ſuas ab Officio & a Beneficio ſuſpendit, & Juriſdictionem habere declaratur. Similia & multo majora in Ordinis ſui Religioſos poteſt Abbatiſſa Fontis-Ebraldi. Neque id mirum: ſi enim Joannem Evangeliſtam, licet Apoſtolum, B. Virgini, tamquam matri, ſubjecit Chriſtus; quidni, ut facti hujus ſingularis memoriam recolant Vicarii ejuſdem Chriſti Pontifices, eamdem uni feminæ in Clericos tribuant poteſtatem, quam Matri ſuæ in Apoſtolum tribuit Chriſtus?

102 Reſp. 1. neg. maj. longa enim eſt juriſdictionem inter & Ordinationem diſparitas. 1. Enim juriſdictio non eſt eſſentialiter annexa Statui Clericali; unde ipſi etiam laici ex ſpeciali R. Pontificis conceſſione cenſuras ferre poſſunt, ut dixi Tom. IV. part. 1. cap. 2. pag. 26. 2. Juriſdictio ſpiritualis forum exterius ſpectat: in hoc autem mulieres virorum conſilio, ſapientia ac animi fortitudine dirigi poſſunt. Ordinatio autem ad forum interius ſuapte natura refertur. Hic explananda Fidei myſteria, ſolvendi paſſim conſcientiæ caſus, expediendæ a ſcrupulis animæ, ad finem ſupernaturalem dirigendi omnium ſtatuum homines, pie inquietandi qui nihil timent, ſpe erigendi qui timent ultra metas. Hæc autem quibus vix ſufficiant oculatiores quique, qua ratione præſtet ſexus animo anguſtior, levis a natura, fanaticis illuſionibus patens? Quomodo fiduciam illam inſpiret, quæ ſola turbatas conſcientias tranquillat? Certe, ait Pariſienſis Magiſter, non tantam Abbatiſſis ſuis fidem habent Moniales ipſæ: ideoque & iſtæ & illa Confeſſariorum ope indigent, qui cerebra ipſarum ad levem quandoque auram verſatilia, figant tandem, ſi poſſunt, atque componant.

Reſp. 2. diſt. min. muliebris ſexus capax eſt juriſdictionis œconomicæ, & lar-

& largius ſumptæ , C. juriſdictionis vere & omnimode ſpiritualis , quæque a clavibus proveniat , N. Itaque Abbatiſſa quantum ad perſonas ſibi ſubjectas , ut & mater in domo , capax eſt cujuſdam œconomicæ juriſdictionis , quæ cum circa ſpiritualia verſatur , Eccleſiaſticam juriſdictionem utcumque attingit . Cum enim filiæ levioris ingenii præcipit mater ne ad ſacram ſynaxim accedat , id facit quod Confeſſarii ſolent : cum vero Abbatiſſa jubet vel Officium tali hora celebrari , pro more antiquo , vel hunc Sacerdotem , qui feſtine & incompoſite celebrat , a ſacris in Eccleſia ſua abſtinere , id etiam facit quod ſolent Epiſcopi . Verum hæc propriam & e clavibus ortam juriſdictionem non probant. Idque vel ex ipſo qui objicitur Innocentii textu colligere eſt . Juriſdictio enim proprie dicta involvit poteſtatem veras decernendi cenſuras , quas qui violat , irregularitatem contrahit. Atqui ſuſpenſiones ab Abbatiſſa Bubrigenſi latæ non erant hujuſmodi , ut fatentur Azor par. 1. Lib. 13. q. 6. Suar. diſp. 2. de cenſuris Sect. 3. n. 5. & paſſim Canoniſtæ in cit. cap. *Dilecta*. Et vero quod primum Abbatiſsæ verba repetendo, ſuſpenſionis nomine expreſſit Pontifex , id poſtmodum moniti & mandati nominibus exprimit. *Mandamus*, inquit, *quatenus dictos Canonicos & Clericos , ut Abbatiſſæ præfatæ ... ſalubria monita & mandata obſervent Eccleſiaſtica cenſura compellas*; ubi & Innocentius uſurpatam ab Abbatiſsa ſuſpenſionis vocem tacite redarguit, ut in eum locum ſubindicat Barboſa num. 5. & hanc ejus ſuſpenſionem cenſuram veram non fuiſse oſtendit , cum vicino Abbati injungat ut præfatos Clericos per cenſuras , qualeſcumque eæ ſint (non enim dicit per excommunicationem , ut ſatis petierat Abbatiſsa) eidem Abbatiſſæ obſequi compellat . Quod ſpectat ad privilegia , quæ nonnullis Abbatiſſis , ei potiſſimum quæ Monaſterio Fontis Ebraldi præeſt , conceſsa dicuntur , reſpondet Hallerius pag. 519. nolle ſe iis vel fidem abrogare , vel auctoritatem adimere . Tum hæc ſubdit : „ Scio multa ex iis quæ proferuntur eſse dubia , „ multa dolo & fraudibus obtenta , multa difficillimis Eccleſiæ temporibus tantum non violenter extorta ; multa abſque „ matura diſcuſſione , gratiæ aut favori data : ſcio ad iſta principia Theologicas veritates neminem debere mentiri : cum tamen generalibus ſummorum Pontificum Decretis ſua ſemper „ apud unumquemque ſtare debeat auctoritas . Verum nolim hæc „ ſeverius urgere : Eadem quippe quæ Honorii (Lege Innocentii) Decreto reſponſio a nobis appoſita eſt , iis omnibus pariter ſatisfacit : œconomicum videlicet quoddam imperium Abbatiſſis in Clericos concedi potuiſse ; cum & matres „ in filios ſuos Sacerdotes maternam & œconomicam auctoritatem retineant : Imperium iſtud ad imitationem poteſtatis „ Beatæ Virginis in Sanctum Joannem Evangeliſtam inſtitutum „ fuiſse , ad Monachorum humilitatem probandam permiſsum ; „ & ad commendandam poſteritati egregiam quorumdam Monialium virtutem ab Eccleſia probatam , & in aliquorum benefi-

„ ciorum, quæ Clerici a Monialibus quibuſdam recepiſsent, récor-
„ dationem æquum viſum fuiſse. Quod ſi lapſu temporis aliquid
„ amplius ſibi Abbatiſsæ hujuſmodi Monaſteriorum arrogarunt, uſur-
„ patam fuiſse hanc poteſtatem, non legitimam; quæ quacumque
„ temeritate inoleverit, quacumque deſidia vel adulatione fota fue-
„ rit; nulla poterit ratione defendi." Hæc vir ille pari ad ſapientiam eruditione celeber, & quandoque a Benedicto XIV. laudatus.

104 Obj. 4. Nihil vetat quominus Eccleſia Ordinem, cujus ipſa fuit inſtitutrix, ipſis etiam feminis conferre valeat. Atqui Eccleſia Minorum, atque ipſius etiam Subdiaconatus inſtitutrix fuit. Ergo.

105 Reſp. 1. non deeſse graves Theologos, qui velint Subdiaconatum & ipſos Minores a Chriſto inſtitutos fuiſse radicaliter & principative; quatenus inſtituendo Diaconatum, plura eidem alligavit munia, quæ ab Eccleſia plures in Miniſtros dividi permiſit. Jam vero qui alterius officium participant, ejuſdem cum ipſo ſexus & conditionis eſse debent.

106 Reſp. 2. neg. maj. Ordines enim univerſi, quales nunc in Eccleſia exiſtunt, aliquid inter ipſos etiam viros eminentiæ habent, in ordine ad Sacrificium Miſsæ, cujus Miniſtro Subdiaconi, & Acolythi ſollemniter inſerviunt. Aliunde vero iidem Ordines inſtituti fuere, ut qui eos ſuſcipiunt, per pias ipſorum functiones ad Sacerdotium præparetur. Atqui nec feminis competit eminentia inter & ſupra viros, nec poſsunt eæ ad Sacerdotium per gradus diſponi; nec Eccleſiaſticum in ordine ad Euchariſtiam miniſterium exercere valent. Ergo licet, mulieres, ſuppoſita humana prorſus inferiorum Ordinum inſtitutione, ab iis jure divino poſitivo non arcentur, ab iis tamen jure divino naturali arceantur: quia quod de ſe turpe eſt & indecens, naturali jure prohibetur. Ita ferme Simonnet pag. 168.

107 Expendit eo loci Hallerius pag. 519. an Ordinationis capaces ſint Hermaphroditi, vel puellæ in viros mutatæ (quod pluries contigiſse probat ex variis Auctoribus, quorum fides ſit penes Lectorem.) Statuit autem Hermaproditos, ſi virili ſexu prævaleant, valide ordinari, ſecundum id cap. *Si teſtes*, 3. IV. q. 2. & 3. *Hermaphroditus an ad teſtimonium adhiberi poſſit, qualitas invaleſcentis ſexus oſtendit*. Quæ vero in viros converſæ eſsent, perpetuo irregulares fore decernit, ob primævi ſtatus conditionem, ejuſque ſuperſtitem ideam. Verum his ut minimum inanibus immorari non juvat. De Androgynis vero quid ſentiendum ſit, expendi Tom. 4. par. 2. de irregularit. cap. 3. q. 2. pag. nunc. 378.

108 Conclusio VI. Rata eſt quoad ſubſtantiam Ordinatio ab improbis, ſceleſtis, atque Hæreticis ſuſcepta. Eſt contra Wiclefum & Joannem Hus, qui ſolos prædeſtinatos Ordinum capaces credidere. Eſt & contra M. Antonium de Dominis, qui Lib. 2. de Republica Eccleſ. cap. 4. nu. 4. & ſeq. docet irritam aliquando eſse Ordinationem hominis propter inſignem quempiam ejus defectum. Jam Concluſio quæ eſt certiſſima;

109 Prob. 1. ſi rata non ſit recepta ab Hæreticis, aliiſque id genus im-

improbis Ordinatio, Novatiani, Donatiſtæ & facinoroſi quique, ſeu ad Eccleſiæ unitatem, ſeu ad pœnitentiam reverſi, denuo ordinari debuerunt. Atqui contra iis Ordinum ſuorum uſus, quin & ſæpe Sedes ſuas, cum id bonum & ſalubre judicavit, permiſit Eccleſia; Novatianis quidem in Concilio Niceno 1. Can. 8. cujus hæc ſunt verba (Tom. 2. p. 239.) *Ubicumque igitur, ſive in pagis, ſive in urbibus ipſis* (Cathari, id eſt puri, ſic enim ſe modeſte vocitabant Novatiani, ut & alii hæretici plures) *inveniantur ordinati, inventi in Clero, erunt in eodem ordine*; Donatiſtis vero in Concilio Africano, ut patet ex Can. 38. ejuſdem Eccleſiæ (ibid. pag. 1092.) ubi ſtatuitur deprecandum eſse Anaſtaſium Rom. Pontificem, quo gratum habeat, *ut ex ipſis Donatiſtis, quicumque Clerici correcto conſilio ad unitatem Catholicam tranſire voluerint ... ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur .... Quod* jam factum eſse *multarum & pene omnium Africanarum Eccleſiárum, in quibus talis error exortus eſt exempla teſtantur.* Idem quoad alios hæreticos obſervatum eſt, tum ab Innocentio I. tum a Synodo generali VII. art. 1. Ergo jam ab initio ubique receptum erat validam eſse hæreticorum Ordinationem, licet cum iis ad unitatem redeuntibus Eccleſiæ quædam, uti Romana, durius agerent, eoſdem a Sedibus ſuis deturbando; mitius aliæ, ut Africana, iiſdem ſui honoris gradum ſervando; ſi hoc *paci Chriſtianæ prodeſſe* videretur.

Prob. 2. quia cum Donatiſtæ Cęciliani Ordinationem a Felice Aptungitano Epiſcopo peractam, eo prætextu rejeciſsent, quod Felix, ejuſdemque ordinatores Libros Sacros tradidiſsent, Catholici duplicem contra ipſos quæſtionem ſuſtinuerunt, facti alteram, qua objectum Cęciliano crimen pernegabant; alteram juris, qua Cęciliani Ordinationem, ſuppoſito etiam ipſius crimine, validam eſse contenderunt. Atqui ea in lite, non modo Auguſtini, ſed & Eccleſiæ totius judicio victi ſunt Donatiſtæ. Ergo, ait Hallerius pag. 534. tunc temporis Catholicis omnibus tamquam divina Fide perſuaſum fuit, Ordinationis vim ex Chriſti meritis, non a ſuſcipientium bonitate metienda eſſe. 110

Mitto duplex aliud ejuſdem Doctoris argumentum, puta quod Scribæ & Phariſæi ad Cathedram Moyſis, licet mali, vere promoverentur; quodque Judas cum ceteris Apoſtolis Sacerdos Ordinatus ſit. Prius enim parum urget, quia a Levitico Sacerdotio ad Evangelicum nihil ſatis certi concludi poteſt. Poſterius vero non parum habet difficultatis, uti Tom, XV. Diſſert. 6. pag. 498. videre eſt. 111

Obj. antiqui Patres diſerte ſtatuunt nullius omnino roboris eſſe malorum Ordinationes. Sic auctor Conſtit. Apoſtol. Lib. 8. cap. 2. *Epiſcopus ignorantiæ, aut malo animo oppletus, Epiſcopus eſt, ſed falſus Epiſcopus, non a Deo, ſed ab hominibus promotus.* S. Dionyſius Epiſt. ad Demophilum: *Qui illuſtrandi vi non eſt præditus ... non eſt Sacerdos, ſed inimicus, fallax ..... lupuſque in Dominicum gregem ovina pelle armatus.* S. Cyprianus Sacerdotes improbos comparat Chore, Datan & Abiron, quos conſtat veros non fuiſſe Sacerdotes, ſed temerarios Sacerdotalis gradus irriſores, prout ait ibid. S. Doctor. Concinunt SS. Hieronymus in cap. 1. Epiſt. ad Galatas, Auguſtinus & alii plures, quorum teſtimonia inferius recurrent. Interim ex iis ſic diſputo. Qui veri 112

non ſunt Sacerdotes ; qui ab hominibus quidem promoventur , ſed non a Deo ; qui non alio modo ſunt Sacerdotes , quam fuerint Core , Datan & Abiron , ii profecto valide non ordinantur. Atqui hæretici, ſceleſti , &c.

113 Reſp. 1. Apoſtolicas Conſtitutiones non eſſe Clementis, & ſatis incertum eſſe an Dioniſii ſint, quæ tamdiu ſub ejus nomine ventilata ſunt opera.

114 Reſp. 2. non ita mirum fore, ſi Pſeudo-Clemens & Cyprianus Ordinationem hæreticis collatam pro irrita habuerint; cum uterque irritum judicaret Baptiſma ab iiſdem hæreticis collatum. Qui enim Sacramenta ab hæreticis collata rejicit, facile inducitur ut ſuſcepta ab hæreticis rejiciat. Neuter tamen ideo Sacramenta ab improbis recepta pro irritis habuiſſe credendus eſt, adeoque inviſibilem Eccleſiam cum Vvicleſitis profiteri. Unde

115 Reſpond. diſting. min. mali , imperiti , &c. non ſunt Sacerdotes quantum ad intenti Dei , ſanctimoniam vitæ , utilitatem proximi , C. Non ſunt Sacerdotes quoad caracterem , N. Itaque mali Sacerdotes communi ſermone dicuntur non eſſe Sacerdotes , quomodo dicitur non eſſe mater , ſed noverca , quæ filios ſuos non nutrit : At non ideo Sacerdotalem caracterem habere negantur, ſicut & matris ſubſtantiam habet quæ prolem genuit . Porro hunc eſſe triplicis , qui objectus eſt , Scriptoris ſenſum res eſt indubia .

116 1. Enim Pſeudo-Clemens eo modo malum Sacerdotem negat Sacerdotem eſſe, quo malum Principem negat eſſe Principem , tantumque habet pro tyranno. Atqui non utique negabat ille malos ſui temporis Principes, vere Principes eſſe, iiſque ex Chriſti & Apoſtoli mandato eſſe obtemperandum.

117 2. Auctor Epiſt. ad Demophilum non patitur ut ſæcularis vel Monachus Presbyterum, quamvis nefarie agentem reprehendant ; ne qui inferioris gradus ſunt, adverſus eos qui ſunt ſuperioris gradus inſoleſcant. Ubi de quibuſvis improbis Sacerdotibus indiſtincte agit: proinde & de iis etiam qui ab ipſo Ordinationis tempore non erant ab omni labe immunes.

118 3. Cyprianus, cum Epiſt. 68. nonniſi immaculatos Antiſtites eligendos docuit, id utique docuit quod omnes Catholici ſentiunt, & boni omnes exoptant. Cum eorum ſacrificia polluta dixit , ſacrificia ſpectavit ut opus ſunt operantis , non ut ex opere operato ſanctitatem ac ſanctificandi virtutem continent. Cum ab impiorum Sacerdotum contagione plebem coinquinari dixit , malæ electionis culpam convertit in plebem , quoniam *ipſa maxime habeat poteſtatem , vel eligendi dignos Sacerdotes , vel indignos recuſandi* , ut ibidem loquitur S. Doctor. Cum tandem Sacerdotes improbos Core , Dathan & Abiron comparat, vel de intruſis Sacerdotibus , quales erant Baſilides & Martialis, de quibus ibi verba facit , ſermonem tantum habet, vel comparationem non in omnibus, ut ſæpiſſime accidit, eamdem ac conſentaneam inſtituit. Cum vero idem Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum, eos qui unitatem Eccleſiæ diſſolvant , nec Epiſcopi

po-

poteſtatem habere poſse aſseruit , nec honorem ; vel ad hunc collimat errorem , qui in ipſo, aliiſque Africanis & Aſiaticis Patribus damnatus eſt , hæreticos videlicet a conferendorum Sacramentorum poteſtate penitus excidere ; vel id tantum innuit , legitimam apud Schiſmaticos auctoritatem non remanere ; quia ipſos Eccleſia , ob pacis violationem, acceptæ poteſtatis uſu privat. Ita in verbis Hallerius ib. p. 539. Sed de his rurſum dicemus cap. ſeq. ubi aliorum Patrum textus expendentur .

DISSERTATIO PRIMA

De Pontificatu Joannæ.

Joannæ , ut vocant , Papiſſæ Hiſtoriam paucis his verbis refert Ma- 1
rianus Scotus in Chronico ad annos 853. & 854. Leo (IV.) *obiit Kalendis Auguſti . Huic ſucceſſit Joanna mulier annis duobus , menſibus quinque , diebus quatuor* . Eamdem Hiſtoriam , ſed variis jam circumſtantiis ornatam refert S. Antoninus part. 2. Chronic. Titul. 16. capit. 1. §. 6. his verbis : *Poſt hunc Leonem Martinus* Polonus *in Chronica ſua poſuit Joannem natione Anglicum , qui ſedit ann.* 850. *in Cathedra Petri annis duobus , menſibus tribus , diebus ſex : quo mortuo ceſſavit Papatus menſe uno . Hic , inquit Martinus , ut aſſeritur , femina fuit, & in puellari ætate a quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenas adducta, ſic in diverſis ſcientiis profecit , ut nullus ſibi par inveniretur , adeo ut poſt Romæ in triviis legens magnos Magiſtros diſcipulos & auditores haberet . Et cum in urbe in ſcientia & vita magnæ opinionis eſſet , in Papam concorditer eligitur poſt Leonem : ſed in Papatu per ſuum familiarem imprægnatur . Verum tempus partus ignorans , cum de S. Petro in Lateranum tenderet , anguſtiata in partu inter Eccleſiam S. Clementis & Coliſæum peperit in via: & in partu mortua, ibidem ſepulta dicitur . Et quia Papa eamdem viam ſemper obliquat, cum Lateranum accedit, creditur a pleriſque quod ob deteſtationem facti hoc faciat . Nec ponitur ea in catalogo Summ. Pontificum propter mulieris ſexum*. Hæc ille , qui nec in omnibus Mariano conſentit , nec ceteros in omnibus ſibi conſentientes habet . Jam

2. Circa relationem hanc duplex eſt eruditorum opinio . Prima 2
eamdem uti genuinam amplectitur : ita paſſim Pſeudo reformati. Secunda hanc uti fabellam putidam rejicit. Sic inter alios Baronius ad an. 853. & in ipſum Pagius, Bellarminus, Florimundus Raimundus, Onuphrius Panvinius, Leo Allatius in Opere, *De commentitia Papiſſa*, Lib. 2. Opuſc. p. 414. Philippus Labbè in cenotaphio Jonnæ Papiſsæ funditus exciſo , Tom. 8. Concil. pag. 154. Natal. Alexander . Diſſertat. 3. in Hiſtor. ſæculi IX. & non ita pridem fuſe & ſolide Michael le Quien , in Oriente Chriſtiano Tom. 3. pag. 381. Idem ſenſit David Blondellus e Proteſtantium Grege in ſpeciali ea de re Tractatu , qui idcir-

idcirco male audit apud ſuos ; * unde hunc confutare niſus eſt anno 1655. Rothomagenſis quidam cauſſidicus, nomine Congnard, in opere inſcripto : *Traitè contre l' eclariſſement donnè par M. Blondel, en la queſtion, ſi une femme a etè aſſiſe au Siege Papal de Rome entre Leon IV. & Benoit III.* &c. ſed & eum gravioribus verbis impetiit Miſſonius in Itinere Italico Tom. 2. Epiſtolis 27. & 28. ubi & pag. 222. edit. 3. Blondellum pecunia corruptum fuiſſe dicit, ut Papiſſæ hiſtoriam ſubvertere conaretur.

3 Antequam vero rem critice expendamus, operæ pretium eſt animadvertere, nihil ex eventu illo, ſi reipſa contigerit, adverſus Romanam Eccleſiam colligi poſſe, niſi unum id, Pontificiam Sedem diutius vacaſſe, quam creditum fuerit. Neque enim Papiſſa, ſi quæ fuit, vere & realiter ordinata eſt : neque ſi quos ipſa forte ordinavit, uti vult, & peſſime probare nititur Congnard ex Hen. Cord. Agrippæ Libro *de vanitate ſcientiarum*, hos denuo inauguratos fuiſſe ſerio dubitari poteſt. Hinc ibidem Miſſonius hiſtoriæ hujus veritatem nec Proteſtantium partes juvare, quidquid eorum plures ſentiant, nec Catholicis nocere, caute licet, confitetur.

4 Contra vero idem qui ſupra cauſſarum patronus magnam hinc ſibi ſuiſque utilitatem ſpondet pag. 302. quia per hujus feminæ Papatum ſubvertit, cenſet eam ſucceſſionis continuitatem, qua glorientur Romani ; ſubditque interrogatos circa ſucceſſionem ſuam Calviniſtas, illico viciſſim interrogare poſſe, ubinam foret Eccleſia, cum feminam haberet pro univerſali capite, &c. Hæc ille, quæ ſectæ ſtudium ingens probant, & nihil ultra. Ut enim continua ſit Paſtorum in aliqua Sede ſucceſſio, neceſſe non eſt ut defuncti unius locum ſtatim excipiat alter, quod extra Coadjutorum caſum numquam in Orbe toto contingit ; ſed ſatis eſt ut qui ad Sedem valide electus eſt, rite ordinetur, aliique valide etiam electo & ordinato poſt aliquod intervallum ſuccedat, qui & ipſe perpetua ſerie aliis qui ante ſe fuerant ſucceſſerit, &c. Hæc autem conſtans fuit Eccleſiæ Romanæ conditio. Aliud eſt omnino, ſive de Anglis, qui ab Eduardi VI. temporibus juxta ritum ad minus dubium inſtituuntur ; ſive de Calvinianis, quorum caput Calvinus, nedum Epiſcopus foret aut Presbyter, ne minimo quidem inter ſacros Ordines inſignitus erat ; quippe adeo propriæ, & ab omnibus mundi Eccleſiis divulſæ Eccleſiæ fundatores extiterunt. Sed de his in Tractat. de Eccleſia. Sit jam

5 Conclusio: Pontificatus Joannæ mera eſt fabula.

6 Prob. factum quod nullius coævi Scriptoris teſtimonio adſtruitur, immo quod iiſdem coævis ſcriptoribus aperte contradicit, quod qui aſſerunt, alii cum aliis neutiquam cohærent ; quod demum ineptiis tur-

* Fatetur Miſson non deeſse apud Eccleſiæ Romanæ hoſtes, qui Papiſsæ commentum explodant. Sane quamplures qui Papatum Joannæ fabulas inter cenſuerunt, refert Jo. Chriſtianus Baro de Boineburg in Epiſtolis ad Jo. Conv. Dietericum. Vide animadverſiones ad calcem Diſsertationis Natal. Alexand. Tom. VI. pag. 416. Edit. Lucenſ.

turget & abſurditatibus, fabellas inter amandari debet. Atqui talis eſt Joannæ Pontificatus.

Primo enim qui primus omnium hiſtoriolam illam retulit, ſi tamen vere retulit, eſt Marianus Scotus, quem tot alii, adornata tamen pro guſtu ſuo relatione, ſubſecuti ſunt, vere ut Pagio dixerit Launoius * *falſiorem nullam eſſe traditionem, licet nulla ſit univerſalior.* Atqui Marianus ille Scotus, ducentis ut minimum annis ſcripſit poſt Leonis IV. Pontificatum; cum anno ſolum 1086. diem clauſerit extremam, uti ſcite demonſtrat Baronius ibid. num. 57. Jam vero coævus dici nequit, qui poſt duo & amplius ſæcula eventum commemorat; nec ullum ejus aſſertorem adducit. Ergo ſtat 1. factum Papiſſæ nullo coævi auctoris teſtimonio eſſe innixum. Quid ergo ſi Mariano hiſtoria hæc gratis affingatur? de quo infra. 7

Secundo eadem hiſtoria coævis Scriptoribus plane ignota fuit; tum quia hanc eorum nemo retulit; quod ſupra fidem mirum eſt de facto, ſub oculis Romæ totius geſto, quin & monumentis, ut adverſarii volunt, publicis confirmato; tum quia ne unus quidem ex iis eſt, cujus cum ſcriptis narratiuncula hæc facile vel ægre conciliari valeat. Hi enim ad unum omnes Benedictum III. Leoni IV. ut Leonem IV. Sergio II. & hunc Gregorio IV. nullo prohinc inter eos medio, ſucceſſiſſe declarant. 8

Sic 1. Ado Viennenſis, coævus Scriptor, in Chronico ad an. 855. *Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque ejus loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo ſuccedit,* QUO OBEUNTE *Benedictus in Sede Apoſtolica conſtituitur.* Ergo tam immediate ſucceſſit Leoni Benedictus, quam Leo III. Sergio. 9

Sic 2. Anaſtaſius Bibliothecarius, & coævus, & Romæ tunc temporis degens; in vita Benedicti III. §. 557. pag. 395. edit. Vaticanæ: *Leo quidem*, inquit, *ubi hac luce ſubtractus Præſul occubuit*, MOX *omnino Clerus iſtius Romanæ protectæ Sedis, univerſique Proceres . . . uno conſenſu, unoque conamine Benedictum .... promulgarunt eligere.* Sed qui Leoni, mox ut ab hac luce ſubſtractus eſt, ſucceſſit, non ſucceſſit ei poſt duos Pontificatus Joannæ annos. 10

Idem §. 559. & ſeq. enarrans hiſtoriam ſchiſmatis contra Benedicti electionem ab Arſenio, Eugubino Antiſtite, ſuſcitati, diſerte ſcribit legatos Imperatorum Lotharii ac Ludovici, qui Anaſtaſii Cardinalis, licet olim propter reſidentiæ defectum a Leone IV. in Synodo Epiſcoporum 67. Romæ excommunicati, ambitionem tuebantur; ceſſiſſe tandem juſtis Romanorum clamoribus, qui Benedictum jam electum in Pontificem conſecrari peroptabant. Sic Auctor noſter: *Die Lunę 23. menſis* Septembris *ad titulum Æmilianę convenit ſchiſmaticorum cohors, ut Epiſcopos ibi cum Romano Clero pſallentes ad conſenſum exaltationi Anaſtaſii præbendum impellerent, quod fruſtra tentarunt, Epiſcopis Oſtiæ & Albani generoſe reclamantibus. Die Martis ejuſdem menſis 24. omnes Epiſcopi cum Clero ac populo in Baſilica Salvatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, congregati* 11

 ſunt.

* Vide Pagi ad an. 853. Baronii numer. 17. Tom. 14. Baronii pagin. 427. edit Lucenſ.

ſunt. Ibi populus tumultuario clamavit; Beatiſſimum Papam Benedictum volumus. Populi & Cleri votis acquieverunt demum Ludovici Imperatoris Legati, & Anaſtaſium Pſeudo-Pontificem ex Patriarchio Lateranenſi protinus ejecerunt. Indicto deinde trium dierum jejunio, diebus ſcilicet Mercurii, Jovis, & Veneris, 25. 26. & 27. *Septembris, diluculo in Baſilicam B. Petri Apoſtoli ab Epiſcopis, Clero, & Proceribus deductus eſt, & in conſpectu omnium, præſentibus etiam Imperatoris Legatis conſecratus ordinatuſque eſt Pontifex.* Jam vero omnia hæc Papiſſæ fabulam ſubvertunt radicitus. Si enim Leo IV. die 17. Junii anni 855. obierit, uti in ejus vita ſcribit Anaſtaſius: ſi quidquid hinc effluxit temporis, uſque ad finem Septembris ejuſdem anni, in Benedicti electione, memorati ſchiſmatici ortu, incremento & extinctione conſumptum eſt, quod, quæſo, intervallum aſſignari poterit Papiſſæ, quæ inter Leonem IV. & Benedictum III. per duos & amplius annos Pontificalia exercuiſſe ſupponitur?

12 Reſpondet Miſſon eodem Tom. 2. pag. 203. & 204. hiſtoriam Papiſſæ etiamnum legi in Anaſtaſii Manuſcriptis codicibus non paucis, in uno nimirum Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi, in duobus Bibliothecæ Auguſtanæ, ac in uno Mediolanenſi; a ceteris vero eraſam fuiſſe ſtudio & opera Monachorum, penes quos erant Manuſcripta pene omnia.

13 Verum ipſe ſe paullo poſt proprio gladio configit Miſſonius. Is ſiquidem p. 210. inſtar regulæ ſtatuit, in præſenti controverſia eos ſolum allegari poſſe Manuſcriptos Codices, quorum antiquitas & ſinceritas omni ſint ſuſpicione majores. * Atqui nec probat, nec probare poteſt Miſsonius Codicem hunc Regium, alioſque tres quos in aliena Fide profert; primævæ eſſe antiquitatis, & ſinceritatis indubiæ. His vero utramque hanc dotem omnino deeſſe liquet, 1. quia ſi Papiſſæ hiſtoria ab Anaſtaſio in ipſa Romana urbe inſerta fuiſſet Operi ejus, in Manuſcriptis multo pluribus adeſſet, quam deeſſet. Atqui contra in omnibus pene deeſt, vixque in quatuor aut quinque occurrit. 2. Quia nupera Anaſtaſii editio juxta præſtantiſſimos quoſque Mſſ. Codices, Regios præcipue, Mazarinos, Thuanos, &c. concinnata fuit. Et in illa tamen, utique quia in iſtis, altum eſt de Papiſſa ſilentium. 3. Quia immediata Benedicti in locum Leonis ſucceſſio palam ab eodem Anaſtaſio indicatur, tum in vita Nicolai I. §. 578. pag. 403. tum in Adriano II. §. 614. pag. 425. Ergo Papiſſæ fabula in objectos a Miſſonio Codices e Pſeudo-Martino Polono temere & contradictorie translata eſt: temere, quia contra ceterorum Orbis totius Manuſcriptorum fidem: contradictorie, quia per eam unus Anaſtaſii locus tribus ejuſdem Scriptoris locis aperte contradicit. Et vero ſi Anaſtaſius hiſtoriam hanc ſcripſiſset, eum dubio procul citaviſsent Marianus Scotus, & alii deinceps, nec dubitanter locuti eſsent, prout omnes ferme locuti ſunt.

14 Quod ſpectat ad fraudem Monachorum, qui ſeu timore, ſeu partium ſtudio

* Il nous faut, ſur-tout dans une affaire conteſtée comme l'eſt celle-ci, des Mſſ. dont l'antiquité & la vérité ſoient *INCONTESTABLES*. *Miſſon ubi ſupra.*

ſtudio hiſtoriam Papiſsæ a Mſſ. ſuis eraſiſse dicuntur ; liceat a Miſſonio inquirere , 1. an Mſſ. codices omnes penes Monachos forent ; 2. an qui Mſſ. codicibus exſcribendis vacabant , omnes & omni tempore in Romanam Curiam, ut paſſim loquimur , bene & pie affecti eſſent ; 3. an omnes prorſus doli & fraudi capaces eſsent ; 4. cur qui plurium Pontificum vitia lubenti calamo , ac quandoque duriori ſcripſere , factum , quod , teſte Miſſonio , nihil Apoſtolicæ Sedi nocet , ſcribere noluerint ; præſertim , cum , uti jam diximus , Romæ a coætaneo unaque ſagaciſſimo teſte , ſub ipſis Pontificum oculis ſcriptum eſse ſupponatur. Apage ineptias & fabularum inſaniam pruriginem .

Sic 3. Annales Bertiniani ad annum 855. *Menſe Auguſto* (verius 15
Julio) *Leo Apoſtolicæ Sedis Antiſtes defunctus eſt , eique Benedictus ſuccedit. Lotharius Imperator morbo correptus , vitamque deſperans , Monaſterium Promiæ in Arduenna conſtitutum adiit , ſæculoque & Regno penitus abrenuntians , tonſus eſt , vitam habitumque Monachi humiliter ſumens . Diſpoſitoque inter filios ejus Regno , infra ſex dies vita deceſſit* IV. *Kalendas Octobris*. Hic recenſentur , pro more Annalium , quæ anno 855. evenerunt . Ergo ad hunc annum referri debent & mors Leonis , & Benedicti III. electio , & Lotharii ſeceſsus atque interitus . Ergo rurſus non ſucceſſit Leoni Joannes femina , quæ annis duobus & menſibus quinque Pontificatum geſserit . Sed nec idem idolum inter ſubſecutos Pontifices collocari poteſt ; cum ex iiſdem Annalibus Benedicto III. ſucceſſerit Nicolaus I. Nicolao I. Hadrianus II. huic Joannes VIII. quam ſeriem eodem ordine exhibent Ado Vienneſis , aliique ad unum omnes.

Sic 4. Hincmarus jam ab ann. 845. Remenſis Archiepiſcopus , 16
ſcribit Epiſtol. 26. ſe Romam ad Leonem cum Epiſtola Imperatoris Lotharii miſiſse nuntios , *quibus* , inquit , *in via nuntius venit de obitu ejuſdem Papæ Leonis . Pervenientes autem Romam cum præfatis Litteris . . . . Domnus nomine & gratia Benedictus , mihi , quod noſtis , privilegium inde direxit* . Sed qui in itinere Leonis mortem accipiunt , & Romam pervenientes a Papa Benedicto privilegium obtinent, eumdem , non Joannam in Cathedra Petri ſedentem reperere . Nec forte ad obtinendum privilegium iſtud plurimum inſerviſsent Litteræ Lotharii ante tres circiter annos demortui, ſi media Leonem inter & Benedictum per duos & eo plus annos ſcilicet Papiſsa .

Idem conſtat ex diplomate quod Bened. III. ad univerſos Galliarum 17
Epiſcopos tranſmiſit circa res & privilegia Corbejæ veteris, ſeu Corbejenſis Abbatiæ ad Suminam. Sic enim habet Diploma illud : *Benedictus ſervus ſervorum Dei*, &c. *Scriptum per manum Theodori Notarii ... in menſe Octobri indictione* IV. ... *Imperante Domino Piiſſimo Auguſto Lothario*, *a Deo coronato magno Imperatore*, *an.* 38. Ergo ſedebat Bened. III. antequam nuntius de Lotharii morte Romam deveniſset. Atqui Lotharius an. 855. poſt duos menſes ac dies duodecim ab obitu Leonis diem clauſit extremam ; uti quoad anni tempus tradunt auctores omnes, & cum eis Regino Prumienſis Abbas celeberrimus. Ergo eodem anno ſupremam

Sedem

Sedem conſcendit Benedictus III. prohinc nec unius diei ſpatium habet Papiſſa ubi pedem figat.

18 Mitto alia id genus argumenta, quæ fuſius dabit citata Diſſertatione III. Nat. Alexander. Sed caveant, qui contra Miſſonium diſputabunt, ne Concilia ulla contra Papiſſæ Hiſtoriolam allegent. Teſtatur enim vir ille gravis ſecollecta a Sirmondo, Binnio, & aliis Concilia flocci facere. Verum qui diverticula hæc quæritare cogitur, ſenſatis quibuslibet ludibrio erit atque deſpectui. Stet interim Papiſſæ fabulam, non ſolum negative, ſed & poſitive omnibus coævorum Scriptorum monumentis adverſari.

19 Tertio qui Joannæ hujus Hiſtoriam ſcripſere, alii ab aliis mirum quantum diffident, ita ut, quod ſcite probavit Florimondus Remondus, ne unus quidem ſit qui cum alio conveniat quantum ad nomen, locum, tempus, & factorum relationem. 1. Alii enim Papiſſam fuiſſe dicunt Anglicam, ex Moguntia oriundam; quod ridiculum eſt, cum Moguntia Urbs ſit Germaniæ, non Angliæ: alii, ut abſurdum id devitent, puellam hanc in Anglia natam perhibent, ſed ex parentibus Moguntiacis: alii, ut Magdeburgenſes, neque natam, neque oriundam ex Anglia, ſed in ea educatam cauſſantur: alii, ut Auctor *Faſciculi temporum*, utique recentiſſimus, cui tamen, quaſi ex coævis monumentis ſcribat, docilis acquieſcit Miſſonius, pag. 212. ipſius nomen fuiſſe volunt Joannam Anglicam. * Alii hanc ab initio dicunt vocatam fuiſſe Agnetem, alii Gilbertam, Iſabellam alii, vel Margaritam, &c. 2. Alii eam ſtudiorum cauſſa Athenas deducunt: alii, ne eam tam longo itinere implicent, Romam recta via deducunt. 3. Alii eidem puellæ Pontificatum affigunt longiorem; alii breviorem. Atqui juxta ſaniores criticæ artis regulas contradictiones hujuſmodi falſitatem narrationis indicant. Etſi enim non raro contingit, ut illæſa rerum ſubſtantia Scriptores a ſe invicem quoad circumſtantias aliquot, in factis quæ vel priora ſecula contingunt, vel ſuapte natura obſcura ſunt, diſſentiant; at vix concipitur fieri poſſe ut in facto quod Orbem univerſum pervolare debuit, & cum univerſis accidentibus ſuis, non a plebeis, ſed a gravioribus Viris transfundi, non quæcumque etiam minima, poſt aliquot ſaltem menſes omnino innotuerint. Utique non minus cognitum eſſe debuit id omne quod Papiſſam ſpectat, quam totum id quod ſpectat infamem Ravailaci perſonam.

20 Accedunt alii, qui fabulam indicare ſolent, caracteres. Ut enim creſcit fama eundo, ſic & Papiſſæ Hiſtoria progrediendo vires acquiſivit. Siquidem Marianus Scotus, ** qui ducentis triginta annis poſt Benedicti III. electionem ſcripſit, nullo coævorum ſuppariumve Hiſtoricorum teſtimonio fretus, immo ipſis, ut dictum eſt, reclamantibus, narrat ſimpliciter Joannam feminam Leoni IV. ſucceſſiſſe annis duobus, menſibus quinque, & diebus quatuor. Addit vero Martinus Polonus (ſi tamen vere addit) qui diem clauſit anno circiter 1270. adeoque annis poſt Benedicti III. creationem 425. feminam hanc fuiſſe vocatam Joannam Anglicam, ex Moguntia oriundam; eamque in ſolle-

* „ Joannes Anglicus, ſed natione Moguntinus *Faſcic. temp.* „

** *Supple*, vel ejus interpolator, quod etiam de Mart. Polono intelligi volo.

ſollemni proceſſione inter Templum S. Clementis & Coliſæum peperiſſe, atque in hujus facinoris odium publicas ſupplicationes per viam hanc deinceps non tranſiviſſe. Ultra progreditur Theodoricus Niemius, qui circa an. 1413. ſcribebat, aitque ſtatuam in hujuſce eventus memoriam Romæ erectam fuiſſe; dubio procul ut ſacra ejus memoria perſeveraret. Sed neque his contentus fuit Platina, qui ann. 1481. ceſſit e vivis: is enim poſt Guillelmum Brevin commentus eſt perforatam ſellam, in qua novi Pontificis ſexus exploraretur, atque inverecundis quæ refert Miſſonius (p. 178.) verbis, populo denuntiaretur. Alii poſt annos centum a Platina ſubjunxerunt, Papiſſam illam non meretricem tantum, ſed & præſtigiatricem fuiſſe. Alii denique ab ea coronatum fuiſſe Ludovicum II. Imperatorem. Adeo ut, ait Nat. Alexander, vix 460. anni ſatis fuerint ad iſtius monſtri formationem, quod Marianus Scotus informe in lucem emiſerat. Atque hinc

Quarto. Hiſtoria Papiſſæ ineptiis turget & abſurditatibus. Nempe 21
1. Herois illa ab Amaſio ſuo deducitur Athenas ſtudiorum cauſſa. Atqui nulla ſub id tempus Athenis erant ſtudia. *Athenæ*, inquit Syneſius, * qui paullo poſt Baſilium vixit, *quondam Civitas fuit ſapientium domicilium: nunc eam mellatores celebrant*. Ibi quidem ſtudia quædam renovavit Bardas Cæſar, ut teſtantur Cedrenus & Zonaras, ſed ſub finem Imperii Michaelis, proinde ſub Nicolao I. Benedicti ſucceſſore, & ideo poſt mortem fabuloſæ Papiſſæ. Præterea num eo uſque ab initio floruit nova hæc Athenarum Academia, ut ad eam exteri quique a poſtremis Europæ Littoribus confluerent. 2. Fert eadem Hiſtoria Joannam Romæ per biennium in triviis legiſſe, cumque ibi *in ſcientia & vita magnæ opinionis eſſet*, *concorditer poſt Leonem* electam fuiſſe. Atqui vix ac ne vix quidem animo concipi poteſt, feminam quæ toto biennio palam docet, nec ex vocis ſono, nec ex corporis conformatione, nec ex familiari eorum a quibus inviſebatur commercio, fuiſſe deprehenſam. Sed neque concipi poteſt puellam ignotam, incertæ originis ac patriæ, ſine prævia ulla Ordinum ac morum teſtificatione, *concorditer*, quaſi ex Numinis ſubito afflatu, in locum ſanctiſſimi Pontificis electam fuiſſe. Præſertim cum ab ævo S. Petri uſque ad Formoſum, qui an. 890. electus eſt Papa, ne unus quidem Cathedram Apoſtolicam conſcenderit, qui in Eccleſia Romana non eſſet educatus, & per Ordinum omnium gradus ad Diaconatum ſaltem non perveniſſet. 3. Subdit Hiſtoria, Joannam ab Amaſio corruptam in publica ſupplicatione peperiſſe. At quis intelligat eam quæ tot annos in ipſo juventutis flore & æſtu Amaſium habuerat ſine partu, immo cum laude *magnæ opinionis*, jam ætate provectam, factamque Pontificem, peperiſſe? Quis capiat mulierem octo vel novem menſibus gravidam, nec ex vultus colore, nec ex aliis quæ graviditatem indicant ſignis, ulli ex familiaribus, Medicis, Aulicis, domeſticis innotuiſſe? Quis demum credat eam jam vicinam partui apertum ſe prodendi periculum in publico decurſu ſubire voluiſſe. 4. Addunt Magdeburgenſes eam peperiſſe, cum ex Vaticano ad Lateranenſem Eccleſiam contenderet.

* Syneſius Epiſt. 35. ad fratrem. Syneſius ann. 410. in Ptolemaidis Epiſcopum electus eſt.

deret. Atqui ex Onuphrio in Opere *de ſeptem Eccleſiis* conſtat Romanos Pontifices ante Bonifacium IX. id eſt ante ann. 1390. Lateranenſe Palatium omnes habitaſſe, non Vaticanum. Mitto abſurditatem erectæ ſtatuæ in memoriam ſceleris, quod, juxta Miſſonium, Litteris commendare non audebant Scriptores, ne Pontificibus diſplicerent. Mitto & indecens commentum perforatæ ſellæ, & indecentiora verba, quibus populo novi Pontificis ſexus renuntiabatur. Quaſi anceps ſit ſexus hominum, quia puella una virum ſe mentita fuerit. Quaſi rurſus coram multitudine, & in ipſo Lateranenſis Baſilicæ aditu, explorandum id fuerit a Diaconorum ultimo, quod ſtatim ab ultimo Scrutinio multo decentius ab uno Conclavis Medico potuiſſet explorari.

22 Verum hæc tenacem propoſiti ſui Miſſonium non terrent. Reponit itaque paſſim, ut Papiſſæ Hiſtoria admittatur, ſatis eſſe ut hæc metaphyſice impoſſibilis non ſit: nihil mirum eſſe quod in Papam electa ſit perſona imberbis, cum Agapetus II. necdum octodecennis, & * Benedictus IX. decennis tantum, proinde imberbis, electi fuerint: ſellam perforatam etiamnum ſupereſſe, nec adverſus facta poſſe reclamari, &c.

23 At hæc quæ Anglicanis & Proteſtantibus pleriſque mirifice ſapient, ceteris riſu & miſeratione, quam ſerio reſponſo digniora videbuntur. 1. Enim non repugnat metaphyſice, ſeu ſacram B. Mariæ Ædem Loretum ab Angelis tranſvectam fuiſſe; ſeu Pilati Scalam, per quam in ipſa Paſſionis nocte aſcendit Chriſtus, Romam, ubi ſub *Scalæ ſanctæ* vocabulo inviſitur, deportatam fuiſſe: & hæc tamen, licet ab innumeris Scriptoribus, ejuſdem ad minus cum Martino Polono fidei, & tempore vicinioribus tradita, quin & miraculis innumeris utcumque ** confirmata deridet Miſſonius.

24 2. Nemo uſquam eſt, qui mento decennis adoleſcentuli barbam deeſſe miretur. Si vero hæc deſit perſonæ annorum pluſquam triginta, quæ muliebrem vultum, ubera, & exinde uterum gerat, nemo eſt qui nihil doli ſuſpicetur. Non deſunt ſane in Aulis Principum, eorum præſertim ad quos ex univerſis mundi partibus accurritur, qui omnia vigilanti oculo inſpiciant & examinent. Itaque dubio procul Joannam examinaſſent Romani ac Romanæ, ſeu Plebejæ, ſeu Principes; examinaſſent Regum Legati; examinaſſent præcipue uti concivem ſuam, vel Angli, ſi Anglica; vel Germani, ſi Moguntiaca fue-

---

* Benedictus IX. a quibuſdam e Pontificum albo expungitur, quia non tam electus, quam paterna Comitum Tuſculanorum factione intruſus ſit an. 1033. Hunc tamen alii pleriquc admittunt. Quædam geſſit ſapienter, multa peſſime. Semel & iterum ejectus e Sede Pontificia, hinc tandem ceſſit an. 1048. & diem clauſit an. 1054. utinam ſancte. Hujus occaſione, & aliorum nonnullorum, qui juvenes ad Petri Cathedram inſtituti ſunt, dictum eſt:

Sint licet aſſumpti juvenes ad Pontificatum,
Petri annos potuit nemo videre tamen.

Vide Burium in Elencho &c. pag. 364. qui cum ceteris tot Agapeti II. præclara facta commemorat, ut vix credi poſſit eum, qua non decebat ætate, licet ceteroqui juvenem; promotum fuiſſe.

** Utcumque dico, quia poteſt Deus fidem licet in facto errantem remunerari.

fuerit; quin & proſapiam ejus ſollicite inquiſiiſſent. Solent enim populares ſpe favoris eo confluere, ubi qui eodem ſecum loco oriundi ſunt, dominantur.

3. Quod ſpectat ad ſedem ſtercorariam, hæc nequaquam ſic dicta 25
eſt ab explorato Pontificis ſexu, cum pertuſa non ſit, ſed tum quia, uti advertit Platina ipſe, vir minime ſuſpectus, in ea collocatur novus Pontifex, ut meminerit ſe hominem eſſe, & naturæ infirmitatibus obnoxium; tum quia dum in ea ſedet, canitur verſus: *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat*. Audiatur ea de re celebris ille Mabillonius, qui plus in digito minimo ſcientiæ, pietatis, bonæ fidei habuit, quam in toto corpore Miſſonius. Sic ille in Muſæo Italico Tom. 1. part. 1. pag. 59. „ Profecti ad La„ teranenſem Baſilicam, vidimus in clauſtro Baſilicæ adjuncto tres „ ſedes . . . . unam ex marmore albo, olim in porticu Baſilicæ „ poſitam, in qua novum Pontificem collocari mos erat, ſtercora„ riam appellatam: alias duas porphyreticas, & quidem perfora„ tas, quæ ante Capellam S. Sylveſtri quondam exiſtebant, in qui„ bus Pontifex recens conſecratus itidem ſedebat. Quocirca obſer„ vare juverit, Pontificem novum eo ritu in Lateranenſis Baſili„ cæ poſſeſſionem induci ſolitum, ut primo ad thronum Pontifi„ calem, qui in apſide Baſilicæ extabat, *omnes Epiſcopos & Cardi„ nales*, ut loquitur Cencius, *ad oſculum admitteret*, *deinde ad ſedem* „ *Lapideam*, *quæ dicitur ſtercoraria*, ſtantem in porticu Baſilicæ col„ locaretur, *ut vere dicatur:* SUSCITAT DE PULVERE EGENUM, „ ET DE STERCORE ERIGIT PAUPEREM. Poſtea ductus ad Ca„ pellam S. Sylveſtri prope Lateranenſe Palatium primo ſederet ad „ dextram in una ex illis ſedibus Porphyreticis, ubi claves Baſi„ licæ a Priore S. Laurentii acciperet in ſignum regiminis & cor„ rectionis: demum ad ſiniſtram in altera ſedens, eaſdem claves „ eidem Priori reſtitueret. Ex quo intelligitur *ſtercorariæ* vocabu„ lum traxiſſe, non ex forma (neque enim pertuſa eſt, ut a„ liæ duæ.) ſed ex verſu Pſalmi, qui Pontifice in ea ſedente ca„ nebatur, *Et de ſtercore erigit pauperem*. Hæc *fœda loco*, non for„ ma, nedum uſu, appellatur in Lib. 2. de coronatione Bonifa„ cii VIII. . . . . . *fœda*, inquam, *loco*, nempe quod in por„ ticu Baſilicæ inferiori conſtituta eſſet, ut ex antecedentibus in„ telligitur. „

Pergit idem: " Quando primum harum ſedium uſus ceperit, non con„ ſtat. De his nihil invenimus ante ſæculum duodecimum, quo tempo„ re illarum fit mentio apud Cencium, uno ſæculo ante natam fabulam „ de Pſeudo-Papiſſa Johanna, id eſt ante Martinum Polonum, qui pri„ mus eam fabulam vulgavit. Tandem ritus ille, qui ad altius inſinuan„ dam novo Pontifici humilitatem primum inductus fuerat, poſt recep„ tam apud nimium credulos de Pſeudo Papiſſa fabulam ita infamis eva„ ſit, ut ob hoc commentum penitus abrogaretur; quod ſeculo ſuperiore „ poſt Leonem X. factum putamus. Ceterum non alia de cauſſa ſedes illas „ pertuſas fuiſſe veriſimile eſt, quam quod in antiquis Romanorum ther-

„ mis

„ mis repertæ, ob materiæ pretium, non ob formam, aptæ judicatæ „ ſunt, quæ ad novi Pontificis ſeſſionem adhiberentur “. Hæc vir doctiſſimus, qui tamen Papiſſæ fabulam Martino Polono perperam; juxta plures, adſcribit: de quo infra. Ceterum Miſſonius ſedem vere & de facto ſtercorariam, quia minime pertuſam, omittit, aliaſque duas tantum commemorat p. 209.

26 Prob. 2. eadem Concluſio. Si Romana Sedes Pontificatu femineo dedecorata fuiſſet, Leo IX. qui ann. 1048. electus eſt, non adeo confidenter Græcis exprobraſſet, feminam in Conſtantinopolitanam Sedem irrepſiſſe; aut certe, ut ſolent hoſtes infenſi, ipſi opprobrium iſtud Romanam in Sedem retorſiſſent. Atqui id Græcis exprobravit S. Leo IX. Sic enim ille in Epiſt. ad Michaelem CP. Patriarcham, cap. 23. *Abſit autem ut velimus credere, quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ contigiſſe, ut eunuchos contra primum ſancti Concilii Niceni Capitulum promovendo, feminam in Sede Pontificum ſuorum ſublimaſset aliquando. Hoc tam abominabile ſcelus, deteſtabileque facinus, etſi enormitas ipſius vel horror, fraternaque benevolentia non permittit credere: conſiderata tamen negligentia veſtra erga ſanctorum cenſuram Canonum, quia eunuchos & aliqua parte corporis imminutos, non ſolum ad Clericatum, ſed ad Pontificatum etiam indifferenter & ſollemniter adhuc promovetis, fieri potuiſse penſamus.* Jam vero nuſquam ſimile quid Romanis Græci hujus temporis objecerunt. Ergo necdum tunc prodierat Papiſſæ fabula. Quin & ei aperte contradicebant iidem Græci, Pontificum ſeriem non alio modo inſtituentes quam Latini. Sic Photius, Romanæ Eccleſiæ hoſtis infenſiſſimus, Lib. 1. de Proceſſione Spiritus Sancti, Romanos Pontifices ſui temporis enumerans, Leoni IV. Benedictum III. huic Nicolaum, ac Nicolao Joannem & Adrianum ſubjungit. Idem faciunt, tum Metrophanes Smyrnæus, hoſtis alter Sedis Pontificiæ; tum & Stylianus, Neocæſareæ Euphrateſinæ Epiſcopus, in unitatem Catholicam pie & ſancte affectus. Ergo.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

27 Obj. 1. Hiſtoria quam viri graves, quin & aliquando ſancti, variis in locis tradidere, fabulas inter referri non poteſt. Atqui Papiſſæ Hiſtoriam ſcripſere viri locorum omnium, iique tot numero, ut ſeptuaginta ad minimum citari poſſint. Ita inter alios 1. Marianus Scotus, Cuſentinus Archipræſul, & Innocentii IV. Pœnitentiarius, de quo jam ſupra: 2. Martinus Polonus ex Ordine Prædicatorum, qui Nicolai III. fuit Confeſſarius; 3. Sigebertur, Gemblacenſis Monachus in Chronico ad ann. 854. *Fama eſt*, inquit, *hunc Joannem fuiſſe feminam*, &c. 4 S. Antoninus, ſupra etiam citatus. 5. Platina in Vitis Pontificum ad Joannem VIII. ubi hæc ſcribit: *Joannes Anglicanus ex Moguntiaco oriundus, malis artibus, ut ajunt, Pontificatum adeptus eſt. Mentitus enim ſexum, cum femina eſſet, adoleſcens admodum Athenas cum amatore viro docto proficiſcitur; ibique præceptores bonarum artium audiendo tantum profecit, ut Romam veniens, paucos admodum etiam in ſacris Litteris pares haberet, nedum*

ſupe-

ſuperiores. Legendo autem & diſputando docte & acute, tantum benevolentiæ & auctoritatis ſibi comparavit, ut mortuo Leone, in ejus locum, ut Martinus ait, omnium conſenſu Pontifex crearetur, &c. Ergo.

Reſp. 1. neg. maj. neque enim ad aſſerendam facto alicui veritatem, ſatis eſt ut ipſum tradiderint variis in locis viri graves, & a mendacio alieni (hi enim plerumque quo plus candoris & bonæ fidei habent, eo decipiuntur facilius, ut ex Prato Spirituali, ex Gregorio Turonenſi & aliis compluribus non ægre oſtendi poſſet) ſed neceſſum eſt 1. ut ſcriptum ſit a teſtibus vel coævis, vel qui a coævis non multo tempore diſſiti ſint; 2. ut qui ipſum tradiderunt, alii ab aliis non diſſentiant; 3. & præcipue ut diſertis Scriptorum coætaneorum teſtimoniis non adverſentur. Atqui triplici hac dote prorſus deſtituti ſunt, qui Papiſſæ hiſtoriam retulere. Non ſunt ſynchroni. Non cohærent inter ſe. A coævis Scriptoribus palam recedunt; uti probatum eſt. Accedit & id non omittendum, quod dubie & incerte loquantur, prout modo ponderabimus. Ergo. 28

Reſp. 2. diſt. min. Papiſſæ hiſtoriam ſcripſerunt viri graves, ut incertum quid, dubioque & populari ſermone innixum, tranſeat quoad aliquos. Ut quid omnino certum, N. Itaque etſi Mariani Scoti & aliorum narratio, licet certo aſſerta, nullam mereretur fidem ob rationes numero præcedenti expoſitas; conſtat tamen eam inſuper triplici ex capite non parum imminui; & quidem 1. quia eorum nemo factum iſtud velut omnino certum aſſeruit; 2. quia qui illud aſſeruiſſent confidentius, pro ſuſpectis haberi mererentur; 3. quia qui plus ex iiſdem fidei ſibi vindicarent, reipſa hiſtoriam iſtam non ſcripſere. 29

Et quidem 1. e præcitatis Scriptoribus nemo unus eſt qui eam velut quid certi & certa auctoritate innixum commemoret. *Fama eſt hunc Joannem feminam fuiſſe*, ait Sigebertus. *Aſſeritur, creditur*, ait S. Antoninus: Et rurſus: *Vere mirandum .... ſi verum fuit quod vulgo dicitur, ut iſte refert*, Martinus Polonus. *Vincentius tamen in Speculo Hiſtoriali & Joannes de Columna nihil de hac re referunt. Sed etſi verum fuit, nulli tamen ex hoc ſalutis præjudicium*, &c. ubi dubius & anceps hæret S. Archipræſul. *Hæc quæ dixi*, ait Platina (cujus alioqui ſubleſta eſt fides, ut qui, quoniam a Paulo II. in carcerem, ex ſeditionis accuſatione, conjectus eſſet, multa in ſummos Pontifices virulento & mendaci calamo interdum effuderit) *vulgo circumferuntur, incertis tamen & obſcuris Auctoribus: quæ ideo ponere breviter & nude inſtitui, ne obſtinate nimium & pertinaciter omiſiſſe viderer, quod fere omnes* (e vulgo ſcilicet) *affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo. Quamquam appareat, ea quæ dixi, ex his eſſe quæ fieri poſſe creduntur.* Eodem modo loquitur Martinus Polonus, ſeu potius ejuſdem interpolator: *Hic*, inquit, *ut* aſſeritur, *femina fuit ...... Et in partu mortua ibidem ſepulta* dicitur ..... *Et quia Papa eamdem viam ſemper obliquat* (quod falſum eſt) *a pleriſque* creditur, *quod ob deteſtationem facti hoc faciat.* 30 pag. 258.

2. Qui factum hoc aſſerere non dubitaſſent, merito haberentur pro ſuſpectis, ſeu ob errores quibus aliunde ſcatent, ſeu ob pravum in Romanos Pontifices affectum. Sic 1. Marianus Scotus eo uſque 31

nævis,

nœvis, anachroniſmis & contradictionibus turget, vix ut queant enumerari. E multis pauca ſeligo. Scribit Leonem IV. obiiſse prima Auguſti die an.853. & tamen Leo idem, teſte Anaſtaſio Bibliothecario, qui ibidem præſens aderat, habuit die 8. Decembris ejuſdem an.853. Concilium, in quo depoſitus eſt Anaſtaſius Cardinalis tituli S.Marcelli. Sed & idem Leo an.854. Urbem Leopolim condidit. Unde totum quod Papiſſæ a Mariano conceditur tempus, ad Leonis Pontificatum pertinet. Scribit inſuper Benedictum III. ſediſse ann. 857. & tamen hunc an. 855. menſe Septembri fuiſse exaltatum conſtat ex eodem Anaſtaſio. Mitto alia id genus, quæ ſi Mariani ſint, hominem ſcribendo pene delirum exhibent. Vide Nat. Alexandrum loco ſupra citato, p. mihi 413. Sic 2. Platina, quem ex carcere ſuo ſaucium pectus geſtaſse nemini dubium eſt.

32 3. Demum qui plus in hac parte Fidei merentur propter antiquitatem, reipſa tamen modicam, nimirum Marianus Scotus, Martinus Polonus & Sigebertus, revera fabulam Papiſsæ non ſcripſerunt.

33 Non Marianus Scotus; 1. quia putida hæc hiſtoria in ſinceris ejuſdem codicibus deeſt, ut teſtatur non ignobilis Scriptor, qui Metropolim Alberti Krantſii Notis illuſtravit: etſi Notam hanc eraſerint Typographi Francofurtenſes, ut obſervat Leo Allatius. 2. Quia nullus ex iis qui fabulam hanc retulerunt poſt ætatem Mariani Scoti, ſi recentiores excipias, teſtimonium ipſius laudavit; quod argumento eſt ipſum de Papiſsa ſiluiſse. Unde Ptolomæus Lucenſis Lib. 16. hiſtoriæ, cap. 8. de Leone IV. hæc ſcribit: *Omnes quos legi, præter Martinum* Polonum *tradunt poſt Leonem IV. fuiſse Benedictum III. Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum*. Ergo qui Marianum legerat Ptolomęus, nihil in eo repererat quod ad Papiſsam pertineret.

34 Non Sigibertus, cujus Chronico laciniam hanc quæ cum antecedentibus non cohæret, aſsutam fuiſse liquet, 1. quia hæc deeſt in autographo ejus, quod hodieque in Gemblacenſi Cœnobio ſervatur, & a Miræo editum eſt. 2. Quia Vincentius Bellovacenſis, & Guillelmus Nangiacus, qui Sigibertum, præſertim in horumce temporum Hiſtoriis, de verbo ad verbum bona fide deſcripſerunt, ne per ſomnium quidem Papiſsæ meminerant. 3. Quia fabula Papiſsæ cum his ibidem Sigeberti verbis cohærere non poteſt: *Benedictus Rom. Eccleſiæ centeſimus-ſecundus præſidet. Hoc conſpiratione malignorum depoſito, Anaſtaſio Præſulatum invadit: ſed Anaſtaſio a Legatis Imperatoris Lotharii dejecto, & in carcerem truſo, Benedictus honorifice relocatur*. Uti ſi Leoni ſucceſſit Papiſſa, neceſſum eſt, ut vel Leo IV. non annis octo, ut Sigebertus tradit, ſed tantum ſex regnaverit; vel ut ſimul cum Benedicto regnaverit Papiſſa; quod a nemine hactenus ſomniatum eſt.

35 Non Martinus Polonus. Siquidem Papiſſæ fabulam Operi ejus inſertam fuiſse probant duo; primum quod hiſtoria hæc non in textu, ſed in margine ſola legatur in Codicibus Mſſ. pluribus, quales ſunt Florentinus ſanctæ Mariæ Novæ; Pariſienſis D. De Camps, Tongerloenſis a Suffrido laudatus, Leodienſis Baronis de Craslier, Anglicanus ab ipſo Burneto conſpectus. Secundum quod eadem hiſto-

hiſtoria nec in textu, nec ad marginem legatur in antiquioribus Manuſcriptis Codicibus, puta in Vaticano, omnium antiquiſſimo, quem laudat Allatius, in Fabriciano, in Cæſareis quattuor a Lambecio laudatis, in Naudæano, Navarrico, & aliis indubie pluribus. Verum qui Martinum Polonum ab inſuiſa hac narratione plene & invicte vindicatum videre volet, legat Jacobum Echard in Opere eximio cui titulus; *Scriptores Ordinis Prædicatorum*, ubi de Martino Polono Tom. 1. pag. 361.

Inſt. Hiſtoria, quæ fulcitur teſtimonio Anaſtaſii Bibliothecarii, Viri & Gravis & coævi, & ipſis Joannæ temporibus apud Romam degentis, graviſſima profecto auctoritate innititur. Atqui Papiſſæ hiſtoria... Is enim Papiſſæ hiſtoriam iiſdem verbis refert, quibus a Martino Polono, ac deinceps a S. Antonino exſcripta eſt. Ergo. 36

R. ad 1. neg. min. & dico hiſtoriam Papiſſæ hinc demoſtrari temere Anaſtaſio aſſutam, quod iiſdem apud eum, in paucis ſcilicet Codicibus, ſcribatur verbis, quibus apud Martinum Polonum ab ejus interpolatore ſcripta legitur. Uterque nimirum codex, Anaſtaſii ſcilicet & M. Poloni, iis utitur verbis, *creditur*, *aſſeritur*, *dicitur*, quæ neutrum de hiſtoria illa certum fuiſſe oſtendunt. Atqui dubitatio hæc perperam Anaſtaſio tribueretur. Cum enim his ipſis temporibus floreret Romæ, non poterat dubitare an femina Pontifex in via Lateranenſi peperiſſet, & defeciſſet in partu. Accedunt aliæ rationes, quas ſupra n. 13. tetigimus. Accedit rurſus quod nullæ tunc Litteræ forent Athenis, quo tamen Joannam ſuam cum Amaſio deducit Pſeudo-Anaſtaſius. Sed & accedit, quod Papiſſa dicitur peperiſſe, dum e Vaticano Lateranum contenderet, & ideo ſubſequos Pontifices, quoties Lateranum ſe ferrent, viam hanc *obliquaſſe*; cum tamen ex Onuphrio Panvinio animadverterimus, Pontifices in Vaticano non fuiſſe commoratos uſque ad tempus Bonifacii IX. Nec dubium ſit quin viam illam, ut antea calcaverint, raro tamen, quia anguſtiorem. 37

Ob. 2. factum publicis monumentis conſecratum in dubium vocari non poteſt. Atqui factum Joannæ: ....1. enim in ipſa ubi hæc peperit via, erecta eſt marmorea ſtatua mulierem cum infante adumbrans, quæ quidem illic diu ſtetit ſub oculis Pontificum, donec cujuſdam ex ipſis juſſu in Tiberim projecta eſt. 2. Senis in majori Templo ceterorum inter Pontificum ſtatuas Papiſſæ ſimulacrum collocatum fuit, uſque ad Pontificatum Clementis VIII. de quo adi & Pagium ad ann. 855. Baronii, & Mabillonium in Muſæo ſupra citato, qui rem ambo teſtantur. 3. Conſtat Pontifices per plures annos a certa Romæ via diu abſtinuiſſe, nec abſtinuſſe niſi quia ibidem pepererat Papiſſa. Hæc porro argumenta *muta*, ut vocant, monumentis *ſcriptis* ut minimum æquivalent. 38

R. n. min. quam nulla ex adductis probationibus vel tantillum adſtruit. 39

Non prima: quæ enim Romæ videbatur ſtatua, nec mulieris ſpeciem, nec infantem recens natum, & pannis involutum, vel inter matris ubera poſitum adumbrabat, ſed puerum grandiorem qui præire videbatur. Quamobrem obſervarunt antiquariæ rei periti effigiem illam fuiſſe vel alicujus Ethnicorum Sacerdotis, qui ad ſacrificium 40

præeunte Miniſtro pergeret, vel cujuſdam Gentilium Pſeudo-numinis. Sane vero ſtatua hæc manu una ramum palmæ humero innixum deferebat; quod nuſquam inſigne fuit Rom. Pontificum, qui Crucem aut Claves manibus geſtantes depinguntur. Iſtud porro ſimulacrum (quod ſæpe in monumentis longe pretioſioribus contigit) ſub Sixto V. ſublatum eſt; quia ſummus ille Pontifex, cujus Regiæ menti partem ſplendoris ſui maximam debet Roma, auguſtiorem hanc vitam rectiorem duci & amplificari voluit, ut & plures alias ad Urbis decorem & ornamentum.

41 Non ſecunda: neſcit enim nemo quot abſurda vel a Poetis celebrata ſint verſu, vel a Pictoribus penicillo delineata, juxta tritum id Horatii:

Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Quoties, Deus bone! fabuloſa quæpiam Regina cum anſeris pede altero vel in ipſis Eccleſiarum liminibus depicta eſt? Nihil ergo mirum, ſi Papiſſam ex Senenſium conniventia vel imperitia Pontifices inter retulerint Sculptores; quam & carminibus non ineleganter exaratis celebravit Baptiſta Mantuanus, Carmelitarum Prior generalis. Quia tamen ſic fovebatur error plebeculæ, merito Ill. Baronius operam ſuam dedit, ut ſtatua hæc e Senenſi Templo ejiceretur, prout ipſe teſtatus eſt in Ep. ad Florimundum Remondum, quam apud iſtum videris in fabula Joannæ Papiſſæ, c. 22. *

42 Non tertia 1. quia, ut advertit Onuphrius in notis ad Platinam, falſum eſt omnino, Pontifices ab hac via ſemper deflexiſſe; 2. quia nihil mirum, ſi raro per eam, ut raro vel numquam per alias plures, tranſirent: cum enim anguſta admodum foret, minus idonea erat quæ Pontificium ſatellitium, & comitatum exciperet. Verum de his ſat, & plus æquo hactenus quantum ad ſenſatos omnes. Interim fabulam hanc ſibi caute aſſervent & divulgent Novatores, qui juxta Vaticinium Apoſtoli, II. Timoth. 4. *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Tu quiſquis es Catholicus: *Ineptas & aniles fabulas devita*

Quæres unde fabula undequaque miſerabilis ortum habuerit.

43 R. 1. innumeras eſſe id genus fabellas, quarum origo deprehendi non poſſit. Sic, ut loquar cum Baronio ad an. 853. n. 61. *fabula de collapſo Romæ pacis templo, tempore Chriſti ortus*, *quod* tamen *nondum fuerat ædificatum, ſemel aſſerta, multiplicium haud vulgarium fuit Scriptorum auctoritate firmata*. Sic *de anima Trajani, precibus S. Gregorii ab inferis revocata, commentum ſemel creditum etiam diſertiſſimos habuit aſſertores, immo etiam defenſores*. Sic *fabula illa, ut hiſtoria lecta eſt, de Cyriaco Papa, Roma Coloniam comitante Sanctam Urſulam cum Virginibus undecim millibus*; *cum tamen nec per ſomnium quidem ejus nominis Pontifex ſederit in*

* Scribit Mabillonius ubi ſupra, ſtatuam hanc an. 1634. a Joanne Launoio etiam tunc ſtantem conſpectam fuiſſe, ac prohinc Baronio fuiſse illuſum. Subdit idem hanc ſub Pontificatu Clementis VIII. non penitus quidem fuiſse comminutam, ſed mutato formæ muliebris habitu in effigiem Zachariæ Pontificis fuiſse converſam, appoſito ZACHARIÆ nomine.

in Sede Petri. De ſeptem Dormientibus ſomno tentis annos prope ducentos quid dicam, tam a Græcis in Oriente, quam a Latinis in Occidente hiſtoriam lectam atque receptam. De Sylveſtro Papa II. quod per Magiam Pontificatum adeptus fuerit, atque dilaceratus in obitu a Diabolo. De obitu Hadriani per muſcam illato, quid addam, &c. Quemadmodum igitur primam hujuſmodi fabularum originem nemo ſatis evolvere poteſt; ſic nec Papiſticæ fabulæ incunabula latere mirum eſt.

R. 2. varias circumferri ea de re ſuſpiciones Eruditorum. Joannes Aventinus fabulam hanc derivat a Joanne IX. quem Theodora, Alberti Etruriæ principis ſocrus, imperioſa meretrix, Bononienſibus primo, deinde Ravennatibus, poſtremo Romanis Pontificem impoſuit: adeo ut illa potius regeret quam ipſe. 44

Onuphrius Panvinius in notis ad Platinam cenſet figmentum illud ortum habuiſse a Joanne XII. qui cum pene adoleſcens per vim patris ſui Alberici, Romani Principis, Papa conſtitutus eſſet, *aliquot* habuit *concubinas*; e quibus *præcipuæ erant Joanna, Rayneria & Stephana. Ex Joanne igitur Papa & ex ejus item Scorto Joanna, ad cujus forte arbitrium, tamquam Papæ, omnia Romæ pendebant, Joannis feminæ Papæ fabula manavit, quæ proceſſu temporis aucta, in hiſtoriæ auctoritatem imperiti alicujus Scriptoris opera paullatim irrepſit.* 45

Bellarminus Lib. 3. de Rom. Pontifice c. 24. conjicit eamdem hiſtoriam a Sede Conſtantinopolitana, cui dicebatur inſediſſe femina *Pontifex*, & quidem, ut Græci volebant, *univerſalis*, ad Romanam Sedem ex malevolorum odio fuiſſe translatam ſub tempus Martini Poloni. 46

Baronius ad an. 879. originem ejus repetit a Joanne VIII. qui *abjecta penitus omni virilitate*, & *expers conſtantiæ*, quam profeſſi erant Nicolaus & Adrianus, Photium, poſthabitis Concilii Oecumenici Decretis, in Sedem CP. reſtituit. Qui enim nec reſiſtere ſciebat Eunucho, & a ſemiviro vincebatur, non vir, ſed femina potius nuncupari meruit. *Ecquis Romæ verſatus*, ait idem, *Romanos Pontifices ejuſmodi ſcommatibus proſcindi ſæpe ſolere, levioribus de cauſſis, a maledicis & otioſis ignorat?* 47

Leo Allatius fabulæ hujus nativitatem revocat ad Thiotam, Moguntiacam Pſeudo-prophetiſſam, quæ cum publice docendi & concionandi munus, ſub exitum Leonis IV. arriperet, & alia uſuparet munia, quibus Sacerdotes ſummi decorantur, Papiſſa a populo primum innocenter, maligne deinceps ab aliis nuncupata eſt; & e Moguntia Romam ſub Joannæ Anglicæ vocabulo translata. Sed de his, ait Nat. Alexander, penes Lectorem eſto judicium. Neque enim hæc fuſius perſcrutari vacat, *cum nullius pene momenti eſſe videatur, unde fabula tot monumentis concuſſa originem habuerit.* 48

DISSERTATIO SECUNDA.

De Diaconiſſis &c.

1 CUm Subdiaconiſſarum, Diaconiſſarum præcipue, quin & Presbyterarum, immo & Epiſcoparum nomina in monumentis veteribus frequenter occurrant, juvat, quam poterit breviter fieri, indagare, 1. an eæ omnes Eccleſiaſtico quodam ritu inſtituerentur; 2. an ex eis ſaltem aliquæ; 3. quis foret ille ritus, & an reipſa ſacramentalis; 4. quæ forent earum munia & functiones; 5. cur & quando extinctæ fuerint. Sit

2 Conclusio I. non omnes Diaconiſſæ, & aliæ ejuſdem generis, Eccleſiaſtico ritu inſtitutæ ſunt.

3 Prob. Quæ Diaconiſſæ, Presbyteræ, & Epiſcopæ nuncupabantur, ſtatim ac earum mariti in Diaconos, Presbyteros, aut Epiſcopos conſecrati erant, eæ nullo Eccleſiaſtico ritu inſtituebantur in Diaconiſſas, &c. Atqui e Diaconiſſis & aliis ſimilibus plures erant, quæ nomina hæc, *vulgari potius uſu, quam ulla vera ratione* * ſortiebantur, ſtatim ac ipſarum mariti ad Diaconatum, Sacerdotiumve aut Epiſcopatum promoti erant.

4 Prob. min. 1. ex Concilio Turonenſi II. an. 567. (Tom. 5. Concil. p. 855.) Poſtquam enim Can. 12. præcepit ut Epiſcopus conjugem ſuam inſtar ſororis habeat, hanc ſtatim Can. 13. Epiſcopam appellat his verbis: *Epiſcopus Epiſcopam non habentem nulla ſequatur turba mulierum.* Et Can. 19. *Si inventus fuerit Presbyter cum ſua Presbytera, aut Diaconus cum ſua Diaconiſſa, aut Subdiaconus cum ſua Subdiaconiſsa, annum integrum excommunicatus habeatur, & depoſitus ab omni Officio Clericali.*

5 2. Ex Conciliis Autiſſiodorenſi an. 578. (ib. pag. 959. & Romano an. 721. ſub Gregorio II. (Tom. 6. Concil. pag. 1456.) quorum prius ſic habet Can. 21. *Non licet Presbytero poſt acceptam benedictionem in uno lecto cum ſua Presbytera dormire.* Et Can. 22. *Non licet relictæ Diaconi, nec Subdiaconi poſt ejus mortem maritum accipere.* Poſterius vero ſic loquitur capitulis 1. & 2. *Si quis Presbyteram, vel Diaconam duxerit in conjugium, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertio, Anathema ſit*, ubi Diacona, vel Presbytera vocatur, quæ maritum Diaconum aut Presbyterum, vel etiamnum viventem habet, vel olim habuit.

6 Ideo autem uxoribus Diaconorum, &c. quæ maritis ſuperſtites vivebant, non licebat ad alias poſt ipſorum mortem nuptias convolare, quia, ut obſervat Hallerius p. 2. ſect. 4. c. 2. §. 6. p. 503. eæ poſt maritorum ordinationem, vel continentiam in Monaſterio profiteri, vel ſaltem in ſeculo vovere, per Canonum ſanctiones jubebantur. Patet id 1. ex citato Can. 22. Concilii Autiſſiodorenſis. 2. ex Can. 13. Concilii Aurelianenſis (Tom. 4. Concil. p. 1407.) ubi: *Si ſecui-*

* Pontius Lib. 7. de Matrim. c. 25. num. 1. pag. mihi 468.

cuicumque mulier, duplici conjugio Presbyteri vel Diaconi relicta conjunxerit, aut caſtigati ſeparentur, aut certe, ſi in criminum intentione perſtiterint, pari excommunicatione plectantur. 3. ex Concilio Epaonenſi * ann. 517. Can. 32. (ibid. pag. 1580.) *Relicta Presbyteri, ſive Diaconi, ſi cuicumque nupſerit, eatenus ab Eccleſia pellatur, donec a conjunctione illicita ſeparetur.*

Ceterum nemo erat qui circa Presbyterarum antiquam conditionem decipi poſſet, quia peculiaribus veſtimentis utebantur, ut colligere eſt ex S. Gregorio Magno, qui Epiſt. 7. Lib. 9. alias 7. (Tom. 2. p. 931. C.) in Gavinia Abbatiſſa id redarguit, quod Monaſticam veſtem dedignata, iis ſe induerit veſtibus, *quibus* inquit, *loci illius Preſbyteræ utuntur.* 7

Hinc liquet caſtitatem, Diaconorum & aliorum uxoribus fuiſſe ſerio commendatam, & a fortiori ipſiſmet Diaconis vel Sacerdotibus. Unde S. Baſilius Ep. 178. ad Paregorium jam ſeptuagenarium, non ſolum a maritali lecto, ſed & a contubernio, haſce uxores arcet, & in Monaſterium detrudi præcipit. *Ejice illam*, inquit, *ab ædibus tuis, & trade in Monaſterium. Sit illa cum Virginibus, & tu inter viros miniſtra, ne nomen Dei propter vos blaſphemetur.* Idem ſanxit Trullana Synodus Can. 48. (Tom. 6. Conc. p. 1165.) ubi Epiſcopi uxorem a viro prius ex communi conſenſu ſeparatam, *Monaſterium procul ab eo diſſitum ingredi* jubet, *ſin autem digna viſa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehi.* Unde liquet, ex Diaconiſſis alias fuiſſe tales ſolo nomine, alias quia ad hanc dignitatem certo ritu proveherentur. Quod ut innoteſcat magis, ſit 8

CONCLUSIO II. Diaconiſſæ plures Eccleſiaſtico quodam ritu inſtitutæ ſunt, at non Sacramentali. 9

Prob. 1. pars, 1. ex Conſtitutionibus vulgo Apoſtolicis. Lib. 8. c. 19. (Tom. 1. Concil. p. 489.) ubi hæc: *De Diaconiſſa ego Bartholomæus ſic conſtituo, ut manus eis, Epiſcope, imponas præſentibus Presbyteris, Diaconis, ac Diaconiſſis, ac dicas: Deus æterne, Pater D. N. J. C. qui viri & mulieris auctor es, qui Mariam, Deboram, Annam, & Oldam Spiritu Sancto impleſti... ipſe nunc reſpice hanc ancillam electam ad miniſterium, & mundam effice ab omni inquinatione carnis & ſpiritus, ut opus ſibi impoſitum digne perficiat*, &c. Ubi & Diaconiſſæ ** manuum impoſitionem recipiunt, & certis verbis quaſi conſecrantur. 10

Prob. 2. ex Concilio Calcedonenſi, quod Can. 15. (Tom. 4. Concil. p. 776. ſtatuit *Diaconiſſam non ordinandam ante annum quadrageſimum & hanc cum ſummo libramine. Si vero ſuſcipiens manus impoſitionem, & aliquantum temporis in miniſterio permanens, ſemetipſam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujuſmodi cum eo qui eidem* 11

* Epaonum, ſive Epaunum, vel Eponum conſtituunt multi in Sabaudia, duabus a Tellico leucis; Alii in vico cognomine *Paunas* in Delphinatu; quatuor tum a Vienna, tum a Lugduno leucis.

** An verba citata probent manus Diaconiſſis impoſitas fuiſſe, an & id etiam probet textus e Concilio Calcedonenſi mox afferendus, paucis infra diſcutiam.

copulatur. Porro quicumque in Eccleſia ordinantur, nonniſi cum certo ritu ordinantur.

12 Prob. 3. ex variis Ritualibus: Et quidem 1. Ordo Romanus (Tom. 13. Biblioth. PP. 736. H.) exhibet ritum ordinandæ Diaconiſſæ: *Tunc*, inquit, nimirum poſt Epiſtolam & Graduale, *ponat Epiſcopus orarium*, ſeu ſtolam, *in collo ejus*, *dicens*: *Stola jucunditatis induat te Dominus*, &c.

2. Mſſ. Codex Collegii Fuxenſis apud Toloſam. *Deinde*, inquit, *imponit ei Epiſcopus orarium*: *Poſtea dat ei annulum dicens*; *Accipe*, &c. *Poſtea torquem ſive coronam*, *dicens*: *Accipe*, &c.

13 3. Ex Mſſ. alio Codice quem refert Morinus part. 2. pag. 69. E. ubi hæc leguntur: *Epiſcopus Ordinandæ caput inclinanti manum imponit*, *factiſque tribus crucis ſignis*, *ſic precatur*: *Deus ſancte & omnipotens*, &c. *Et poſtquam particeps facta eſt ſancti Corporis & Sanguinis pretioſi*, *tradit ei Archiepiſcopus ſanctum Calicem*, *quem accipiens in ſancta menſa deponit*.

14 4. Demum Martenius Lib. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 8. art. 11. p. 407. exhibet antiquum Pontificale Salisburgenſe, in quo Diaconiſſæ ſimiliter benedicuntur ac Diaconi.

15 Nec certe hinc recedunt Græci, cum, demptis paucis, quæ pene indifferentia ſunt, *ea omnia peragant in Diaconiſſæ initiatione*, *quæ & in Diaconorum ſolent*, ut notat Arcudius Lib. 6. c. 10. p. 472. Equidem ritum hunc, & morem his in Diaconiſſarum inſtitutione utendi verbis, *Divina Gratia*, &c. erroneum & hæreticum judicat idem Arcudius ibid. pag. 474. eumque ex apocryphis Euchologiis exceptum eſſe contendit. Verum hanc ejus cenſuram ut e zelo potius quam ratione ortam redarguit Goarius in ſuis ad Euchologium notis p. 265. n. 3. tum quia ritus ille in univerſis Græcorum Ritualibus reperitur, quæ tamen non omnia ſunt apocrypha; tum quia eumdem hunc ritum exhibet *Euchologium Patriarchicum Criptæ ferratæ*, *quod Arcudius Lib. 6. c. 9. & alibi ſæpius ut maxime ſincerum & authenticum laudat*.

16 Prob. 2. pars: Ritus vere Sacramentalis eamdem Diaconiſſis poteſtatem tribueret, quam Diaconibus, relativam ſcilicet ad verum Chriſti corpus, ſeu diſpenſandum, quamdiu Diaconi permanebunt, ſeu conſecrandum, quando ad Sacerdotium promovebuntur. Atqui nulla unquam hujuſmodi poteſtas Diaconiſſis tradita eſt. Nuſquam eæ vel diſpenſarunt publice Corpus Chriſti, vel ad Presbyterii Ordinem aſsurgentes, idem conſecravere. Unde S. Epiphan. hær. 79. (Tom. 1. p. 1060. C.) *Quamquam Diaconiſſarum in Eccleſia Ordo ſit*, *non tamen ad Sacerdotii functiones*, *aut ullam hujuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt*. Ergo.

17 Confirm. Ad Sacramentum tria in primis requiruntur, nimirum ex Chriſti parte inſtitutio permanenter facta; ex parte Miniſtri intentio debita; ex parte ſubjecti capacitas ad idem Sacramentum. Atqui horum nihil occurrit in Diaconiſſarum conſecratione. Non inſtitutio Chriſti, quæ nullibi facta legitur; quæque cum ab Eccleſia Latina jam pridem ſublata ſit, nuſquam habita eſt pro ritu permanenter inſtituto. Non intentio ex parte Miniſtri, cui ne exterius quidem

uſquam

uſquam propoſitum fuit veram Ordinationem virginibus aut viduis impendere. Non capacitas ex parte ſubjecti, quæ mulieribus numquam, niſi a deliris quibuſdam hæreticis afficta eſt. Ergo.

Obj. contra ſecundam hanc partem: Ubi idem omnino ritus quantum ad feminas viget, qui ſervatur quantum ad viros, ibi eadem utrinque eſſe debet Ordinatio. Atqui idem omnino ritus in Diaconiſſarum ordinatione ſervatur, qui in inſtitutione Diaconorum. Ubique manuum impoſitio: ubique preces quæ gratiam ad executionem miniſterii neceſſariam invocent; quod præſertim in Eccleſia Græca verum eſt, &c. Nec eſt quod reponatur, feminas ordinationis eſſe incapaces: Eſt enim id mera principii petitio; & exhibita Concluſio ipſamet pro ſolutione. Ergo. 18

R. 1. neg. maj. 1. quia ſicut Scriptura per eaſdem omnino voces rebus ſeu animatis, ſeu inanimis benedicit, nec tamen eoſdem in utriſque effectus, & gratias parere intendit: ſic & Eccleſia per eaſdem voces aliud & aliud in diverſis ſubjectis operari intendit. 2. Quia non a ritu ſolum, ſed & ab inſtitutione Chriſti pendet dignitas Sacramentalis. Porro hanc femineæ conſecrationi fuiſſe a Chriſto alligatam probari non poteſt. 19

R. 2. neg. min. ſi enim certum ſit Diaconorum Ordinationem ab inſtitutione Diaconiſſarum differre quantum ad formam; incertum vero an utraque quantum ad materiam conveniat; jam idem utrique ritus aſſignari non poteſt. Atqui 1. certum eſt utriuſque conſecrationis formam omnino eſſe diſparem, tum quoad verba in Eccleſia Latina, tum quoad verborum ſenſum in utraque Eccleſia. Cum miniſterialis gratia, quam Diaconis adprecatur Epiſcopus, ad præſtandum proxime Sacerdoti conſecraturo ſervitium, ipſiuſque etiam Euchariſtiæ diſpenſationem tendat: quod certe in Diaconiſſis locum non habet. 2. Incertum eſt an eadem ſit utriuſque conſecrationis materia, vel ſaltem an manuum impoſitio ubique olim quantum ad Diaconiſſas uſurpata fuerit. Id enim, reclamante perperam Morino part. 3. Exercit. 10. cap. 2. negare videtur Concilium I. Nicænum, Canon. 19. his verbis: *Diaconiſsarum autem meminimus, quæ in habitu quidem cenſentur: quoniam nec ullam habent manuum impoſitionem, ut omnino inter laicos connumerentur*. Ubi Diaconiſſæ citra manuum impoſitionem inſtitutæ, adeoque a laicis non diſcerni penes ſubſtantiam dicuntur. Certe, ait in hunc locum Van-Eſpen * *ex nullo antiquitatis monumento conſtat, Diaconiſsas per manuum impoſitionem, ſaltem tempore Synodi Nicenæ, fuiſse ordinatas*. Eodem ſenſu hanc Canonis 19. partem interpretatur Hallerius pag. 507. 20

Nec multum obſunt quæ ſupra n. 10. & 11. retulimus, ſive ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive ex Concilio Calcedonenſi. 1. Enim Conſtitutiones Apoſtolicæ, nec Apoſtolorum ſunt, nec priorum ſæculorum do- 21

* Van-Eſpen in Libro inſcripto: *Tractatus Hiſtorico-Canonicus*, pagin. 42. Edit. Rothomag. 1710. Extat pene idem locus in nupera Edit. Lovan. 1753. Tom. 3. pagin. 230.

doctrinam ſemper exhibent, uti dicam Tom. XV. Diſſert 2. pag. 415. Unde modici ſunt roboris, niſi firmioribus monumentis fulciantur. 2. Canon quindecimus Calcedonenſis, quem per hæc verba reddidit Dionyſius Exiguus: *Si vero ſuſcipiens manuum impoſitionem*: vertunt Gentianus Hervetus (pag. 764.) per id: *Si autem poſtquam Ordinatione ſuſcepta*, &c. Iſidorus vero Mercator (pag. 783.) *Si vero ſuſceperit Ordinationem*, &c. Alii vero ibid. p. 776. *Si vero accepta velatione*; &c. Cur autem major uni Dionyſio fides, quam tribus? Ergo nullo certo prioris ævi monumento conſtat Diaconiſſas, paſſim ſaltem, per impoſitionem manus conſecratas fuiſſe. Sic quidem tempore aliquo vel loco inſtitui potuerunt: At quis non illico ſentiat, arbitrarium eſſe ritum, quem diverſæ Eccleſiæ diverſis modis conſtituunt?

22 Et vero fuerunt Apoſtolicis etiam temporibus Diaconiſſæ, ut patet, tum ex his S. Pauli verbis Rom. 16. v. 1. *Commendo vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in Miniſterio* (græce *Diaconam*) *Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris*; tum ex S. Ignatio in Epiſt. ad Antiochenos (edit. p 930. B.) ubi: *Saluto*, inquit, *ſanctarum portarum Cuſtodes, Diaconiſſas. Saluto ſponſas Chriſti Virgines*. Atqui probari non poteſt eaſce Diaconiſſas umquam per impoſitionem manuum initiatas fuiſſe, neque id omiſiſſet Apoſtolus, qui tot circa viduarum electionem, mores & inſtitutum præſcripſit. Ergo dicendum cum S. Epiphanio hæreſ. 79. n. 3. (Tom. 1. p. 1060. C.) *Quamquam Diaconiſſarum in Eccleſia ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt; ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur; ſive ut Baptiſmi tempore adſit; ſive ut inſpiciat ſi quid paſsa ſit, aut moleſtæ pertulerit*, &c. Ad hæc porro munia nulla Sacramentali conſecratione, nulla materia, vel forma opus erat. Quamquam nullus dubito, quin certo cum apparatu & variis precibus inſtitutæ ſint Diaconiſſæ: cum Eccleſiæ mos ſit ut ab oratione in rebus momenti minoris initium ducat.

23 Inſt. Tria certa ſunt, 1. S. Paulum 1. ad Timoth. 5. eas in Diaconiſſis dotes requirere, quas exigit a Diaconis; 2. iiſdem ea ipſa circa portarum coſtodiam, & Baptiſmi largitionem incubuiſſe officia, quæ Diaconis; 3. Theoſebiam Diaconiſſam, Gregorii Niſſeni conjugem, a Gregorio Nazianz. *vere ſacram*, *& honore parem*, *magniſque myſteriis dignam* nominari. Atqui identitas dotum, officiorum & titulorum probat gradus atque Ordinis identitatem. Ergo.

24 R. neg. min. 1. quia licet officia quædam cum ſacris Miniſtris communia geſſerint Diaconiſſæ, numquam tamen præcipua, qualis eſt diſpenſatio Corporis Chriſti. 2. Quia ubi deerant Diaconiſſæ, omnia earum officia implebantur a laicis. 3. Quia ad Ordinem Sacramentalem non ſufficit quædam dotum, aut officiorum, nominumve ſimilitudo: (cum ſimplices Chriſtiani dicantur regale Sacerdotium, quin & Sacerdotes ac ſacrificium offerentes) requiritur ergo inſuper inſtitutio divina, eaque permanens, & gratiæ ſacramentalis operativa. Ceterum Paulus tot ideo in viduis dotes exigit, quia nolebat iis quæ bigamæ forent aut incontinentes, quaſi ex ſtipendio certo ſubſidia Eccleſiaſtica impendi. 2. Erant quidem officia nonnulla

Dia-

Diaconiſſis & Diaconis communia: verum hæc in iſtis referebantur ad conſecrandum aliquando Corpus Chriſti verum, non in Diaconiſſis. 3. Ampullata Gregorii Naz. phraſis analogicos intelligi debet, ita ut velit S. Doctor, Diaconiſſas inter mulieres excellere, ſicut inter viros ſacri Eccleſiæ Miniſtri; & iſtis adæquari participatione nominum, non poteſtatis æqualitate. Ita Hallerius pag. 511.

Conclusio III. Varia erant Diaconiſſarum officia. 25

Prob. inductione. 1. enim, ſi audiantur Conſtitutiones Apoſtolicæ, 26
Lib. 2. cap. 26. cum femina quæpiam Epiſcopum vel Diaconum alloqui volebat; hanc ad eos deducebat Diaconiſſa, ut teſtis foret omnia honeſte & ſecundum ordinem fieri. Unde iſtud ibid. *Ad Diaconum, aut Epiſcopum, nulla mulier ſine Diaconiſſa accedat.*

2. Cum, urgentibus negotiis, vel cujuſdam ſcandali metu, non 27
poterant Epiſcopi feminas inviſere, eorum ſenſus ac voluntatem ad ipſos deferebant Diaconiſſæ. Ibid. Lib. 3. cap. 15. (Tom. 1. Concil. pag. 321. B.)

3. Ruſticis ac imperitis mulieribus principia fidei, vel Baptiſmi 28
ritus exponebant, juxta decretum Concilii IV. Carthaginenſis, Can. 12. ubi ſub viduarum & ſanctimonialium nomine Diaconiſſæ indicari videntur.

4. Iis potiori curæ erat portas Eccleſiæ cuſtodire, portas, inquam, 29
quibus feminæ Eccleſiam ingrediebantur; per alias enim ingrediebantur viri, quod, in Occidente præſertim, multis ſæculis obſervatum eſſe tradit Morinus part. 3. Exercit. 10. cap. 3. Hinc eædem Conſtitutiones Apoſtolicæ, Lib. 8. cap. 28. *Diaconiſſa non benedicit, neque facit aliquid eorum quæ Presbyteri aut Diaconi faciunt, niſi quod januas cuſtodit, & Presbyteris miniſtrat, cum mulieres baptizantur, idque propter decorum & honeſtatem.* Sed & feminis cujuſcumque ſtatus, quo in Eccleſia loco ſederent neſciis proprium locum aſſignabant Diaconiſſæ: ibid. Lib. 2. cap. 58. (p. 297.)

5. Cum baptizabantur mulieres, totum id præſtabant Diaconiſſæ, 30
quod citra periculum & indecorum a viris non potuiſſet præſtari. *Diaconiſſæ*, ait ibid. Epiphanius, *ad hunc unum uſum adhibentur, ut mulierum, decoris & honeſtatis cauſſa, ſint adminiſtræ.* Et Conſtitutiones Apoſtolicæ Lib. 3. cap. 15. *Cum mulieres baptizantur, unget quidem eis Diaconus frontem tantum oleo ſancto; poſt eum vero illinet ea Diaconiſſa*, &c.

6. Et his commiſſa erat viduarum cura. Unde eædem Conſtitutio- 31
nes Lib. 3. c. 15. (ibid. p. 321. A.) *Eliges*, Epiſcope, *Diaconiſſam fidelem, ſanctam ad miniſtrandum mulieribus*, & c. 7. *Viduas oportet eſſe honeſtas, obedientes Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, adhuc & Diaconiſſis.*

7. Penes Diaconiſſas erat examen, cum virgo Deo ſacra in ſuſpi- 32
cionem veniebat amiſſæ integritatis, ut videre eſt apud Epiphanium cit. hær. 79. n. 3. (Tom. 1. p. 1060.) Quamquam hujuſmodi officium ad obſtetrices refert S. Cyprianus Epiſt. ad Pomponium, p. 99.

8. Tota ſacra ſupellex Diaconiſſarum curæ in Monaſteriis commiſſa 33
erat. Hiſce officiis quæ nec pauca erant, nec æque facilia, ſua quædam

dam merces rependebatur : Diaconiſſæ enim partem ſpecialem habebant in agapis Eccleſiæ; & certam ex oblationum reliquiis portionem percipiebant. Utrumque patet ex Lib. 2. Conſtit. Apoſt. c. 28. & Lib. 8. cap. 31. (Ibid. p. 266. & 496.

34 An vero quædam id genus munia iis competerent feminis, quæ Presbyteræ dicebantur, vix certo definiri poteſt. Nec deſunt, qui Presbyterarum nomen ratione vel ætatis, vel initi olim cum homine deinceps Presbytero conjugii, non autem ratione Ordinis, ſacrive cujuſdam miniſterii, certis mulieribus inditum eſſe velint. 1. Quia cum frequentiſſima ſit de Diaconiſſarum officiis mentio apud veteres, nihil tale de Presbyterabus occurrit. 2. Quia Laodicena Synodus Can. 11. Tom. 1. Concil. p. 1510.) ſtatuit *non oportere eas, quæ dicuntur Presbyteræ & præſidentes in Eccleſiis ordinari*; ſeu ut paraphraſticos vertit Iſidorus Mercator, *mulieres, quæ apud Græcos Presbyteræ appellantur, apud nos autem viduæ, ſeniores, univiræ & matriculariæ, in Eccleſia tamquam ordinatas conſtitui non debere*. 3. Quia Sanctus Epiphanius ead. hær. 79. num. 4. obſervat *ſolum Diaconiſſarum officium apud Eccleſiaſticum ordinem neceſſarium eſſe, ac viduas quidem nominatim expreſſas, & inter illas, quæ anus eſſent, Presbytidas vocatas* eſſe, *numquam Presbyteridas aut Sacerdotiſſas eſſe factas*. Ut ut eſt, ſi quid eæ ſacri officii gerendum habuerint, fateor id mihi prorſus impervium eſſe. Quod e feminis Presbyteris dico, id ad Epiſcopas extendendum. Vix certe utriſque dignior quæpiam in Eccleſia functio tribui poterat, quam quæ Diaconiſſas tribuebatur, ut ſolvantur nonnulla.

35 Quæres 1. cur & quando extinctus fuerit ordo Diaconiſſarum.

R. extinctum fuiſſe, 1. quia deſierunt præcipuæ ejuſdem functiones: cum enim ſancita jam Religione omnes pene in infantia baptizati ſint, & ſenſim deſierit uſus immerſionis in Baptiſmo, jam locum non habuit potiſſima Diaconiſſarum functio. Eaſdem vero in ceteris facile ſuppleverunt, ſeu honeſtæ viduæ aut mulieres ad curam pauperum, ſeu Apocryſarii, aliive Eccleſiaſtici viri, ætate & pietate graves, ad invigilandum Epiſcopis, eorumque verba deferenda: præſertim cum omnibus jam ad Fidem converſis, nihil ſcandali ex Gentilium parte timendum foret. 2. Nec dubium quin ideo etiam ſuppreſſæ ſint, quia gliſcentibus vitiis, ſuperbia potiſſimum, quæ ſubliniores gradus non raro comitari ſolet, factum eſt ut quæ Eccleſiam diu virtutibus ſuis illuſtraverant, eidem moleſtæ ac graves fieri cœperint. Hinc toties ſancitum a Conciliis, ut nullæ jam Diaconiſſæ inſtituerentur; immo ut quæ ſupererant, non alterius, quam ceteræ fideles, ordinis eſſe cenſerentur. Sic Arauſicana I. Synodus ſub Leone I. *Diaconæ*, inquit, Can. 26. *omnimodis non ordinandæ. Si quæ jam ſunt, benedictioni quæ populo impenditur, capita ſubmittant*. Quibus verbis, ut advertit Cabaſſut. Diſſert. 3. in Notitiam ſæculi 2. eæ quæ ſupererant Diaconiſſæ, in ſtatum vulgarem ac ſæcularem rediguntur. Sic rurſus Epaonenſe Concilium, Can. 21. *Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni Regione noſtra penitus abrogamus, ſola Pænitentiæ benedictione, ſi converti ambiunt, imponenda*. Demum Aurelianenſis II. Synodus,

dus ita ordinavit Can. 18. *Placuit etiam ut nulli poſtmodum feminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.*

Hinc patet Diaconiſſas jam a Sæculo V. extingui cœpiſſe. Siquidem 36
Arauſicanam I. Synodum conſignat idem Cabaſſutius ann. 441. Epaonenſem ann. 517. &c.

Quæres 2. annon primitus alii quidam peculiares in Eccleſia fuerint 37
gradus feminarum.

R. fuiſſe. 1. enim erant Virgines, quæ ſe perpetuæ caſtitatis voto adſtringebant; eaſque (quidquid contradicat Tournelyus pag. 195.) a Diaconatu excluſas fuiſſe docet Cabaſſutius in Notitia Eccl. ibid. Diſſert. 3. poſt Tertullianum, qui Lib. de velandis Virginibus ſcribit, monſtrum eſſe ſi virgo in Diaconali ſtatu conſtituatur. Nec certe decebat Virgines verecundas, ſolitudini multo aptiores quam hominum commercio, curiſque ſæcularibus parum idoneas, ea efficere, quæ a Diaconiſſis præſtita fuiſſe diximus. Ceterum Virgines Deo ſemel ſacræ habitu peculiari utebantur, pulla ſcilicet veſte, tunica, pallio, cingulo ac capitis velamine, prout ibidem multis probat Cabaſſutius ex Hieronymo. His porro Virginibus ſacrum velamen ſuſcipere non licebat ante annum ætatis quadrageſimum, ut conſtat tum ex Novella 8. Majoriani Auguſti, tum ex Concilio Agathenſi Can. 19.

2. Erant *Viduæ*, quæ & ipſæ continentiam profitebantur, ſed ad 38
Diaconalem gradum aſſurgere non poterant, niſi ſexagenariæ forent & univiræ, juxta id Apoſtoli I. ad Timoth. 5. v. 9. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor*, &c. Unde id Theodoſiani Codicis, de Epiſcop. & Cler. L. 27. apud Sozomenum L. 7. cap. 6. *Ut nulla niſi emenſis ſexaginta annis, cui votiva domi proles ſit, ſecundum Apoſtoli præceptum ad Diaconiſſarum conſortium promoveatur*. Ea tamen annorum præfinitio lapſu temporis ſenſim laxata fuit, & ad annos 40. reſtricta: Unde Concilium Calcedonenſe ſtatuit Can. 15. *Diaconiſſam mulierem non eſſe ordinandam ante annum quadrageſimum, & eam cum accurata examinatione.*

3. Erant *Moniales*, quæ etiam *Nonnæ*, ſeu *Nonnanes* dictæ reperiun- 39
tur in Epiſtolis Hieronymi & alibi paſſim; *Aſcetriæ* ſic nuncupatæ ab Aſceterio, ſeu loco in quo quis *ſervatur*, ut in operibus piis ſe *exerceat*, & *Canonicæ*, quarum domus a S. Baſilio Aſceterium vocitatur. An autem Aſceteria a Monaſteriis, ideoque Aſcetriæ a Monialibus, non ſolo nomine, ſed reipſa diſtinguerentur; an item alia foret Canonicarum conditio a conditione Monialium, ambigunt eruditi, quibuſcum & nobis liceat manere ſuſpenſis. Exiſtimat tamen Hallerius pag. 513. factum eſſe progreſſu temporis, ut Sanctimoniales quæ Divi Benedicti Regulam voverant, Monachæ; quæ vero Auguſtini, Canonicæ dicerentur.

4. Nec defuerunt ſubſecutis temporibus, in Germania potiſſimum 40
& Auſtraſia, *Canonicæ ſæculares*. Cujus inſtituti auctor; vel certe amplificator credi poteſt S. Meinulphus Diaconus *, qui ſub Carolo Magno

* De S. Meinulpho vide Surium ad diem 5. Octobris.

gno natus, ſub Ludovico ejus filio floruit. Is enim Monaſterium Budicenſe extruxiſſe, *illicque inſtituiſse congregationem ſæcularium ut vocant*, *Canonicarum* legitur. De his conſulantur Hallerius ibid. pag. 513. Helliot in prolixo & erudito, quod Gallice ſcripſit, opere de Ordinibus Monaſticis, Thomaſſinus, &c.

Finis Moral. Tom. VII. Part. I.

Digitized by Google